EPITOME THEOLOGIÆ MORALIS

AD

CONFESSARIORUM EXAMEN EXPEDIENDUM

OPERA

MICHAELIS MANZO

SACERDOTIS NEAPOLITANI, EJUSDEM DIOECESIS NEAP. EXAMINATORIS

DIGESTA

Tertia editio emendatior, atque auctior.

Addito Illmi, et Rmi Domini Josue de Costanzo Neap. Ecclesiae Cathedralis Canonici, Seminarii Urbani Rectoris, ac Examinatoris pro-Synodalis Tractatu *De Monialibus*.

Nunc autem haec tertia Pars Tractatu de Sacramentis, altero copiosiori de Beneficiis, tertio tandem de Obligationibus aliquorum statuum locupletata.



NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA PASCHALIS TIZZANO.

1841.



APPENDIX PRIMA

DE CASIBUS IN DIOECESI NEAPOLITANA AB ORDINARIO RESERVATIS.



Q. 1. *Quid venit nomine casus reservati?*

Nomine casus venit in Theologia morali peccatum, quo quis a rectitudine virtutis cadit. Peccatum autem reservatum dicitur illud, ad cujus absolutionem non conceditur jurisdictio necessaria Sacerdotibus inferioribus; sed tantum summis Sacerdotibus, idest Pontifici, aut Episcopis reservatur (1).

2. *Quot sunt casus in Dioecesi Neapolitana ab Ordinario reservati?*

Prout sunt in tabella, numerantur sexdecim, quibus excommunicatio adnexa est; et septem sine excommunicatione (2).

De Casibus, quibus adnexa est excommunicatio ipso facto.

Casus I. *Omnes utriusque sexus, et cujusvis status, ac dignitatis personae, quae Haereticorum cujusque sectae coetus adeunt, in quibus conciones, et catechismi, aut quicumque eorum ritus, praesertim a Sancta Catholica Romana Ecclesia damnati exercentur, quoties hujusmodi exercitiis, quovis praetextu, et occasione, etiam simplicis curiositatis, assistunt.*

---

(1) Quotuplicis generis sunt casus reservati, dictum est in tractatu de Poenitentia n. 119. De casibus Ordinario a Pontifice reservatis infra dicetur. Heic de casibus ab Ordinario in Dioecesi Neapolitana reservatis acturi sumus.

(2) Prius agitur de casibus, quibus adnexa est excommunicatio, et deinceps de illis sine excommunicatione reservatis.

3. *Quaenam requiruntur conditiones, ut quis in supradictum Casum incurrat?*

Sequentes: ut adeat coetus Haereticorum, cujuscumque sectae illi fuerint (1); ut in hisce coetibus conciones, et catechismi, aut quicumque eorum ritus, praesertim ab Ecclesia damnati exerceantur; ut hujusmodi exercitiis assistat (2).

4. *Incurritne in hunc Casum, et in excommunicationem huic casui adnexam, qui non accessit ad hunc coetum, sed casu invenitur in eo, et adsistit, dum hujusmodi ritus exereentur?*

Maxime. Nam finis reservationis fuit, ut perversionis periculum averteretur; ideoque qui illic invenitur, etiamsi non accesserit ad hunc finem, periculo perversionis se exponit assistendo hisce pestiferis ritibus. Hinc qui accedit ad hujusmodi coetum alio fine, aut causa: uti servus, qui sequitur suum herum, et non adsistit concioni, ritibus etc., non incurrit in Casum. Similiter non incurrit in Casum, qui nuptiis, funeribus Haereticorum interest, actione tantum civili, seu ad civilem honorem, assistentiam praestandam: quamvis ista ritu haeretico peragantur. Item qui assistit propter officium alicujus muneris civilis, ut Notarius, Officialis Municipalis, etc., vel uti dominus loci ad contestandum, quod agitur, vel ob aliquod munus dominicale necessarium: dummodo istiusmodi ritibus haereticalibus non communicet, remota etiam occasione scandali.

5. *Quid si quis accedat ad hujusmodi coetum, ut*

---

(1) Nomine coetus intelligitur unio, seu coadunatio plurium Haereticorum: ad quam constituendam sufficiunt saltem tres personae. Nam *coetus*, et *concilii* vocabula promiscue usurpantur. At ad concilium constituendum sufficiunt tres personae. Sic ergo et ad coetum. L. Neratius 85. ff. de Verb. signif.

(2) Si ritus sint catholici, non incurrit, qui assistit. Attamen incurrit in excommunicationem nemini reservatam in corpore Synodi Pign. statutam; quia revera adit coetum Haereticorum: uti patet ex n. 5. seq.

assistat illis sacrilegis functionibus, at facti poenitens ex eo recedit?

Iste non incurrit Casum reservatum; quia requiritur etiam assistentia. Incurrit vero in poenam excommunicationis nemini reservatae in corpore Synodi: quia ex nostra Synodo plectitur poena excommunicationis ille, qui dumtaxat accedit ad hujusmodi coetum. Idem etiam dicendum de illo, qui assistit concioni, sed idiomatis ignarus, non intelligit; quia Casus requirit assistentiam formalem, non materialem (1). Syn. Pignatelli Cap. de Casibus reservatis, par. 2. n. 1.

Casus II. *Omnes personae utriusque sexus, quae vel per se, vel per alium, SS. Altaris Sacramento, Chrismate, Oleo Sancto, sive quacunque alia re consecrata, ad Veneficia, Divinationes, Sortilegia, aut ad alium usum, quam fuerint ordinata vel instituta, quomodolibet abutantur; omnesque utriusque sexus, qui de praedictis ad praedictos fines aliquid sumpserint, vel alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abusu minime subsecuto.*

6. *Quaenam sint peccata, quae sub hac reservatione, et excommunicatione comprehenduntur?*

Abusus Eucharistiae, Chrismatis, Olei Sancti, et cujuscumque rei consecratae ad *veneficia*, vel ad *divinationes*, vel ad *sortilegia* (2), vel ad alium quemcumque usum praeter illum, ad quem fuerunt haec instituta. Deinde desumptio, traditio, receptio Eucharistiae, Olei sancti, Chrismatis, et recensitae rei consecratae ad abusus memoratos, etiam abusu non secuto.

7. *Quid venit in hoc Casu nomine Olei sancti, et rei consecratae?*

Nomine Olei sancti probabilius venit oleum Catechumenorum, quod ex usu proprio hoc vocabulo

---

(1) Qui a longe aspicit, non incurrit.

(2) Quid, et quotuplex est veneficium, seu maleficium, divinatio, sortilegium, vide in secunda Part. in tractatu de Religione n. 135. 128. 130.

eidem accomodato *oleum Sanctum* appellatur (1). Nomine rei consecratae veniunt ea omnia, quae sunt chrismate, vel oleo Sancto delibuta, et per potestatem legitimam Deo dicata: uti calices, patenae, altaria ad Missae celebrationem, aqua fontis baptismalis etc. Alii vero minus recte adjungunt, ea etiam censeri consecrata, quae immediate contingunt Eucharistiam. Neque vero hoc eodem nomine veniunt loca, et personae consecratae, ut bene notat Ciera; neque frustulum calicis consecrati, aut altaris jam divulsum; quia pars rei consecratae jam discreta amittit consecrationem (2).

8. *Quandonam quis dicatur juxta Casum abuti recensitis rebus ad supradictos impios usus, nempe ad veneficia, divinationem, sortilegia?*

Quando abutitur hisce rebus aut ad damnum aliis inferendum; aut ad occultae veritatis, vel futuri, et contigentis eventus notitiam assequendam.

9. *Incurriturne in hujusmodi reservatam excommunicationem, si recensitarum rerum abusus non pertineat ad superstitionem, sed ad aliud?*

Maxime. Nam in Casu reservato habetur expressum: *aut ad alium usum, quam fuerint ordinata, vel instituta, quomodolibet abutantur.* Hinc si quis abutantur Eucharistia ad effugandos Daemones e loco, ubi repositus est thesaurus, incurrit in Casum.

10. *Quomodo intelligitur illud in Casu expressum:* vel per alium . . . abutantur?

Id eo sensu accipitur, quatenus in Casum incurrant etiam illi, qui dant mandatum alteri ad exequendos hujusmodi abusus; licet ipsi per se non perpetrent sacrilegos hosce abusus. Hinc consulentes, et ratum habentes hos abusus, non incurrunt; quia in Casu non exprimuntur.

11. *Illiganturne hac reservatione, et censura, qui desumpserint, aut dederint, aut acceperint hasce memoratas res sacras, et istis non fuerint postea abusi?*

---

(1) Ita Ciera Diss. 3. quaest. 1. n. 2.
(2) Ciera loc. cit.

Maxime; et patet ex verbis Casus: *etiam abusu minime subsecuto.*

CASUS III. *Omnes utriusque sexus personae, quae Daemoni spondent obsequium, thus, et Sacrificia offerunt, quamvis absque errore intellectus. Insuper quaecumque, sive suo, sive alterius nomine, condunt, aut condere faciunt imagines, anulos, aut quodvis aliud artefactum, in quo Daemonem constringant.*

12. *Quaenam complectitur hic Casus?*

Complectitur spontaneam promissionem obsequium praestandi Daemoni; oblationem thuris, vel sacrificii ipsi Daemoni factam; et confectionem anuli, imaginis vel cujuscumque artefacti, in quo Daemon constringitur, seu alligatur: sive proprio, sive alterius nomine id fiat.

13. *Quodnam debeat esse obsequium istud, quod Daemoni promittitur?*

Debet esse obsequium sacrum (1). Idque ex contextu verborum Casus patet; cum statim subjungatur: *thus, et sacrificium offerunt.* At obsequium illud, quod cum sacrificio, et thuris oblatione connexionem habet, sacrum esse debet.

14. *Cujusmodi esse oportet ista promissio obsequium praestandi Daemoni?*

Debet esse vera promissio: nempe animo promittendi, et se obligandi; externo actu manifestata. Nam quando promissio vera non est, promissio non habetur; ideoque non habetur, quod requiritur a Casu. Quando non est externo actu manifestata, non potest plecti poena ab Ecclesia: quae tantum externa peccata punit, et reservat.

15. *Quid si quis hujusmodi sacrilegos actus Daemoni praestet sine animo eum honorandi, sed ob aliquem timorem, vel cupiditatem temporalia assequendi?*

Incidit etiam in Casum istum. Nam ex eodem Casu habetur: *quamvis absque errore intellectus,* (subintellige) peragantur hujusmodi impietates.

---

(1) Nempe servitium, officium, quo Daemon honoratur aliquo cultu, et tamquam Deus.

16. *Afficiunturne hac reservatione vendentes, et ementes anulos, imagines, et aliud in Casu expressum?*

Ex secunda parte hujus Casus clare patet, incurrere poenam reservatae excommunicationis omnes, qui vel pro se, vel ex alterius mandato construunt, vel construere faciunt anulos etc. Qui vero vendunt hosce anulos etc., in quibus alligandus est Daemon ea intentione, et tractatu, ut in eis alligetur Daemon, ex Ciera incurrrunt Casum istum reservatum: quod non colligitur ex illis verbis *condunt*, vel *condere faciunt* expressis in secunda parte Casus; sed ex verbis prioris partis Casus: quia scilicet vendens ea intentione intendit Daemoni spondere obsequium; et id, licet non exprimat verbis, facto tamen demonstrat (1). Hinc nesciens pravam intentionem alterius, nec habens justam causam male praesumendi, vendendo anulos, non peccat; ideoque non incidit. Ementes anulos, imagines etc., in quibus jam fuerit alligatus Daemon, si Daemoni promittant se illo anulo vel imagine etc. abusuros, incidunt in Casum; quia obsequium Daemoni spondent; si vero non promittunt, non incidunt. At si postea utantur hoc anulo, etc., etsi una vice, incidunt in Casum; quia in eo abusu habetur pactum expressum, et recursus ad Daemonem; cui proinde obsequium praestatur.

---

(1) Ex Ciera Diss. 4. quaest. 4. Concl. 2. Qui vendit annulum illi, qui certo abusurus sit ad Daemonem alligandum, sine intentione hujus impietatis, justam habens causam proportionatam excusantem, non peccat; et ideo non incidit in reservatum. An non habens hujusmodi causam in Casum incidat, quaestio. Vide Ciera ut supr. Concl. 4. At quia sumus in poenalibus, non potest fieri extensio a casu ad casum. Nam in reservati verbis habetur: *qui spondet obsequium*; aliud est spondere, aliud praestare. Sed qui vendunt, non spondent, seu promittunt obsequium, sed praestant, scilicet cooperantur illi, qui vult spondere obsequium. Proindeque etsi peccet, tamen non committit delictum sub reservata excommunicatione prohibitum.

Casus IV. *Venefici, et Veneficae omnes, Necromantes, Divinatores, Sortilegi, Lamiae, Striges, sive quovis alio nomine nuncupentur, ex utroque sexu, qui cum expressa Daemonis invocatione, ad captandam dilectionem, vel odium concitandum, sive ad inveniendos thesauros, aut ad alium finem quemcunque utuntur incantationibus, aliisque maleficiis, sive etiam ligaturis, ut a naturali, et legitimo matrimonii usu conjuges avertant: aut scienter in praefatis cooperantes, aut quovis modo consentientes. Declaramus autem ex praedictis criminibus, in supradictis II. III. et IV. Casibus contentis, excommunicationem Nobis reservatam ipso facto incurrere non solum eos, qui saepe, et ex arte hujusmodi criminibus operam dant, sed etiam eos, qui quomodocunque, etiam semel, ea perpetraverint.*

17. *Quaenam superstitio comprehenditur hoc Casu?*

Maleficium, sive veneficum, sive philtrum; divinatio cum suis speciebus; magia, incantatio, sive per verba, sive sine verbis per aliud quodcumque signum, et ad qualemcumque effectum (1). Haec omnia comprehenduntur in Casu, quando fiunt cum expressa Daemonis invocatione.

18. *Quinam perpetrantes recensita scelera incidant in hunc Casum?*

Principales agentes, scienter cooperantes, et quo-

---

(1) Quid sint hae superstitiones; vide in Tractatu de Relig. in §. de superstitione n. 121. et seqq. In Casu etiam nominantur Necromantes, Lamiae, Striges, ideoque adverte: Necromantes esse, qui cum adhibito sanguine, et quibusdam praecantationibus, seu cantu, mortuos videri suscitatos aliqua divinantes faciunt. Lamiae, quae Daemone adjuvante insidiantur vitae puerorum. Striges sunt, quae abnegato Baptismo, Sacramentis, et Ecclesiae Sacramentalibus, Daemoni se subditas faciunt, et perfectam promittunt fidelitatem. Tam Lamiae, quam Striges appellantur, quae ligaturis, vulgo *fatture*, ope Daemonis alios damnificant morbis incurabilibus, et aliis diabolicis modis crudeliter vexant.

Incantatio est carmen aliquod, sive sacrum, sive profanum, continens pactum cum Daemone.

vis modo consentientes actibus superstitionis conjunctam habentibus expressam Daemonis invocationem, ut supra diximus.

19. *Quandonam habetur haec expressa Daemonis invocatio a Casu requisita, ut in poenas comminatas incurratur?*

Ex D. Thoma 2. 2. q. 95. a 2. ad 3. duplici modo habetur: vel verbis, quando scilicet Daemones expresse seu suo nomine invocantur; vel facto, quando nempe quis sciens Daemonem aliquo signo, vel facto accurrere, signum istud vel factum adhibet (1).

20. *Quaenam scientia requiratur, ut cooperantes, vel consentientes hisce superstitionibus hoc Casu obstrigantur?*

Vel certa scientia, vel ignorantia affectata, qua ductus aliquis superstitionibus memoratis se immisceat, vel consentiat. Ideoque omnis ignorantia excusat ab hac reservatione praeter affectatam. Notandum est praeterea, quod ex verbis appositis in calce hujus Casus declaretur: omnes committentes scelera in 2. 3. et 4. Casu exposita, incurrere in reservatam hanc excommunicationem inflictam, etiamsi quomodocumque, scilicet non ex instituto, ex arte, vel saepe, sed semel, et prima vice committant (2).

---

(1) Tacita invocatio habetur, quando quis quaedam media vana, inutilia adhibet ad aliquid assequendum; quia his se immiscet diabolica operatio: uti docet D. Thomas 2. 2. q. 95. a. 2. *Daemones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate.*

(2) Abs re non erit, immo perutile est, aliqua heic adnotare ad Confessariorum monitum, cum ad ipsos accedunt superstitiosis peccatis obstricti.

1. Debet Confessarius errorem efficacibus rationibus de corde istorum depellere, et confortare Divinae misericordiae, et omnipotentiae auxiliis, et confidentia contra metum, et terrores a Daemone excitatos. Nam isti persaepe non convertuntur ad poenitentiam ob errorem decepti, vel timore perculsi.

2. Debet curare Confessarius, ut confessio horum integra fiat; quia isti inter cetera Daemoni promittunt, confessionem non integram facere.

Casus V. *Loquentes sine nostra, vel Vicarii nostri Monialium licentia cum Monialibus, in Monasteriis etiam exemtis* (1), *vel cum aliqua, aut aliquibus earum, etiam si sit Conversa, aut Novitia, sive educationis, sive alterius rei causa ibidem commoretur: conjunctis in primo, vel secundo consanguinitatis gradu dumtaxat exceptis. Declarantes, quod qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua praedictarum, non possit data opera, et ex professo cum aliis loqui. Insuper ii praesertim, qui cum aliqua ex praedictis, aut coram ipsis, tam in Monasteriis, quam Conservatoriis, seu Collegiis commorantibus, de rebus obscoenis, per verba, aut actus impudicos, praesentes egerint, absentes vero per litteras, aut internuncios. Necnon viri, aut mulieres, sive intra, sive extra Monasterii, vel Conservatorii, aut Collegii claustra, ac septa, qui praedictas litteras, vel mandata detulerint.*

21. *Quaenam comprehendantur hoc Casu?*

In prima parte Casus prohibetur locutio quaelibet, etiamsi de honestis rebus cum qualibet Moniali vel Conversa, vel Novitia, vel cum qualibet muliere commorante ex quacumque causa in Monasterio. In secunda parte interdicitur locutio, vel tractatus de rebus inhonestis, et turpibus cum iisdem, vel coram ipsis in Monasteriis degentibus; sicut etiam cum, vel

---

3. Videat an intercesserit pactum cum Daemone: quaenam promiserint: qua sollemnitate pactum initum fuerit. An pactum fuerit, ut negaretur Deus, Christus, Sacramenta, et Daemoni latriae cultus exhiberetur. Quod si error non sit ei tantum in externa confessione hujusmodi rerum, sed et in mente, tunc est haeresis quoque reus.

4. Confessarius interroget: qualia, quot maleficia perpetrata sint; quaenam damna evenerint, ut restitutio fiat; ut signa maleficii, quibus damnum fuit illatum, aut illaturum, tollantur, si possint tolli.

(1) Hoc intelligendum videtur de monasteriis positis sub regimine alicujus Ordinis religiosi Praelati, puta sub regimine Provincialis Ordinis Franciscani, Carmelitani etc.; vel de Monasteriis immediate Sedi Apostolicae subjectis.

coram aliqua in Conservatoriis, seu Collegiis commorante; et etiamsi per internuncium, vel per epistolam hoc fiat; quin etiam eodem Casu comprehenduntur latores harum epistolarum, vel hujusmodi internuncii; sive viri, sive mulieres, sive extra, sive intra septa Monasterii, Conservatorii etc. commorentur.

22. *Quinam incurrunt in hunc Casum?*

Quoad primam partem Casus incurrunt omnes illi, qui sine licentia legitima loquuntur cum Moniali, vel cum una de supra expressis, quamvis Moniali non respondente (1); etiamsi per signa (2), aut per interpretem aut ex loco distanti a monasterio, puta si ex fenestra loquantur. Quoad secundam partem Casus omnes incurrunt, qui loquuntur obscoena, vel actus inhonestos agunt cum, vel coram moniali aut alia in monasterio degente, aut in Conservatoriis seu Collegiis: uti supra dictum est. Item eadem obscoena perpetrantes per litteras, aut internuncium. Necnon latores ejusmodi litterarum aut internuncii.

23. *Quinam loquentes de rebus honestis cum istis in Casu expressis excusantur ab hac reservatione?*

1. Conjuncti in primo vel secundo gradu consanguinitatis (3); 2. qui nondum expleverunt annum decimum quartum: sicut non comprehenduntur in aliis Casibus in Neap. Dioecesi reservatis, ita in isto. Praeterea ex DD. excipiuntur mulieres. Item loquentes ad breve tempus: quod, omissis variis DD. opinionibus, communior, et sanior sententia determinat ad paucula verba, nempe decem usque, urbanitatis

---

(1) Diana contrarium sentit. Ciera Diss. 6. quaest. 1. n. 13. 15. 16. An cum Priorissa, Abatissa, quaestio. Ciera cum aliis dicit, incurri in Casum: D. Ligorius negat.

(2) Dicit Mazzotta probabile esse non incurri, quia poenae sunt restringendae ad proprie loquentes.

(3) An conjuncti in secundo, et tertio gradu consanguinitatis excipiantur ab hoc Casu, quaestio. Ciera cum aliis affirmat; quia favores ampliandi sunt. D. Ligorius negat Lib. VII. de Censuris cap. 2. De excomm. n. 234; quia gradus tertius dicitur secundus relate ad stipitem, relate ad colloquentes dicitur tertius.

gratia (1). Denique excusantur, qui metu gravi coacti loquuntur (2).

24. *An Regulares, et peregrini loquentes cum istis in prima parte Casus expressis incidant in casum?*

Quoad Regulares litigant DD., utrum possint hoc in casu plecti censura ab Episcopo. At D. Ligorius cum aliis docet, illos Regulares incidere in hunc Casum, qui non gaudent speciali privilegio, quo non possunt excommunicari vel suspendi ab Episcopo (3). Nam Episcopus in hoc casu procedit tam-

---

(1) Aliqui dicunt breve tempus esse horae quadrantem, alii quantum durat psal. *Miserere*. Certum est ex declaratione S. Congregationis approbata a Clemen. IX. 11. maji 1669, mortaliter peccare Regulares loquentes per horae quadrantem. Aliqui putant, quibus videtur adhaerere Ciera loc. cit. n. 10., posse loqui ex aliqua urgenti causa, non permittente tempore Superiorem adeundi: puta si grave incendium immineat; si de Monasterio egredi tentant Moniales, et posset quisque admonere, deprecari etc. ne exeant. De alia quacumque honesta vel spirituali causa communior sententia negat.

(2) In secunda parte hujus Casus comprehenduntur etiam mulieres, consanguinei; et etiam illi, qui sunt ad id metu gravi coacti; necnon colloquentes, vel in Casu expressa perpetrantes eum, vel coram moniali, aut quavis muliere, vel puella commorante tam in Monasteriis, quam in Conservatoriis seu Collegiis, etiamsi verba sint pauca, aut signum aliquod etc. ex eadem Synodo Pign. p. 4. c. 7. n. 4. Item illi, qui habita licentia colloquendi loquuntur de obscoenis, vel inhonestos tractatus agunt. Tandem peregrini comprehenduntur ex Ciera cum aliis; quia ob delictum subjiciuntur legi territorii, in quo committitur delictum: quod omnibus DD. compertum est. Illi, qui detulerint epistolas, vel mandata, tunc incurrunt, quando ista perveniunt in manus ejus, ad quam missa sunt. Nam requiritur delictum completum, et consummatum in suo genere, ut incurratur poena inflicta. Vella App. 2. de Casibus reser. cas. 5. n. 7. Extra dubitationis aleam positum est, aliquos sacros feminarum recessus vulgo dictos *Ritiri*, non comprehendi in hac Casus reservatione; quia non sunt Conservatoria, seu Collegia.

(3) Uti Mendicantes, et Religiosi Societatis Jesu ex Bulla Pauli III. At Ciera adhaeret sententiae eorum, qui affirmant, Regulares incidere ex pluribus decretis S. Congregationis. Diss. 6. quaest. 3. n. 26.

quam Sedis Apostolicae delegatus, non jurisdictione ordinaria: ex Tridentino sess. 25. de Regul. et Moni. cap. 5.

Quoad peregrinos etiam hinc inde dividuntur Theologi ex diversitate opinionum obligantium ad leges territorii, ubi morantur. Attamen Ciera negat, incurrere ex hac prima parte in Casum. D. Ligorius affirmat, peccare peregrinos, sed non incurrere excommunicationem hanc reservatam, ut eruit ex Bulla Benedicti XIV. *Gravissima*, edita die 31. Octob. 1749. Nam ex ista Bulla peregrini subjiciuntur statutis Ordinarii loci, quoad auctoritatem directivam, non quoad coactivam (1). Idem dicendum ex eodem D. Lig. de Episcopis alienae Dioecesis colloquentibus cum Monialibus, etc.: etsi alii contrarium sentiant, apud de Majo.

25. *Incurruntne in hunc Casum, illi, qui habita licentia loquendi cum aliqua*, data opera, et ex professo *loquuntur cum aliis?*

Si isti licentiam loquendi cum aliqua petierunt eo animo, ut possint postea cum aliis loqui; vel ex proposito voluntatis incumbunt ad colloquendum cum aliis, vel totum tempus insumunt in colloquendo cum aliis, incurrunt quidem, ut expresse habetur in Ca-

---

Regulares non possunt Moniales sine licentia alloqui ex decreto S. C. jussu Xysti V. Concessum tamen eis fuit alloqui Moniales sibi conjunctas in primo, vel secundo consanguinitatis gradu ex licentia Episcopi loci per quator vices ad summum quolibet anno: id vero extra Adventum, et Quadragesimam, feriam sextam, Sabbatum, vigilias, et dies festos. Obtenta autem licentia debet tradi Confessario Ordinario Monasterii, et esse penes eum: qui debet associare, et adesse cum solitis auscultatricibus dum Regularis alloquitur die, et hora certa. Ex decreto S. Cong. 20. Nov. 1623. jussu Urbani VIII. At docet D. Ligorius, nunc posse licite Regulares accedere toties, quoties ad colloquendum cum monialibus ex licentia Episcopi ex decreto S. C. 26. Nov. 1682, et Bulla *Gravissima* Benedicti XIV. edita die 31. Octobris 1749. Nam omnia praecedentia decreta dicit in desuetudinem abiisse. Lib. 7. n. 232.

(1) Lib. VII. de Censuris, cap. 2, n. 242. in fin.

su : *Declarantes , quod qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua praedictarum, non possit data opera, et ex professo cum aliis loqui.* Secus vero, si fiat per accidens.

CASUS VI. *Omnes in causa criminali , aut civili cum gravi damno alterius falsum deponentes, aut deponendum curantes , necnon inducentes ad falsum deponendum , falsisque testibus , depositionibus , instrumentis , scripturis , tam publicis , quam privatis, quomodocumque utentes , directe , vel indirecte , in quavis Curia Civitatis , et Dioecesis Neapolitanae. Item quicumque falsum aliquod impedimentum Matrimonii dolose objecerint : necnon consilium, vel auxilium ad illud dolose objiciendum dantes.*

26. *Quinam comprehendantur in hac prima parte Casus ?*

Deponentes , aut inducentes sive consilio, sive favore, sive mandato, sive alio quocumque simili modo ad falsum deponendum cum gravi damno alterius (1) in causa criminali , aut civili , in quavis Curia Civitatis , et Dioecesis Neapolitanae. Item directe vel indirecte utentes falsis testibus, depositionibus, instrumentis , scripturis tam publicis , quam privatis. Denique dolose objicientes falsum aliquod impedimentum matrimonii ; et dantes consilium , vel auxilium ad dolose hoc impedimentum objiciendum.

27. *Quaenam dicatur causa criminalis , quaenam civilis ?*

Causa dicta a Casu , est origo , seu materia negotii nondum discussa : quae dum proponitur, causa proprie dicitur ; dum discutitur , judicium ; dum finitur , justitia (2). Causae dividuntur in Ecclesiasticas : quae ad judices Ecclesiasticos pertinent ; in saeculares : quae judicibus saecularibus competunt. Hae causae tam Ecclesiasticae , quam saeculares dividuntur in criminales , civiles , et mixtas. Civiles , quae utilitatem Partis respiciunt vel ratione contractus, vel

(1) Quod quidem damnum debet reapse sequi.
(2) Cap. *Forus* , 10. de Verb. signif.

alio capite; criminales, quae reo infligendam poenam propositam habent; mixtae, quae contra reum aguntur ad publicam vindictam sumendam, et ad interesse privatum accipiendum. Quoque modo considerata causa comprehenditur in Casu hoc.

28. *Quotuplici modo haberi possit depositio adversus aliquem?*

Sequentibus: accusatione, denuntiatione, et testificatione. Accusatio est criminis delatio, et persecutio usque ad sententiam (1). Denuntiatio est delatio rei, seu criminis per actorem non suscipientem onus probandi (2). Testificatio est assertio illa, quam testis in judicio confirmat juramento. Hinc ut in Casum istum incurratur, 1. requiritur denuntiatio judicialis, aut canonica; quia Evangelica, seu charitativa, non pertinet ad causam civilem, aut criminalem. 2. Requiritur testificatio jurata; quia testibus sine juramento ex jure non habetur fides, neque isti ad judicium admittuntur. 3. Persecutio accusationis usque ad prolationem sententiae; quia qui accusavit, et postea non persequitur, vel impedit persecutionem, non dicitur accusator ex jure, ut supra. His modis adjungitur etiam confessio rei, quae in jure appellatur depositio, et est vel pro se, vel contra se. Ideoque hac etiam ratione reus deponendo falsum, incurrit in Casum.

29. *Quonam modo quis possit inducere aliquem ad falsum deponendum, ita ut incidat in Casum?*

Quovis modo, sive directo, sive indirecto quis incitaverit: uti hortatu, precibus, provocatione, improperatione, sponsione, magis autem mandato, con-

---

(1) Qui enim ante sententiam quievit, utique non accusavit, dicit Ulpianus L. *Qui enim*, 14. ff. de bonis libert. *accusasse.*

(2) Denuntiatio potest esse judicialis: qua nempe crimen judici legitimo defertur, ut per potestatem legitimam reus compellatur. Canonica, quae fit ex canonum statutis, ad avertendum, vel impediendum damnum; praesertim spirituale. Evangelica, quae fit ad rei emendationem.

silio; dummodo reapse verificetur, et adsit inductio ad hoc crimen perpetrandum.

30. *Quodnam debeat esse damnum alteri allaturum, ut grave habeatur in hoc Casu?*

Non conveniunt DD. in definiendo quantitatem damni gravis. At ex communiori, et saniori sententia damnum grave requisitum hoc in Casu determinatur pro pauperibus ad decem aureos, et pro divitibus ad quinquaginta. Idque innititur praxi Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae: quae non publicat excommunicationem, nisi ob damnum aureorum saltem quinquaginta a divitibus passum; et ob damnum pauperis, quod aliquando respondet aureis decem, aut viginti, aut triginta (1). Hoc damnum grave non solum intelligitur in bonis fortunae, sed etiam in illis, quae afficiunt corpus, aut famam (2).

31. *Estne obnoxius huic excommunicationi reservatae reus ille, qui ad evitanda graviora, et diuturna tormenta, confitetur falsum crimen sibi injuste impositum?*

Lessius docet istum graviter non peccare; quia mendacium non est sibi, nec aliis perniciosum; cum non teneatur conservare vitam tanto suo gravissimo incommodo. Alii vero oppositum sentiunt (3). At certum videtur, ejusmodi reum non incurrere, si tantum sibi ipsi, non alteri ex sua falsa confessione grave damnum afferatur; quia in Casu requiritur grave damnum alterius (4).

32. *Quid significat dolose objicere, seu opponere falsum impedimentum matrimonii, ut in Casum istum reservatum incurratur?*

Quando dolo falsum impedimentum matrimonii ob-

---

(1) Genuense in sua praxi Curiae Archiepis. Neap. cap. 1. n. 3.

(2) Ciera loc. cit. dissert. VII. n. 14. extendit etiam ad damnum Reipublicae, seu justitiae legali allatum ob impunitatem delicti.

(3) Si vero mors istius afferret aliis damnum, graviter peccaret sic mentiendo.

(4) Vella loc. supr. cit. quaest. 6.

jicitur, ne contrahatur matrimonium. In jure dicitur agere cum dolo, cum ex plena scientia, aut saltem ignorantia industriosa, seu affectata, juris, et facti, aliquod malum perpetratur. Hinc qui ex ignorantia etiam crassa, et supina nescierit legem graviter prohibentem falsam objectionem impedimenti matrimonii, vel poenam gravem a lege impositam pro isto crimine; aut crasse, et supine ignoraverit impedimentum objiciendum esse falsum, minime incidit in hoc reservatum. Et a fortiori, si hoc egerit per imperitiam, vel rusticitatem, vel casu, vel adductus justis, aut falsis rationibus, non incidit.

Hinc aliqui casus ad praxim spectantes colliguntur.

1. *An incidat in hanc reservationem, qui alium inducit ad verum deponendum, quod hoc esse verum deponens ignorat, seu prudenter certus non est de veritate rei deponendae?*

Cum certo illicitum sit inducere aliquem ad hujusmodi depositionem, graviter quidem peccat inducens, ob peccatum deponentis contra justitiam legalem commissum, et contra Religionem, si depositio sit jurata. At in Casum reservatum ex hoc non incurrit iste inducens; quia ad verum, non ad falsum inducit deponendum (1). Idem dicendum de scriptura; et de aliis in Casu expressis.

2. *Quid si quis inducat ad deponendum revera falsum, sed deponens putat esse verum, et ex hac depositione grave damnum alteri afferatur?*

Iste graviter peccat, et incidit in reservatum. Nam ad incurrendam hanc reservationem requiritur falsitas, et grave detrimentum alterius, ac dolus. At hoc habetur; proindeque incidit in reservatum.

3. *Qui vero habet jus in aliqua re, et, ut eam assequatur, debet probare per aliquam circumstantiam*

---

(1) Nam qui intendit occidere clericum, et occidit laicum, iste, etsi graviter peccet, tamen excommunicationem non contrahit latam contra clerici percussorem; quia revera non committit illud crimen, cui haec poena est adnexa.

falsam (1), *an in Casum hunc incidat inducendo alium ad deponendum hanc circumstantiam falsam, quam veram iste deponens existimat?*

Litigium inter graves Theologos. Ideoque qui sentiunt licere, negant incurri in Casum hunc reservatum; quia deest peccatum saltem grave, necessarium ad incurrendam reservationem. Qui defendunt, non esse licitum, consequenter docent incidi in hanc reservationem (2). At mihi videtur iste non incidere in Casum; quia cum jus habeat, nulli injuriam facit, nec damnum infert; ideoque, etsi peccet, tamen deest grave damnum alteri illatum, quod utique requiritur a statuto Casus reservati.

4. *An incidat in hanc reservatam excommunicationem testis juratus* (3) *dicens: se nescire, quod revera scit?*

Acerrima inter Theologos quaestio agitatur. Alii dicunt, testem hujusmodi peccare etiam contra justitiam commutativam, et ad restitutionem damni teneri (4). Alii negant, peccare contra justitiam commutativam, sed tantum contra justitiam legalem, et Religionem, et contra charitatem, nisi gravissimum incommodum excuset; proinde nullam dicunt oriri obligationem restitutionis. Ex sententia priorum incidit iste in hanc reservationem; ex aliorum vero non incidit: quia cum desit culpa contra justitiam commutativam, non oritur obligatio restitutionis; ac proinde, non habetur crimen ex hoc Casus statuto requisitum. Prima sententia communior; secunda

---

(1) Ex. gr. Titius habet jus ad aliquam rem ex contractu, at testis, seu deponens censet hoc jus esse ex testamento; an sit licitum inducere testem ad deponendum illam rem deberi ex testamento.

(2) Lege Ciera dissert. 7. quaest. 1.

(3) Testis juratus, scilicet, qui jurat coram judice se dicturum veritatem.

(4) Ad hoc Sanchez etiam obligat testem se abscondentem de industria, ne a judice citetur, quando judex vult citare; aut dolose eludentem citationem acceptam, ne comparcat; aut postquam iste testis comparuit, ne interrogetur.

verior ex Ciera cum aliis : quibus adhaeret D. Ligorius (1).

5. *Utrum reus juridice, seu legitime interrogatus a judice incurrat in hunc Casum, si celet veritatem?*

Si reus celet veritatem tacendo, aût aequivocando, secundum communiorem sententiam non incidit in hanc reservationem; quia non deponit falsum. Si vero per apertum mendacium celet veritatem, quando tenetur manifestare, scilicet cum judex legitime interrogat; et adest damnum, ac dolùs requisitus in hoc Casu, tunc certo incurrit in Casum (2).

6. *Illigaturne hac reservata excommunicatione ille, qui debebat alicui quincentos aureos, et centum eidem restituit sine scriptura, vel testibus: interrogatus a judice de tota summa quincentorum negat se debere huic petenti quincentos?*

Si dicat, se nihil debere, peccat, et illigatur hac reservata censura; si dicat, se non esse huic debitorem in quincentis; non peccat, neque illigatur hac reservatione; quia non deponit falsum. At si absolute negat, se debere quincentos, tunc digladiantur Theologi. Alii docent, peccare, et illigari hac reservata excommunicatione; quia deponit falsum: cum enim summa minor in majori contineatur; hic profecto negando absolute summam majorem, negat minorem; ideoque deponit falsum. Alii sentiunt, non peccare, neque illigari reservata excommunicatione;

---

(1) Lib. 4. n. 270. dub. 3.

(2) Dicitur judex legitime interrogare, quando procedit vel via accusationis : in quo requiritur, ut praecedat infamia, aut plena probatio per unum testem omni exceptione majorem, aut denique praecedant indicia manifesta. Vel procedit via inquisitionis, aut denuntiationis : in quo requiritur regulariter, ut infamia probata per duos testes praecedat. Aliquando extraordinarie procedendo non requiruntur supradicta: idque accidit, quando est avertendum damnum imminens; quia tunc judex potest inquirere nulla infamia praecedente. Reus itaque tunc tenetur judici manifestare veritatem, quando certo constat, judicem legitime interrogare.

quia positio illa affirmativa: nempe, *debeo quincentos*, est falsa; ergo negativa contraria est vera. Ita sentiunt Ciera, Januarius cum aliis. Merlinus etiam refert, decisum esse Neapoli a S. R. Consilio, junctis Aulis: *quemque rogatum de majori summa, non teneri de minori summa judici respondere.* Sic dicito de aliqua portione fundi, vel de diversitate rei.

At reus iste ex alio capite posset peccare: si absolute neget, ne cogatur solvere alteri partem illi vere debitam; aut si hoc faceret causa alterius fraudis; aut si ad cogendum actorem, ut probet partem esse ei debitam. Ita ex Ciera loc. cit. n. 56.; sed in hisce circumstantiis non incidit in hanc reservationem.

Secunda pars istius sexti Casus. *Falsificantes etiam cum gravi damno alterius, vel corrumpentes falso, aut quae falsum continent, conficientes Apochas, Syngraphas, vulgo* Fedi di Credito, o Polize notate in Fede, *sive instrumenta, Processus, aut scripturas publicas, et aut scienter his utentes, necnon mandantes, aut cooperantes.*

33. *Quid includitur in hac secunda parte Casus?*

Falsificatio, corruptio, falsa confectio apocharum, aut syngrapharum, vel falsorum instrumentorum, processuum, cum gravi damno alterius. Item usus eorum ex plena scientia falsitatis; necnon jussio, vel cooperatio, sive consilium, sive consensus, auxilium, et simile ad supradictum crimen.

34. *Quid si quis vera scriptura deperdita, in qua verum debitum continebatur ab alio consequendum, novam conficiat similem scripturae deperditae, inciditne in reservatum conficiendo hujusmodi scripturam, vel cum utatur ea?*

Litigium inter DD. At ex saniori sententia, etsi peccet ob detrimentum fidei publicae allatum (1);

---

(1) An peccet graviter, vel leviter, etiam litigant DD. Legesis Ciera, dissert. 7. quaest. 5. n. 65. At vero ex ultima parte hujus Casus, quam mox enodabimus, incidunt in

tamen minime incidit in hoc reservatum; cum nullum damnum alterius habeatur, quod praesens Casus requirit.

Tertia pars Casus. *Similiter praesentantes falsum, fictum, aut fiduciarium Patrimonium, aut quomodolibet fraudulentum, pro Ordinibus suscipiendis, etiam pro prima Clericali Tonsura: necnon constituentes, consulentes, aut quomodolibet concurrentes, sive cooperantes. Declaramus autem, quod Clerici praesentantes, quando ab excommunicatione absolvuntur, remanent ab exercitio susceptorum Ordinum suspensi: quam suspensionem nullus, nisi Nos personaliter, constituto reali Patrimonio, et causa discussa, relaxare valeat.*

35. *Quinam illigantur reservatione in hac tertia parte Casus?*

Praesentantes falsum, fictum, vel fiduciarium Patrimonium, aut quomodocumque fraudulentum, pro Ordinibus suscipiendis, etiam pro prima tonsura. Item constituentes, consulentes hujusmodi Patrimonii praesentationem, aut quomodolibet cooperantes, vel concurrentes.

36. *Quid venit nomine Patrimonii falsi, ficti, vel fiduciarii?*

Patrimonium fictum, vel falsum idem est, ac patrimonium nullum: quando nimirum fingitur Patrimonium per aliquam scripturam legalem constitutum, quod tamen reapse non constituitur. Fiduciarium vero dicitur, quando Patrimonium Clerico assignatur cum pacto illud idem restituendi post susceptos Ordines.

37. *Poena suspensionis Clericis Patrimonium fictum, falsum etc. ab hujus Casus statuto inflicta estne specialis mentionis, ita ut, qui habet facultatem a reservatis absolvendi, non possit ab hac suspensione absolvere?*

---

reservationem actuarii, subactuarii, scribae, notarii, qui si dicta testium deponentium hanc scripturam non esse veram, authenticam, opposita, seu contraria scribant; quia legalis justitiae detrimentum adest.

Isthaec poena, uti a jure communi lata pro hujusmodi crimine (1), non est reservata; proindeque ex communi DD. sententia a quovis Confessario potest absolvi. At ex Casu hoc sexto nostrae Dioecesis expresse declaratur, hanc suspensionem esse reservatam, et quidem specialis mentionis; ideoque a nemine potest absolvi sine speciali facultate ad hoc concessa (2).

Quarta pars Casus. *Praeter hoc, Actuarii, Subactuarii, Notarii, Scribae, qui cum alterius Partis offensione, aut Reipublicae aut legalis justitiae detrimento, dolose auctam, vel diminutam informationem capiunt, et sic dicta testium scribunt; ac Nuncii, Cursores, aut alias nuncupati, qui in grave tertii praejudicium falsum in acta referunt.*

38. *In hac quarta parte Casus quid reservatum remaneat?*

Delictum patratum ab Actuariis, sive Subactuariis, aut Notariis, vel Scribis, qui facti informationem capiunt auctam, vel diminutam (3): item falsa relatio in Actis a Porteriis, vel Cursoribus facta.

39. *Quid requiritur a Casu, ut isti hoc crimen perpetrantes incidant in reservatam excommunicationem?*

---

(1) Can. *Neminem*. Distinct. 70.: et innovata a Trid. Sess. XXI. de Reformat. cap. 2. juxta accuratiorem sententiam.

(2) Si quis Beneficium, vel pensionem, ad cujus titulum fuerit ordinatus, resignet, alienet, extinguat, non subrogato alio titulo de licentia Ordinarii, incurrit ipso facto in Dioecesi Neapolitana in suspensionem ab exercitio Ordinis non reservatam ex Synod. Pignat. part. 2. cap. 8. n. 9. Alienatio patrimonii nullis poenis *ipso facto* est obnoxia. Renuntiatio beneficii, patrimonii, sine substitutione alterius tituli est nulla. An in suspensionem inflictam a jure communi incidat, qui Ordinem suscepit sine patrimonio vel beneficio, quaestio inter DD. Sicut etiam litigant DD. utrum in hanc suspensionem a Tridentino comminatam sess. XXI. cap. 2. incurrat ordinatus cum ficto patrimonio. Vide D. Lig. lib. 6. n. 820. 821.

(3) Idest non capiunt informationem, ut revera est.

Requiritur: ut id dolose faciant; 2. ut testium dicta, seu depositiones, dolose aucta, vel diminuta scribant; 3. ut in hoc occurrat alterius Partis, seu tertii, offensio, aut detrimentum justitiae legalis. Quoad Porterios vero requiritur, ut in grave praejudicium alterius falsa referant in acta (1).

40. *Quomodo intelligendum illud*: cum alterius partis offensione, aut cum Reipublicae, vel justitiae legalis detrimento?

Declarantur praedictum crimen perpetrantes tunc in Casum incurrere, quando gravis offensio affertur alteri Parti, idest adversae; aut grave crimen impunitum relinquitur ex facti capta informatione dolose aucta, vel diminuta.

41. *Quid indicent illa verba*: in grave tertii praejudicium?

Indicant, adhiberi rem, et actionem, quae ex sua natura affert alteri grave praejudicium, seu damnum; licet per accidens postea non sequatur. Atque in hoc consistit discrimen hujusce partis a statuto alterius partis Casus, ubi dicitur: *cum gravi damno alterius*. In prima enim parte debet damnum revera esse secutum, ut incurratur Casus; in hac ultima parte sufficit, ut ponatur actio, vel res, ex qua damnum grave sequi debet, etiamsi postea reapse non sequatur (2).

---

(1) Cum a Casu requiratur *grave praejudicium alterius*, haec gravitas eodem sensu debet intelligi, quo definita est gravitas damni in prima parte hujus Casus n. 30.

(2) Cuniliati in App. 1. ad Sacram. Poenit. cap. 4. §. 2. Deinde ex Ciera advertendum est: in singulis hujus Casus VI. partibus requiri dolum aut expressum, aut tacitum. Expressus, in his partibus, in quibus apponitur particula *dolose*, vel *scienter*; tacitus, in quibus exigitur damnum. Nam damnum non potest dari sine injuria; at non potest dari injuria sine dolo. Hinc colligitur ex citato Auctore: illam ignorantiam, quae excusat a reservatione in illis Casus partibus, in quibus expresse exigitur dolus ad incurrendam reservationem, eamdem excusare in aliis Casus partibus, in quibus requiritur damnum; quia dolus, et scientia pro eodem in jure accipitur. Diss. 7. n. 3.

Casus VII. *Confessarii omnes, etiam Parochi, ad inhonesta personam quamcumque, sive in actu Confessionis, sive ante, vel post immediate, aut praetextu, vel occasione Confessionis, etiam Confessione non sècuta, vel extra Confessionem in Confessionalibus, sollicitantes, aut quomodolibet cum iisdem impudice tractantes. Respectu Regularium vero censuram suspensionis ab audiendis Confessionibus, quam ipso facto incurrunt, nobis tantummodo reservamus.*

42. *Quid continet hic Casus septimus?*

Summa hujusmodi Casus est, quod Confessarii sollicitantes, vel quomodocumque impudice tractantes sive in actu Confessionis, sive immediate ante, vel post Confessionem, aut praetextu, aut occasione Confessionis, etiam Confessione non secuta; vel extra Confessionem in Confessionalibus sollicitantes, incidant in excommunicationem reservatam, si sint Saeculares; si Regulares, in suspensionem *ipso facto* ab audiendis Confessionibus, etiam Ordinario reservatam (1).

43. *Quaenam requirantur, ut quis incidat in hanc reservatam censuram?*

Tria: 1. ut sollicitans sit Confessarius, etiamsi Parochus; 2. ut sollicitet aliquam personam ad inhonesta, vel cum eadem quomodocumque impudice tractet; 3. ut hoc crimen fiat in capitibus, seu circumstantiis supra expressis. Hinc in hunc Casum non incurrit Sacerdos non Confessarius, qui se pro Confessario exhibens, ad inhonesta sollicitat, vel impudice tractat in circumstantiis expressis. Nam requiritur a Casu statuto, ut sit Confessarius (2). Hinc itaque est, quod

---

(1) Lege in Tractat. de Peccatis explicationem capitum sollicitationis, n. 196. in nota 2., et idem intellige de hoc Casu. Heic clarius exponimus quid sibi velit praetextus confessionis. Praetextu confessionis dicitur facta sollicitatio, quando Confessarius falso ad confessionem invitat, ut sollicitandi opportunitatem habeat. Vide Felicem Potestà tom. 2. p. 3. cap. 7.

(2) Ex Ciera Sacerdos, qui cum titulo colorato, et errore communi, se pro Confessario exhibens, sollicitat, inci-

cum litigent DD. utrum Confessarius sollicitationi poenitentis in actu Confessionis solummodo (1) assentiens, incidat in poenam denuntiationis , etiam est quaestio an ejusmodi Confessarius incidat in hunc Casum reservatum. Nam si non est reus sollicitationis, ne obnoxius quidem est huic reservationi. Quisque autem pro sua sententia sit.

44. *Quomodo intelligatur haec suspensio inflicta in Regulares sollicitantes , vel inhoneste tractantes in praedictis circumstantiis , seu capitibus ?*

Haec suspensio ab audiendis Confessionibus inflicta in Regulares sollicitantes etc. , est vera censura, non simplex jurisdictionis , et approbationis negatio; ideoque nec in Dioecesi Neapolitana, nec in alia, nec in propria Religione pro Regularibus sui Ordinis, excipi confessiones possunt ab hujusmodi Regularibus suspensis , nisi prius absolvantur. Hanc enim censuram Ordinarius infert tamquam delegatus a Summo Pontifice : uti ex Bulla Gregorii XV. (2) ; et potest per legem generalem censuram statuere ipso facto incurrendam (3).

Casus VIII. *Pariter Confessarii omnes , etiam Parochi , attentantes praedictas personas , et quascumque alias , cum quibus , extra antedictos casus , quomodolibet impudice versati fuerint , a peccatis , quorum ipsi complices sint , nulliter absolvere : qui*

---

dit ; quia vera facultate Confessarii potitur. At quia poenae sunt restringendae , minime censeo in hunc Casum incurrere.

(1) Si vero allectus sollicitatione poenitentis postea inhoneste tractet , vel postea ipse etiam sollicitet, certe incidit in hunc Casum , sicut in poenam denuntiationis. Nam habetur ex parte sua inhonesta tractatio , vel sollicitatio.

(2) En verba Bullae : *Et praeterea omnes haereticae pravitatis Inquisitores , et Locorum Ordinarios omnium Regnorum specialiter , et perpetuo judices delegamus.*

(3) Legesis Ciera dissert. 8. n. 3. et 4. Regula sit : in omnibus illis casibus , in quibus Confessarius sollicitans est denuntiandus juxta Gregorianam Bullam, est pariter obnoxius huic reservationi , excepto capite *in loco electo, vel eligendo etc.* qui non recensetur in hoc reservato.

omnes, etiam Regulares, etiam in censuram suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto incidunt, Nobis tantummodo reservamus.

45. *Quinam comprehenduntur hoc Casu?*

Omnes Confessarii, etiam Parochi, qui nulliter absolvunt: seu attentant nulliter absolvere personas a se sollicitatas, vel quascumque alias, cum quibus impudice tractaverint: scilicet quando absolvunt impudica peccata, quorum ipsi complices fuerint.

46. *Quaenam poena reservata Ordinario Neapolitano illigantur hujusmodi Confessarii?*

Si sunt Saeculares, illigantur suspensione ab audiendis Confessionibus, et probabilius etiam excommunicatione; si Regulares, tantum suspensione ab audiendis Confessionibus (1).

47. *An quis habens generalem facultatem ab Ordinario absolvendi a Casibus reservatis, possit absolvere suum complicem?*

Supervacaneum est disserere de hac quaestione, cum sapientissimus Benedictus XIV. in sua Const. *Sacramentum Poenitentiae* statuerit hunc Confessarium in absolvendo suum complicem esse omni jurisdictione spoliatum, et nunquam hac jurisdictione potiri, etiam privilegio Bullae Cruciatae, vel Jubilaei: ita ut sit omnino reprobatus quoad absolvendum complicem in peccato turpi (2).

---

(1) Haec vero suspensio quoad Regulares videtur esse sola poena, non censura; quia in hoc Ordinarius non procedit tamquam delegatus Apostolicus, sicut procedit in Casu antecedente, nempe contra sollicitantes. Et hoc colligi posse censeo ex Const. *Superna* Clement. XI., qua tribuitur facultas Episcopis suspendendi Regulares ab ipsis approbatos a confessionibus audiendis, ubi cum scandalo, aut alias inhoneste vivant, aut aliud aliquod committant delictum. Hinc sequitur, Episcopos posse suspendere Regulares a jurisdictione ab ipsis concessa, non vero suspendere, ferendo scilicet censuram suspensionis ab audiendis ubicumque confessionibus.

(2) Hoc intelligitur, quando hoc peccatum complicitatis est materia necessaria confessionis. Tract. de peccat. n. 219.

48. *Illata excommunicatione a Summo Pontifice Benedicto XIV. contra absolventes complicem in peccato turpi post emanatam excommunicationem, et suspensionem a nostra Synodo Neap.* (1), *an attentantes nulliter absolvere complicem hujusmodi illigantur duplici hac excommunicatione?*

Litigant DD. At vero D. Ligorius (2), et Ciera cum aliis sentiunt idem delictum perpetrantem duplici posse censura ligari a diversis inflicta. Sicut etiam non conveniunt DD. an ablata excommunicatione Pontificia per legitimam absolutionem, remaneat excommunicatio Episcopalis. Navarrus negat (3). D. Ligorius, Ciera cum aliis affirmant (4).

Casus IX. *Incestus cum conjunctis in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis. Mulieres autem, si vere sint poenitentes, a quocumque Confessario a Nobis approbato absolvi possunt, gravi tamen imposita poenitentia salutari; et dummodo occasio proxima facta sit salutaribus mediis moraliter remota.*

49. *Quaenam est materia hujus Casus?*

Est incestus (5) inter consanguineos, aut affines in primo, vel secundo gradu (6).

50. *Qualis debeat esse hujusmodi incestus, ut in hanc reservatam excommunicationem incurratur?*

Debet esse incestus completus, et in sua specie consummatus inter veros consanguineos, et affines: nempe ille incestus, qui habetur per copulam naturalem, seu per seminis effusionem intra vas natura-

---

(1) Synodus Neapolitana emanavit has censuras reservatas anno 1726. Constitutio *Sacramentum Poenit.* fuit edita anno 1741.

(2) D. Ligorius lib. 7. de censuris Ecclesiast. et Irregul. cap. 1. n. 28. Ciera, diss. 1. quaest. 17. n. 146.

(3) In suo Manuali cap. 27. n. 260.

(4) Ligorius, L. cit. et Ciera ibid.

(5) Quid incestus, vid. in Tract. de peccatis n. 165.

(6) Hinc inter patrem, filiamque, avum, neptemque, fratrem, et sororem; sicut inter novercam et privignum, nurum et socrum etc.

le, ita quidem ut fiat per seminum viri, et mulieris commixtionem una caro. Hinc alii actus turpes, etiam copula sodomitica incestuosa, non comprehenduntur in hoc Casu; quia odia restringi debent, etc.

51. *Cujusmodi debeant esse affines, ut in hanc excommunicationem incidant?*

Debent esse veri affines: scilicet conjuncti vera affinitate, aut orta ex copula licita, aut ex copula illicita (1). Ideoque affines ex cognatione spirituali, vel legali non comprehenduntur in hoc Casu; quia debet affinitas intelligi in sensu strictiori, non latiori (2).

52. *Quid si quis nesciens foeminam esse sibi affinem, vel consanguineam, cum ea carnalem habeat copulam?*

Iste in hunc Casum reservatum non incidit; quia ignorantia facti excusat a malitia incestus. Sicut enim ex cap. *Si quis* 2. de eo, qui cognovit, poena privationis debiti non imponitur conjugibus, nisi scienter incestum commiserint cum consanguineis alterius Compartis; sic haec reservatio, et excommunicatio non incurritur, nisi ab illis, qui scienter carnaliter commiscentur cum consanguineis, vel affinibus (3).

---

(1) Hinc e. g. qui habuit copulam cum foemina, quam carnaliter cognoverit suus frater; aut qui habet copulam cum Seja, et postea cum sorore Sejae, incidit in hanc reservatam excommunicationem; quia veram affinem carnaliter cognoscit, seu verum incestum committit: etsi alii contrarium sentiant.

(2) Adi Vella in Oper. pluries cit. App. 2. in IX. cas. quaesi. 1. pag. 158.

(3) Juxta Quarto de casibus reserv. Sect. 1. Difficult. 4. dicitur non incurrere in hanc reservationem, qui perpetrant hoc crimen ex ignorantia juris, nempe ignorando hujusmodi copulam cum affinibus esse incestuosam; quia dicit deesse notitiam et advertentiam necessariam, ad contrahendam malitiam incestus.

Maritus, qui cognoverit carnaliter consanguineam suae uxoris, vel uxor, quae cognoverat consanguineum mariti, si postea accedat ad suam uxorem, non afficitur hac reser-

53. *Excommunicatio, quae contrahitur a foemina perpetrante incestum cum affinibus, vel consanguineis in primo, vel secundo gradu, quandonam potest absolvi a quocumque Confessario?*

Haec excommunicatio contracta a foemina hujusmodi incestu foedata potest absolvi a quocumque Confessario, quando ista foemina vere se poenituit, et occasio proxima facta est salutaribus remediis remota. Haec conditio, quia semper requiritur in quacumque absolutione impertienda, non ita ideo imponitur a Casu, ut sine ea non cesset reservatio. Quoad salutarem, et gravem poenitentiam imponendam, quae in Casu exprimitur in absolvenda hujusmodi foemina, non est conditio, sed admonitio Confessario facta, ut secundum formam juris poenitentiam imponat. Ideoque omissio hujusmodi gravis, et salutaris poenitentiae imponendae non efficit, ut sit invalida absolutio: ex communi DD. sententia; attamen gravi afficitur peccato Confessarius contra grave praeceptum Superioris.

Casus X. *Qui contra dispositionem Sacrorum Canonum Clericos, quos noverint, ad forum saeculare traxerint, etiam consentiente reo: extra Casus hac in re, tum in Bulla* Coenae Domini, *tum in Martini V. Constit.* Ad reprimendos *Summo Pontifici reservatos.*

54. *Quid continet hoc reservatum?*

Prohibitionem trahendi Clericos ad forum saeculare contra canonum dispositionem in casibus a canonibus non exceptis; vel in iis casibus, qui non fuerunt reservati cum excommunicatione Summo Pontifici in Bulla *Coenae*, et in Costitutione Martini V. (1):

---

vatione; quia hujusmodi copula matrimonialis per se, et directe non est incestuosa, sed per accidens, et indirecte, ob poenam conjugi incestuoso inflictam a jure positivo. Insuper in copula habita cum uxore a viro, qui incestum cum consanguinea suae uxoris commisit, deest malitia fornicationis; proinde non est incestus perfectus: qui quidem exigitur in Casu hoc reservato, uti diximus.

(1) In casibus expressis in hisce Bullis non incurritur re-

dummodo qui trahuntur ad forum saeculare (1) noscantur esse Clerici.

55. *Quid importet verbum* trahere ad forum saeculare?

Trahere dicitur ex Bonacina secundum Sanchez, et alios, quando quis aliquem quasi nolentem ad suum judicium adducit; ita ut actionem inducat moraliter violentam, seu coactionem quamdam. Quae quidem potest fieri directe, vel indirecte. Directe, quando quis aperte ad suum judicium aliquem adducit; indirecte quando quovis praetextu, et quaesito colore ad suum tribunal, seu judicium, alium cogit: puta vexando illius amicos, propinquos, bona etc. Hinc judex saecularis ad suum Tribunal, seu judicium, adducens Clericum, dicitur trahere ad forum saeculare.

56. *Quinam veniunt nomine* Clerici *hac in prohibitione, et reservatione?*

Nomen *Clerici* in favorabilibus lato sensu accipiendum est (2); ideoque veniunt omnes, qui ele-

---

servatio haec; quia non extenditur ad hos casus ex vi ejusdem statuti reservati.

(1) Requiritur notitia Clericatus: scilicet innotescere debet illos esse Clericos; proindeque per omnes ignorantia etiam crassa, et supina Clericatus excusat ab hac reservatione; quia scientia exigitur ex verbis Casus: *quos noverint.* An ignorantia invincibilis reservationis excuset, quaestio. At rationabilius in hac Casuum reservatione Episcoporum non excusat. Nam Confessarii in Casibus ab Episcopo reservatis approbati omnino non sunt; ita ut nulla admodum jurisdictio illis concedatur. Vide Vella, Oper. cit. Cas. 9. quaest. 1.

(2) Secundum regulam juris in 6. *Odia restringi, favores convenit ampliari.* At re magis perpensa latiori sensu nomen Clerici accipi debet quoad favores Clericis concessos; sed strictiori quoad reservationem, et poenam inflictam. Quamobrem cum considerandum occurrit Clericorum privilegium, quo gaudent, ne scilicet trahantur ad forum saeculare, nomen Clerici ampliori sensu sumi debet. Quando autem perspicienda est poena, et reservatio ad servandum Clericis hujusmodi privilegium imposita, ea non videtur afficere, nisi illos, qui Clericos stricte sumptos, seu saltem prima tonsu-

cti ad serviendum Deo, in Ecclesia Christi suam impendunt operam; uno verbo: qui non sunt laici, Clerici dici possint (1). Igitur nomine Clerici hoc in Casu significantur omnes, etiam prima tonsura insigniti, Religiosi professi, novitii, conversi; etiam Tertiarii mendicantium in communitate viventium: Eremitae alicui Ecclesiae, aut Eremitorio addicti cum habitu religioso, et sub regula ex licentia, ac speciali obedientia Episcopi.

57. *Quinam sunt Casus a jure excepti, in quibus Clerici non gaudent fori privilegio; ideoque non prohibetur illos trahere ad forum saeculare?*

Fori privilegio non gaudet: 1. illegitimus, vel qui canonico aliquo impedimento irretitus, initiatur prima tonsura sine dispensatione; 2. Clericus realiter degradatus; 3. Bigamus bigamia vera, aut interpretativa (2); 4. Clericus qui habitum Clericalem post delictum suscipit in fraudem, ut forum saeculare effugiat, non vero animo perseverandi in statu Clericali. Praeterea 5. in causa feudi Clericus vassallus potest conveniri, tam si agatur de petitorio seu proprietate, quam de possessorio, seu de possessione; 6. in causa reconventionis in civilibus: scilicet quando Clericus actor convenit aliquem reum in civili judicio apud judicem laicum, potest judex Clericum citare, ut alicui exceptioni a reo factae respondeat. 7. Fori privilegio privatur etiam Clericus, qui dimisso habitu, et tonsura enormitatibus saecularibus se immiscet (3); 8. Clericus incorrigibilis evadens post omnia media adhibita juxta formam a cap. *Cum non ab ho-*

---

ra initiatos, et Monachos, ad forum saeculare traxerint; cum sit restringenda ejusmodi poena ad terminos decreti.

(1) Can. *Duo sunt* 12. q. 1. Vid. Ciera Op. cit. Diss. 11. n. 7.

(2) Vid. in Tractat. de Censuris, et Irregularitatibus n. 75.

(3) Tunc dicitur Clericum dimittere habitum, quando ita continuat in habitu saeculari, ut illis vestibus semper utatur. Wan-Espen. p. 1. tit. 4. de vita, et honest. Cleric. Cap. 2.

mine 10. de judiciis, praescriptam; 9. Clericus joculator: scilicet qui mimum, aut scurram agit ex arte; 10. Clericus assassinus: scilicet qui quempiam Christianorum per assassinos interficere fecerit, vel etiam mandaverit; quamquam mors ex hoc forsan non sequatur. At hic casus exceptus in Concordato inter Benedictum XIV. et Carolum III. intelligitur de Clericis assassinis: scilicet de illis, qui publicas vias obsident, et homines depraedantur; et etiam qui pretio conducti, praevio mandato, occidunt homines incautos (1). 11. Item privilegio caret Clericus publice, et personaliter exercens officium carnificis, macellarii, tabernarii, si post trinam monitionem non desistat ab officio; 12. Clerici conjugati, qui habitum et tonsuram non deferunt; 13. Clericus, qui prima tonsura insignitus, vel Ordinibus minoribus, non servat conditiones a Tridentino requisitas: scilicet ut habeat Ecclesiasticum beneficium, vel habitum, et tonsuram deferens alicui Ecclesiae mandato Episcopi inserviat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi moratur.

58. *In quibus casibus adest reservatio Summo Pontifici contra trahentes Clericum ad forum laicale?*

In Bulla *Coenae* reservantur sequentes actiones: nempe 1. quando directe, vel indirecte personae Ecclesiasticae ex praetenso officio, vel ad instantiam aliorum, trahuntur ad forum saeculare; 2. quando procuratur, ut trahantur; 3. quando trahere quis illos facit: dummodo in hisce recensitis actionibus trahatur persona Ecclesiastica auctoritate judiciaria. In Constitutione Martini V. reservata excommunicatio Summo Pontifici habetur: 1. contra personas Ecclesiasticas, quacumque fulgentes dignitate, quae directe, vel in-

---

(1) In hoc facinore ex laudato Concordato judex laicus potest praevenire judicium conjiciendo Clericum istum in carcerem, detinere nomine Ecclesiae, et efformare processum: sed ante sententiae prolationem, vel executionem requiritur declaratoria Tribunalis *Mixti* (olim existentis) super qualitate assassinii.

directe traxerint aliquem Ecclesiasticum, Collegium, vel Conventum ad judicium laicale; 2. contra judices laicales, et executores, qui postquam compertum fuit sibi hoc judicium non competere, perstiterint hujusmodi personam trahere ante suum tribunal; 3. contra praedictos judices hujusmodi moraliter violentam actionem trahendi personam Ecclesiasticam mandantes, vel eorum nomine factam, ratam habentes; et contra saeculares consilium, aut auxilium, vel favorem dantes ad trahendum (1).

Casus XI. *Homicidia, vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, Coemeteriis, aut Sacristiis, aut publicis Oratoriis patrantes.*

59. *Quaenam est materia hujus Casus undecimi?*

Patrantes homicidia, vel mutilationes in Ecclesiis, Coemeteriis, aut Sacristiis, aut publicis Oratoriis, illigantur hoc Casu (2).

60. *Quodnam homicidium, vel mutilatio requiratur ad hunc Casum incurrendum?*

---

(1) Hinc si quis laicus, etiam non judex, trahit, seu convenit Clericum ante judicem laicalem, potest in Casum hunc in Dioecesi Neapolitana reservatum incidere. Item si Clericus sponte se sistat judici laico, ut ab isto judicetur. At judex se ingerens in hoc judicio, incidit in hoc reservatum: dummodo Clericus sit in sacris constitutus, vel in minoribus, et non intendat clericatum deserere.

At ex ultimo Concordato Pium VII. inter, et Ferdinandum I. Regem Duarum Siciliarum Regni inito ann. 1818. ablatum est hoc privilegium fori in actionibus civilibus: in hisce possunt Clerici conveniri in judicio, et ad forum laicale trahi. En verba Concordati.

» Art. 20. Gli Arcivescovi, e Vescovi saranno affatto
» liberi nell' esercizio del loro pastorale ministero, secondo i
» sacri canoni. Riconosceranno nel loro foro le cause Eccle-
» siastiche, e principalmente le cause matrimoniali, che
» giusta il can. 12. sess. 24. del S. Concilio Tridentino,
» spettano ai giudici Ecclesiastici, e porteranno su di esse
» sentenze. Non sono comprese in questa disposizione le cau-
» se civili dei Chierici, come per esempio: quelle dei con-
» tratti, debiti, eredità, le quali saranno conosciute, e de-
» finite da' giudici laici.

(2) Quid homicidium, vid. in Tract. de Peccatis, n. 148.

Homicidium verum requiritur quocumque modo factum sive gladio, sive suffocando, sive vulnus infligendo, sive fame necando, sive abortum foetus animati procurando: dummodo effectus sit secutus. Mutilatio vero stricto sensu sumpta requiritur: scilicet per abscissionem alicujus membri hominis vivi, quod distinctum, et peculiare in corpore habet officium (1). Nam sumus in poenis. Hinc non sunt mutilationes stricte sumptae ossium effractio, dentium avulsio, vel unguium, obcaecatio oculi; non vero avulsio, quae mutilatio esset; abscissio externae cartilaginis aurium, aut narium, sine offensione sensuum ipsorum: ita etiam probabilius obtruncatio unius digiti, et mamillarum in mare (2).

61. *Num homicidium casuale sit comprehensum in hac reservatione?*

In hoc Casu reservato comprehenditur homicidium voluntarium, et mortaliter peccaminosum. Hinc quando homicidium, vel mutilatio non est voluntaria sive directe, sive indirecte (3), sed est pure casualis, non cadit sub hac reservatione. Homicidium, vel mutilatio necessaria, idest *vim vi repellendo ad se, suaque liberandum*, adhibito moderamine inculpatae tutelae, non est ex voluntate commissum; ideoque non comprehenditur in hoc Casu (4).

62. *Quid si mors sequatur extra Ecclesiam, Coemeterium etc.?*

Litigium inter DD. Sed Januarius cum aliis apud

---

(1) Secundum jus cap. 5. *Ne Clericis, vel Monachi.*

(2) Ex Ciera in hunc Casum Diss. XII. n. 3. et seqq.

(3) Indirecte, quando scilicet homicidium est mixte casuale. Vid. Tract. de Peccatis; n. 149. Hinc parentes, nutrices, aut alii decumbentes in supradictis locis, scilicet, Ecclesiis etc., infantem in lecto detentum ex notabili negligentia in somno suffocant, incurrunt. Sicut etiam incidit, qui ad exequendam sententiam a judice prolatam in hisce locis infert mortem reo.

(4) Cap. *Significasti* 18. De homicid. Semper vero non debet resistentia excedere limites defensionis necessitati convenientis.

Ciera docet, tunc non incurri hanc reservationem. Nam in odiosis stricte facienda interpretatio; ideoque tunc incurritur haec excommunicatio reservata, quando in dictis locis homicidium commissum, et consummatum est, et quoad causam, et quoad effectum (1).

63. *Quid venit nomine Ecclesiae, Coemeterii, Sacristiae, et publici Oratorii in hoc casu expressi?*

Nomine Ecclesiae stricte acceptae venit idem, quod intelligitur in materia pollutionis Ecclesiae (2). Hinc venit illud solum spatium, quod pertinet ad corpus internum ipsius Ecclesiae: nempe a tecto interiori usque ad pavimentum; et ab ultimo pariete Arae maximae ad partem usque interiorem ejusdem Ecclesiae portae, ejusque limen. Oratorium publicum est illud, quod ab Episcopo fuit benedictum, aut ipsius auctoritate coeptum est aedificari. Quod sit publicum Oratorium, cognoscitur ex eo, quod habeat campanile super tectum erectum cum campana, quae publice pulsatur. Capellae additio, aut alterius partis, quae efficit unum cum Oratorio, censetur idem Oratorium (3). Hinc si Oratorium, vel Ecclesia destructa sit auctoritate Superioris, vel nulla spes adsit reaedificationis, non venit nomine Ecclesiae, aut Oratorii. Sacristia dicitur locus destinatus ad custodiam sacrae supellectilis. Coemeterium est locus sacer ab Episcopo benedictus, vel consecratus ad fidelium defunctorum corpora sepelienda, et pro eorum animabus officia Divina celebranda.

---

(1) Ita sentit Ciera: quamvis alii contrarium teneant. Qui occidit unum pro alio, incurrit hanc reservatam excommunicationem; quia revera homicidium in dictis locis perpetrat. Maritus in incontinenti occidens uxorem, vel adulterum in adulterio deprehensum, non incurrit hoc reservatum; quia Ecclesia parcit tanto furori. *Cooperantes* homicidio non exprimuntur in Casu, sed tantum *principales* per seipsos occidentes vel mutilantes.

(2) Stricte sumendum est nomen Ecclesiae, cum nunc agatur de poenis: quando vera de materia immunitatis, tunc latius accipi debet nomen Ecclesiae. Vid. Ciera loc. cit. n. 9.

(3) Juxta sanctionem in Cap. *Parentibus* 10. de Privilegiis.

Hinc homicidium, aut mutilationes perpetratae supra tectum Ecclesiae, Coemeterii, Sacristiae, Oratorii, non comprehenduntur in hac reservatione. Item si committantur extra limen portae, scilicet ad valvas; in turri campanaria, in loco sub Ecclesiae constructo, spelunca, cella, etc.: dummodo non sit hic locus deputatus ad sepulturam fidelium.

Casus XII. *Conficientes cujuscumque generis venena in hominum perniciem: eadem scienter dantes, apponentes, vel quomodolibet propinantes, sive ad hoc qualitercumque cooperantes, vel consulentes, etiam non secuto effectu.*

64. *Quaenam est materia hujusce praesentis Casus reservati?*

Confectio veneni ad finem injuste nocendi alteri; veneni exhibitio, appositio, propinatio scienter facta; et quaelibet cooperatio ad conficiendum, dandum, apponendum, vel propinandum venenum.

65. *Quid requiritur, ut in istis actionibus contrahatur haec reservata excommunicatio?*

1. Ut parata venena habeant vim inferendi perniciem homini; 2. ut adsit scientia facti, et juris; 3. ut sit animus nocendi homini. Hinc si venenum non sit allaturum mortem, sed tamen detrimentum afferat graviter peccaminosum, contrahitur reservatio. Ignorantia affectata facti, vel reservationis non excusat ab hac excommunicatione, sed tantum ignorantia vincibilis, etsi crassa, et supina: exceptis conficientibus, quibus non prodest hujusmodi ignorantia; quia pro istis non habetur particula *scienter*. Qui autem vendit hujusmodi venena, cum sciat, vel prudenter dubitet de tali usu, incidit in Casum (1). Ex opposito non contrahitur haec reservata excommunicatio, si quis conficiat venena, non ut hominibus perniciem afferat, sed ut hujusmodi potionis periculum faciat, et ut ejusdem vim experiatur, brutis ea praebendo; vel faciat usui medicamentorum destinanda, vel ad colores necessaria. Item probabilius non

(1) Recole dicta in Casu 3. quoad vendentes, n. 16.

incidit, qui dat, vel apponit etc. venenum, quod ex temporis diuturnitate, vel ex alia causa, omnem amiserit vim nocendi.

66. *Quid si venenum confectum, et propinatum nullum effectum sortiatur, nempe non sequatur effectus intentus?*

Semper contrahitur excommunicatio haec reservata, etsi per aliquod antitheton antea, vel postea sumptum vis veneni rejiciatur, et non pertingat usque ad hominis perniciem. Nam in Casu exprimitur: *etiam effectu non secuto* (1). Hinc qui conficit venenum, seu pharmacum, apponit, propinat, vel quomodocumque cooperatur ad expellendum foetum animatum, contrahit hanc excommunicationem, etiamsi non sequatur abortus (2).

Casus XIII. *Cujuscumque conditionis personae, quae libros in Civitatem, vel Dioecesim introducunt, vel scienter introductos tradunt, aut traditos recipiunt, sive de eadem Civitate, et Dioecesi extrahant, priusquam a Deputatis nostris fuerint recogniti. Similiter Bibliopolae, qui Bibliothecas emunt, non exhibito prius praedictis Deputatis emtorum librorum catalogo. Transgressores etiam, de nostra licentia nunquam absolvantur, quoadusque libros sine praedictis requisitis introductos, aut emtos, recognitioni subjecerint. Typographi similiter, et eorum operarii, qui sine*

---

(1) Haec clausula, quoad conficientes, intelligitur, quatenus venenum confectum eo impio fine, etiamsi postea non sit propinatum, appositum, etc.: quoad dantes venenum apponentes, propinantes, cooperantes, etc. intelligitur, quatenus appositum, propinatum venenum, quamvis nullum effectum sortiatur: nempe etiamsi perniciem homini non afferat.

(2) Legesis Ciera loco cit. Append. ad cas. XII. de veneno n. 21. 22. An qui dat pharmacum ad inducendam sterilitatem incidat in hoc reservatum, affirmat Ciera ibid. n. 36. Sed mihi videtur improbabilis isthaec sententia: non enim habetur hominis pernicies, cum non adhuc homo existat.

De aliis circumstantiis quoad pharmacum abortum inducens, vide in tract. de peccat n. 186.

nostra, vel Vicarii nostri licentia libros, aut cujuscumque generis folia imprimunt; praeterea Auctores eorum, si typis mandant, vel quicumque mandari faciunt.

67. *Quaenam prohibentur hoc Casu, et ideo sunt sub excommunicatione reservata illigata?*

Sequentia: 1. librorum introductio in Neapolitanam Civitatem, aut Dioecesim, absque legitima eorum recognitione et permissu a Deputatis obtinendo; 2. eorundem librorum traditio scienter facta, aut receptio, aut eductio extra Neapolitanam Civitatem, et Dioecesim (1); 3. emptio Bibliothecarum a Bibliopolis facta, absque exhibitione catalogi librorum Deputatis; 4. librorum, aut foliorum per typos impressio, facta (2) sine licentia Archiepiscopi, vel ejus Vicarii; et hoc etiam quoad Operarios typographorum, et Auctores illius libri, vel foliorum (3).

---

(1) Si quis extrahat de civitate, et librum transferat in aliquem pagum Dioecesis Neapolitanae, non incurrit in Casum; quia eductio, uti exigit statutum in Casu, debet fieri ad incurrendam reservationem in aliquem locum extra Dioecesim Neapolitanam: *de Civitate, et Dioecesi extrahunt.*

(2) Ex verbis casus unum folium imprimens, et imprimere faciens, videtur non incurrere in Casum. Nam Casus dicit. *folia.*

(3) Jam olim statutas legimus Ecclesiae prohibitiones, et poenas quoad libros, et scripturas publicandas sine recognitione legitima. In Lateranensi V. sess. X. habita sub Leone X. Ecclesia statuit: ut nemo deinceps librum aliquem, seu aliquam quamcumque scripturam imprimere praesumeret, seu faciat, ut imprimatur; nisi prius praecesserit legitima approbatio Ordinarii, aut aliorum, qui determinati fuerunt ab eodem Lateranensi, sub poena excommunicationis ferendae sententiae. In Trid. sess. 4. sic sancitum fuit: *ut nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quoscumque libros de rebus sacris sine nomine auctoris; neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis.* In regulis Indicis confectis a Deputatis ipsius Concil. Trident., et proprie in regula X. decretum Lateranense supra allatum confirmatur, et deinde statuitur: ut introducentes in aliquam Civitatem libros, teneantur Deputatis denunciare notam li-

68. *Num ignorantia aut juris, aut facti excuset ab hoc reservato?*

Quoad introducentes libros in Civitatem, aut Dioecesim Neapolitanam, et quoad Bibliopolas bibliothecas ementes, typographos, eorumque operarios, atque auctores librorum, vel foliorum, eadem typis mandantes, aut quoscumque mandari facientes, ignorantia vincibilis non excusat. Haec ignorantia, quamvis crassa, et supina, tantum excusat tradentes, et recipientes libros sic introductos; quia requiritur ex statuto Casus scientia, uti constat ex particula *scienter* apposita: ideoque omnis ignorantia excusat praeter affectatam.

69. *Incurritne in hunc Casum ille, qui librum orthodoxae, et sanae doctrinae, et ab omni erroris suspicione expertem, introducit, aut extrahit?*

Quaestio inter DD. (1). At vero, si notorie constet, hujusmodi librum jam esse omnibus permissum, nequaquam incurritur haec reservata excommunicatio. Nam ex regula Indicis non prohibetur librorum introductio, vel eorum jam introductorum traditio aliis facta, etc. quando ejusmodi libri sunt notorie omnibus permissi: idque fas est colligere ex his praecisis verbis: *aut nisi notorie constet, librum jam esse omnibus permissum.* Et hoc ita intellexit communis

---

brorum jam exhibitam Officiali Publico, qui deinde debet exhibere Deputatis Episcopi; ut nemo praeterea audeat libros, qui introducti fuere sine debita recognitione, aliis tradere, vel alienare, vel commodare, nisi accedente permissu ab ipsis Deputatis praestito; aut nisi notorie constet librum jam esse omnibus permissum: sub poenis arbitrio Ordinarii statuendis. Heic autem animadvertas quaeso, quod de libris haereticorum, aut de haeresi, aut de religione ex professo tractantibus nulla mentio fit, nec reservata excommunicatio infligitur in hoc Casu reservato XIII., de quo agimus; quia jam fuit excommunicatio reservata Pontifici ex Bulla *Coenae.* Vide in tract. de Fide n. 32.

(1) Legesis Ciera opere cit. Dissert. 14. quaest. 3. n. 17. et seq.

praxis, et usus: qui est optimus legum interpres (1).

70. *An duplici excommunicatione illigetur ille, qui librum introducit, et postea alteri trahit, aut extrahit?*

Licet quaestio sit inter DD., tamen ex Ciera duplici illigatur excommunicatione reservata hoc in Casu; immo etiam toties, quot sunt perpetratae actiones in hoc Casu prohibitae (2).

Casus XIV. *Qui in Paschate non communicantes ab aliis dolose accipiunt schedulas, seu chartulas, quae eo tempore distribui solent in Metropolitana, vel in Parochiis, ut fidem Parocho exhibeant de peracta Communione. Item illi, qui easdem non communicantibus quomodocumque accommodant in fraudem, aut utcumque cooperantes.*

71. *Quinam comprehenduntur in hoc Casu?*

Omnes, qui in Paschate non communicantes dolose ab alio acceperint schedulas, vulgo *Cartelle*, ad faciendam fidem Parocho: item quicumque in fraudem easdem schedulas accomodaverit, idest dederit non communicantibus; et alii omnes utcumque cooperantes ad hujusmodi dolosam acceptionem, vel fraudolentam exhibitionem, sive consilio, sive mandato, aut quocumque modo.

---

(1) Ex usu allegationes Patronorum, seu Advocatorum pro patrociniis editae, et typis mandatae, non praeexigunt permissum requisitum a Casu praesenti: uti patet ex usu. Item libri jam approbati a legitima auctoritate juxta statuta a Lateranensi, et Tridentino, dum typis mandantur, videntur tum ex Regula X. laudata Indicis, tum ex hoc nostro Casu reservato, excludi eo loco a prohibitione extrahendi, tradendi etc. Nam jam sunt omnibus permissi ex approbatione concessa illo loco.

(2) Ciera, loc. cit. n. 12. et seqq.

Heic abs re non erit prae oculis habere, quae in ultimo Concordato inter Pontificem Pium VII., et Ferdinandum I. Regni Duarum Siciliarum regem inito an. 1818. statuta fuere de praesenti materia in art. 24. En verba: » Ogniqualvolta » gli Arcivescovi, ed i Vescovi ne' libri introdotti, o che » s'introducono, stampati, o che si stampano nel Regno, » troveranno qualche cosa contraria alla dottrina della Chie- » sa, ed ai buoni costumi, il Governo non ne permetterà » la divulgazione.

72. *Quid sibi velit* dolose, in fraudem?

Dolus est machinatio quaedam adhibita alterius decipiendi causa. Fraus autem quoad substantiam idem importat; differt tamen a dolo, quia fit per facta. Hinc dolose, et in fraudem accipere, aut dare chartulas istas, significat illas accipere vel dare, ut decipiatur alter de peracta Communione, quae revera non est peracta. Ideoque ii tantum incidunt in hanc reservatam excommunicationem, qui ea intentione, et proposito, accipiunt chartulas, aut dant, aut cooperantur, ut decipiant Parochum de peracta Communione (1).

73. *An incidat in reservatum Casum, qui non communicans fraudulenter accipit vel dat schedulam Communionis extra tempus Paschale?*

Ex Ciera incidit in hanc reservationem. Nam idem est non communicantem dolose accipere chartulam de Communione peracta tempore Paschali, ac extra tempus Paschale; cum semper habeatur falsa fides de peracta Communione Paschali.

74. *Non communicans tempore Paschali ab alio accipit, vel dat schedulam hujusmodi, non ut Parocho fidem faciat, sed alteri, puta patri, magistro etc.; inciditne in hunc Casum reservatum?*

Minime. Nam expresse requiritur a statuto Casus, ut dolose ab alio schedula accipiatur, vel in fraudem detur ad faciendam fidem Parocho. Immo

---

(1) Quaeritur hic: an qui culpa lata dederit non communicanti chartulam fidem facientem de recepta Communione, incidat in hunc Casum: e. g. destinatus a Parocho ad distribuendas hujusmodi chartulas communicantibus, dederit ob culpam latam, seu ob maximam negligentiam, non communicanti. Negat Ciera, Dissert. 15. quaest. 1. n. 11. Nam sicut in delictis lata culpa non confunditur cum dolo, ita cum agitur de excommunicatione, et reservatione, lata culpa non debet comparari cum dolo. Cum itaque in Casu expressiones sint: *dolose*, *in fraudem*, debet profecto culpa lata excludi. Atque idem prorsus dicendum de eo, qui ob culpam latam ex omissione debitae harum chartularum custodiae, efficit, ut ab aliquo non communicante chartula surripiatur.

vero nec etiam incurrit, si postea exhibeat Parocho, quia non accepit ea intentione. Contra vero in acceptione, aut exhibitione ejusdem chartulae semper, ac habetur intentio faciendi fidem Parocho de peracta Communione, incurritur Casus; etiamsi revera deinde non exhibeatur Parocho.

75. *Num qui in Paschate non communicavit, et casu invenit schedulam, incurrat hanc reservationem exhibendo schedulam Parocho?*

Minime; quia non accepit ab alio. Idem dicito, quando ipse non communicans accomodat schedulam anni antecedentis, et Parocho exhibet (1).

76. *Sacrilege communicans incurritne in hunc praesentem Casum, si schedulam de Communione ad exhibendam Parocho accipiat?*

Litigium inter DD. Ciera sentit, eum incidere in Casum, de quo agimus. At mihi consentaneum magis videtur oppositae sententiae adhaerere. Nam in odiosis, et in poenis stricte verbis legis standum. Porro sacrilege communicans non est idem, ac non communicans: ut exprimitur in Casu.

Casus XV. *Falsarii monetarum, videlicet ii, qui monetas quomodocumque vitiant, nimirum vel diminuendo, vel fundendo, aut imprimendo cum deteriori liga, aut sine legitimo Principis sigillo.*

77. *Quinam includuntur in hoc Casu?*

Omnes, qui monetas quomodocumque vitiant, idest falsificant. Quod quidem fieri potest cudendo monetas sine materia legitima (2), vel sine publica forma (3); vel detrahendo quantitatem de justo pondere monetae legitimae impressae. Nam ad monetae substantiam tria requiruntur: quantitas ponderis, materia legitima, et publica forma.

78. *An incidat in hoc reservatum, qui Neapoli, vel in Neapolitana Dioecesi efformaverit, vel attonderit monetas alterius regni?*

---

(1) Legesis Ciera, Diss. 15., quaest. 3. et 4.

(2) Scilicet cudendo inferiori liga vel adulterina materia.

(3) Sine auctoritate Principis, qui potest cudere illas monetas.

Maxime ex Ciera. Nam Casus loquitur de falsariis monetarum, nulla facta distinctione inter monetas nostri, vel alterius Regni. Quod quidem patet ex verbis ejusdem Synodi, quae statuit hanc reservationem: *excommunicatos declaramus falsarios monetarum, tondentes nimirum monetas, aut falsas cudentes in districtu nostrae Dioecesis.* Idest patrantes delictum tondendi, aut falsas cudendi monetas in toto territorio nostrae Dioecesis (1).

79. *Inciduntne in hunc Casum reservatum attondentes monetas excedentes justum pondus, quas redigunt ad justum, ac legitimum metalli pondus?*

Quaestio inter DD. an isti sint monetarum falsarii. At ex Ciera videntur, non posse dici falsarii monetarum, quia non habetur demptio justi monetae ponderis; et proinde nec in Casum reservatum incidere dicendum est (2).

Casus XVI. *Sponsi, et sponsae post contracta sponsalia, etiam privata inter se, et ante matrimonium legitime celebratum, carnalem inter se copulam habentes; necnon parentes, consanguinei, et affines omnes, aut quicumque domus curam habentes, eamdem carnalem copulam, vel sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem, etiam pro una vice, permittentes.*

80. *Quinam illigantur hoc reservato?*

1. Sponsi, et sponsae copulam carnalem habentes inter se; 2. parentes, consanguinei, affines, aut quicumque domus curam habentes, qui permittunt hujusmodi copulam, vel cohabitationem, vel pernoctationem sponsorum, etiamsi pro prima vice.

---

(1) Hinc mihi videntur committentes hujusmodi delictum extra Dioecesim esse immunes ab hoc reservato, ita ut possint absolvi a simplici Confessario. Nam Synodus declarat reservatam excommunicationem extendi in perpetrantes hoc delictum in Dioecesi Neapolitana.

(2) Licet autem verba Casus apparenter obstent, tamen quia Casus loquitur de falsariis, illa verba, *vel eas diminuendo* debent referri ad diminutionem a justo pondere, non ad diminutionem, quae monetam excedentem ad justum pondus redigit. Ita Ciera loco citato, quaest. 2. n. 14. Hoc Vella contra Mazzotta absolute negat.

81. *Qualia debeant esse sponsalia, ut copula postea habita, vel hujusce permissio, aut permissio cohabitationis, vel pernoctationis, sit materia praesentis reservati?*

Sponsalia debent esse vera, seu valida, certa, et absoluta (1): quamvis sint privata, scilicet inter seipsos promissa sine solemnitate. Hinc si copula inter sponsos sequatur post sponsalia ficta, aut ex aliqua causa invalida, aut sub conditione inita, aut inita cum persona non determinata, aut sequatur post soluta sponsalia, illa copula non est amplius materia hujus reservati.

82. *Quaenam debeat esse hujusmodi copula, ut sponsi in hunc Casum reservatum incurrant?*

Debet esse copula carnalis, ut dictum est in Casu de incestu n. 50. Hinc copula sodomitica inter istos non obstringitur hac praesenti reservatione. Nam ex D. Thoma copula carnalis est, qua vir, et mulier efficiuntur una caro per commixtionem seminum (2). Atqui ex Casu praesenti requiritur copula carnalis: quae quidem non habetur in copula sodomitica.

83. *Quid venit nomine* cohabitationis, *et* pernoctationis?

Venit habitatio stricte sumpta, nempe commoratio sponsorum in eadem domo tanto spatio temporis, quantum sufficit ad acquirendum domicilium, animo quidem permanendi sive perpetuo, sive per majorem partem anni. Hinc si paulisper, aut per mensem commoretur sponsus in domo sponsae sine animo permanendi, non est cohabitatio, sed hospitatio (3). Nomine pernoctationis intelligitur commoratio sponsi per totam noctem in domo sponsae, vel viceversa: sive commoretur colloquendo, sive eden-

---

(1) Lege in Tract. de sponsalib. et matrim. n. 2. 13. et seq.

(2) In IV. Sent. Dist. 41. q. 1. art. 1. quaest. 3. ad 3. quaest. 4. ad 1.

(3) Dummodo non pernoctetur, quia secus haberetur pernoctatio, etsi non habeatur cohabitatio.

do, sive decumbendo etc. (1). At si per majorem partem noctis simul fuerint sponsi, et tantum parum temporis noctis desit, etiam dicuntur pernoctasse. Nam ubi parum deest, nihil deesse videtur (2).

84. *Quid indicat illud verbum* permittere?

Indicat non prohibere, cum possit. Hinc parentes consanguinei, affines, aut quicumque domus curam habentes, nimirum qui praesunt domui, familiae regimini etc., non prohibendo, cum possint, carnalem copulam (3), aut cohabitationem, aut pernoctationem, inter sponsos; vel non praecipiendo contrarium; vel non puniendo factum; vel non apponendo impedimenta; et tandem coadjuvando agentes, dicuntur permittentes; et ideo incidunt in hunc Casum. At ipsi sponsi non incidunt, si coabitationem, vel pernoctationem sibi ipsis permittant: quia in Casu non exprimuntur.

De casibus reservatis sine excommunicatione.

CASUS I. *Blasphemantes Deum, vel B. Virginem ex perversa consuetudine coram pluribus supra quatuor.*

85. *Quid requiritur, ut quis incidat in hunc Casum reservatum?*

Tria requiruntur: 1. ut quis blasphemet Deum, vel B. Virginem; 2. ut blasphemet ex perversa consuetudine; 3. ut blasphemet coram pluribus personis, non minus quinque.

86. *Quaenam debeant esse blasphemiae in Deum, ut in hanc reservationem blasphemus incurrat?*

---

(1) Ictus in L. Urbana 166. §. *Pernoctare* de verb. signific.

(2) Attamen, cum in poenis stricta facienda sit interpretatio, haud facile adhaererem huic sententiae.

(3) E. g. mater quae reliquit solos sponsos domi, inter quos sequitur copula, dicitur permisisse copulam. Advertas quaeso, quod istiusmodi parentes, affines, etc., incidant in reservatam excommunicationem sive copulam, sive cohabitationem, sive pernoctationem permittant.

Omnes blasphemiae directe prolatae contra Deum, non vero indirecte, seu in Sanctos; blasphemiae ore prolatae, non factis (1); blasphemiae quocumque modo enunciatae. Hinc habetur blasphemia huic reservato subjecta: quando Deo, vel B. Virgini tribuitur id, quod ipsis non convenit: ut si quis diceret *Deum esse crudelem*, *injustum*. Item quando quis imprecatur aliquid mali Deo, vel B. Virgini: uti si dicat: *moriatur Deus*, *maledictus sit*, etc. Quando tribuitur creaturis, quod Dei proprium est: uti si dicat, *Daemonem esse sanctum*, *omnipotentem*; si juret per falsos Deos. Quando per modum convicii aliquid profertur de Deo, de B. Virgine: uti esset injuriosa membrorum Christi nominatio; e. g. *perdat te Dei sanguis*, *vulnera*, *mors*: *Velit*, *nolit Deus*, *B. Virgo*, *haec agam*; aut si quis per modum spretus execratorie juret per capillos, per caput Christi; aut per pudenda Christi (2).

87. *Quid requiratur, ut habeatur perversa consuetudo blasphemandi ab hoc Casu requisita?*

Idem, quod requiritur ad consuetudinem constituendam in aliis peccatis: nempe, ut sit frequentia actuum; ut actus sint ejusdem speciei; ut hujusmodi actus sint inter se moraliter conjuncti. Hinc ex saniori sententia Homoboni, et Aversae apud Mazzotta quinque blasphemiae in Deum, vel B. Virginem prolatae intra temporis spatium nec tam breve, nec tam longum constituunt illam blasphemandi perversam consuetudinem huic reservato subjectam (3).

---

(1) Blasphemia factis esset expuere in aliquam imaginem Christi, aut Virginis. Haec autem blasphemia minime comprehenditur hoc Casu, licet oppositum improbabiliter, et contra communiorem sententiam doceat Cuniliati.

(2) Blasphemiae haereticales prolatae ordinario non includunt malitiam haeresis; tunc autem sunt revera haereses formales, quando ita esse credantur, quae ore proferuntur, accedente etiam contumacia voluntatis.

(3) Non immerito laudatus Mazzotta hinc deducit, hanc perversam consuetudinem blasphemandi non dici acquisitam, nisi post quinque saltem actus inter paucos dies.

88. *Inciditne in hunc Casum, qui ex perversa consuetudine blasphemat coram pluribus non minus quinque, qui tamen aut non audiunt, quia surdi, quia dormientes; aut non intelligunt; quia infantes, vel quia furiosi?*

Minime: quia non censentur hujusmodi blasphemiae coram ipsis prolatae; cum ipsi blasphemias haud intelligere possint.

Casus II. *Exercentes peccatum Sodomiae vel cum Brutis coeuntes, ita tamen, ut his luxuriae casibus masculi tantum comprehendantur.*

89. *Quodnam peccatum hic reservatur?*

Peccatum Sodomiae proprie dictae: idest concubitus ad sexum non debitum; et peccatum bestialitatis: nempe concubitus cum individuo alterius speciei. Tantum masculi haec scelera perpetrantes includuntur hac reservatione ex verbis Casus.

90. *Quid requiritur, ut nequissimum Sodomiae scelus perpetrans incidat in hunc Casum reservatum?*

Tria requiruntur: Sodomia perfecta, consummata, et Sodomiae exercitium (1).

91. *Inciduntne in hanc reservationem mares abutentes sodomitice foeminis?*

Minime: quia proprie non censentur Sodomitae; cum non accedant ad sexum indebitum; ideoque non illigantur hoc reservato contro Sodomitas interminato.

92. *Numquid etiam patientes subjiciantur huic reservationi, an soli agentes Sodomiam?*

Ex communiori sententia, cui adhaeret D. Ligorius lib. 3. tract. 4. n. 471., etiam patientes subeunt poenas; quia censentur veri sodomitae; ideoque huic Casui reservato subjiciuntur. Alii apud Salmanticen-

---

(1) Perfecta dicitur, quando habetur concubitus maris cum mare. Consummata, quando habetur pollutio intra vas. Habetur autem Sodomiae exercitium, ex Ciera, Mazzotta cum aliis, quando verificatur frequentia sodomiae per actus plus tribus; secus vero non habetur, praesertim si inter hujusmodi actus longa intercedant temporis intervalla. Navarrus in suo manuali (verbo *exercentes*) arbitratur, exercentes tantum intelligi eos, qui quasi ex usu continuato id perpetrant.

ses contrarium tenent ; quia dicuntur exercentes Sodomiam , qui agunt , non vero , qui patiuntur.

93. *Quaenam requirantur , ut coeuntes cum brutis incidant in hoc reservatum ?*

Requiritur , ut se perfecte commisceant cum bestia viva , sive mare , sive foemina ; etiamsi hoc scelus semel perpetretur. Ad hoc nequissimum peccatum reducitur concubitus cum Cachodaemone , seu cum Daemone in assumpta forma humana , sive incubando , sive succubando ; quia revera est concubitus cum individuo alterius speciei (1).

Casus III. *Confessarii omnes , etiam Curati , ad obscoena quaslibet personas sibi frequenter confitentes , licet non immediate post , vel ante confessionem, inducentes , seu sollicitantes , vel cum iis quomodolibet impudice tractantes.*

94. *Quaenam est materia hujus Casus reservati ?*

Est sollicitatio , seu inductio ad obscoena ; et tractatus impudici inter Confessarium , et personam sibi frequenter confitentem.

95. *Quaenam requirantur , ut hac reservatione isti innodentur ?*

Haec requiruntur : ut habeatur sollicitatio , seu inductio ad turpia , aut impudica tractatio ; etiamsi nulla intersit relatio ad Confessionem : scilicet quamvis fiat extra capita sollicitationis de jure communi adnotata ; 2. ut hujusmodi sollicitantes , vel impudice tractantes sint Confessarii , etsi Curati ; 3. ut sollicitatio , vel impudica tractatio fiat cum persona frequenter confitente eidem Confessario sollicitanti , vel impudice tractanti.

96. *Quot vices exigantur , ut frequenter quis confiteri alicui dicatur ?*

Hanc frequentiam , certum est , interpretari debere secundum usum judicio prudentum. At ex variis

---

(1) Concubitus cum Cachodaemone praesefert etiam malitiam superstitionis juxta Ciera; quia includit societatem cum Daemone. Potest superaddi malitia adulterii , incestus, sodomiae , prout forma assumpta , et modus concubitus.

DD. sententiis illam Sanchez seligere mihi arridet, utpote magis consonam usui communi: hic enim frequentiam haberi affirmat, quando confessio fiat semel singulis mensibus, vel ter tribus diebus continuis (1).

97. *An in hunc Casum reservatum incidat simplex Sacerdos, qui ex errore communi, et titulo colorato reputatur Parochus, aut Confessarius, et ita personam sibi frequenter confitentem ad obscoena inducit, aut cum ea impudice tractat?*

Ex Ciera incurrit ob plures validas rationes ab ipso allatas (2). Item incurrit reservationem hujusmodi simplex Sacerdos eadem scelera patrans cum persona, cujus frequenter excipit Confessiones in periculo, vel articulo mortis; quia tunc revera est Confessarius illius personae. Minime vero incurrit ille, qui olim erat Confessarius, et postea munere Confessarii expoliatus, eam personam, cujus Confessiones frequenter audierat, inducit ad turpia, aut cum ea inhoneste tractat. Nam Casus loquitur de Confessariis, qui dum sunt Confessarii, hujusmodi inhonesta agunt.

98. *An in hanc reservationem incidat Confessarius, qui a poenitente inductus ad turpia, assentitur?*

Maxime. Nam Casus praesens non solum comprehendit Confessarios sollicitantes, seu inducentes ad turpia personam sibi frequenter confitentem; sed etiam cum ea inhoneste tractantes. Atqui Confessarius inductus, et consensum praebens inhonestis, etsi non sollicitet, tamen inhoneste tractat cum ipsa persona. Proindeque ob inhonestum tractatum incidit in hunc Casum.

Casus IV. *Medici, qui visitantes in lecto infirmos, post tres dies a visitatione non curaverint, ut*

(1) Vide apud Ciera in Opere saepius cit. Dissert. 20. quaest. 1. n. 3.

(2) Dissert. 20. quaest. 1. n. 11. Verbis vero Casus plurimum obstat hujusce clariss. Viri opinio. Nam ejusmodi Sacerdos revera et proprie dici non potest Confessarius prout a Casus verbis exprimitur.

praedicti infirmi peccata sua idoneo Confessario confiteantur : aut alias non deseruerint , secundum terminos Constitutionum S. Pii V , et Innocentii XI.

99. *Quinam subjiciantur huic reservato?*

Subjiciuntur huic reservato medici omittentes post tres dies a visitatione admonere infirmos, ut confessionem suorum peccatorum peragant; item non deserentes istos infirmos, si noluerint confessionem facere (1).

100. *In quanam infirmitate medici adstringi intelligantur ad hujusmodi monitionem?*

Cum statutum hujus Casus reservati restringatur ad terminos Constitutionum S. Pii V. et Innocentii XI., dicendum est, medicos adstringi ad monitionem in ea infirmitate, in qua secundum praxim, et consuetudinem supradictae Constitutiones obligant. At sicut hae Constitutiones sunt receptae, praesertim in regno Neapolitano, ex usu, et consuetudine obligant tantum in infirmitate, quae est periculosa mortis, vel de qua dubitatur, an sit periculosa, aut effectura sit periculosa (2). In infirmitate in sensu explicato adstringuntur medici; et ideo contrarium agentes incidunt in hunc Casum reservatum.

101. *Quandonam medici obligantur deserere infirmum, si iste nolit confessionem facere?*

Ex communi Theologorum consensu, ut testatur Benedictus XIV. in Institutione 22. n. 17., ob hujusmodi praeceptum a Constitutione Pontificia impositum dicendum est, tunc medicum debere infirmum deserere, quando nimirum infirmus nullum periculum mortis, aut valetudinis grave detrimentum passurus sit ex absentia medici. Nam secus esset contra charitatem. Proindeque eo sensu intelligenda est obligatio medici quoad hujusmodi reservationem.

Casus V. *Debitores quorumlibet piorum locorum*,

(1) Si medicus per alios monet infirmum; item si ab alio fide digno noverit infirmum adimplevisse confessionem, muneri suo satisfacit : ut docent Theologi strictioris juris.

(2) Ligorius cum aliis lib. 4. n. 664.

sive eorumdem administratores, si intra mensem, etiam extra-judicialiter, requisiti a Rectoribus, Procuratoribus, seu administratoribus dictorum locorum, reditus, et census non solverint.

102. *Quinam comprehendantur in hoc Casu?*

Debitores locorum piorum, et administratores debitorum hujusmodi, qui requisiti, etiamsi extra-judicialiter, a Rectoribus, Procuratoribus dictorum locorum intra mensem a die requisitionis non solverint reditus, et census istis locis debitos. Hinc isti debitores, vel administratores non comprehenduntur in hoc reservato, si ante tempus debitum requisiti non solverint; aut tempore debito vulgo *sul tempo del maturo* inculpabiliter non solverint; cum sint physice vel moraliter impotentes. Nam ante tempus debitum non habetur obligatio solvendi; et quando deest culpa gravis, puta si omissio sit ex impotentia physica, vel morali, deest reservatio. Item proinde dicendum est, si dilatio concedatur debitori a Rectoribus, Procuratoribus, etc.

103. *Quaenam loca pia hic intelligantur?*

Hic loca pia stricte sumpta veniunt: nimirum ea loca, quae Episcopi auctoritate erecta, ac destinata sunt officiis charitatis, vel religionis exercendis. Hinc Ecclesiae, Monasteria, Hospitalia, Orphanotrophia Episcopi auctoritate fundata.

104. *Quid sint reditus, et census in Casu expressi?*

Nomine redituum veniunt fructus annuales, sive sint naturales, sive mixti, sive industriales, vel civiles (1). Nomine Census in Casu intelligitur id, quod annuatim debetur ejusmodi loco pio ex contractu, qui dicitur census (2).

---

(1) Vide in Tractatu de Restitutione n. 42. Fructus industriales debiti loco pio mihi videntur esse praestationes navicularlorum, piscatorum etc. conferendae alicui Ecclesiae, Paroeciae, piae corporationi, ex industria, labore, et proventibus.

(2) Ex Ciera Diss. 22. quaes. 2. n. 28. Census hic accipiendus est uti vulgo accipitur: nempe contractus, quo res propria frugifera in dominium alterius transfertur retento jure

105. *Quot dies continere debet mensis in praesenti Reservato designatus, ut intra illum requisiti debitores, aut administratores non solvendo, incidant in reservationem?*

Multi multa dicunt; sed ex communi aptiori sensu totidem diebus debet mensis computari, quot dies in Kalendario habet mensis ipse, in quo fit requisitio, seu petitio reditus, vel census. Hinc si mense Januarii fit petitio, debet fieri solutio ante diem triginta unum; si mense Februarii ante dies viginti octo, vel viginti novem in bissextili; et sic computandus mensis, si requisitio sit facta, quando mensis jam decurrit: computando scilicet partem mensis currentis a die petitionis, et aliam partem mensis subsequentis; ita ut habeatur numerus dierum illius mensis, in quo fuerit facta requisitio reditus (1).

CASUS VI. *Non absolvantur Concubinarii, et Concubinae, etiamsi excommunicationis sententia in eos lata non fuerit, nisi facta reali separatione, et tori, et domus, per duos menses se continuerint: vel nisi certo, aut valde probabiliter constet factos physice, vel moraliter impotentes ad reincidendum; aut paulo post esse inter se matrimonium contracturos.*

106. *Quid venit sub hoc sexto Casu reservato?*

Concubinatus: hinc Concubinarii, et Concubinae (2). At hic Concubinatus secundum jus Canonicum reservari intelligitur.

---

percipiendi annuam pensionem. Hinc ex saniori sententia mutuatarius non restituens mutuum loco pio non incidit in hunc Casum; quia mutui restitutio non est reditus, neque census.

(1) Vide Vella App. 2. in hoc reservato n. 2. Ciera loco citato n. 13. Hic mensis debet computari mathematice, scilicet de momento ad momentum. Licet contrarium dicat Mazzotta.

Quod dictum est de debitore laico, sic dicito, si alius locus pius debitor sit; proinde hujus loci administratores incidunt in Casum perinde, ac supra dictum est.

(2) Concubinatus est detentio foeminae domi, vel etiam alibi, destinatae tamquam uxoris. Relege n. 170. in tractatu de Peccatis, ubi conditiones concubinatus expositas, et expla-

107. *Possuntne absolvi Concubinarii , ac Concubinae a quocumque Confessario* facta reali separatione tori , ac domus, *et bimestri continentia probati, idest per bimestre voluntarie non reincidentes ?*

Maxime: uti constat ex verbis praesentis Casus reservati (1). Hinc similiter possunt absolvi , quando valde probabiliter constat factos esse physice , aut moraliter impotentes ad reincidendum : physice scilicet, quando naturali medio omnino non possunt reincidere , puta si alteruter in longinqua abiit , aut in carcere detinetur , vel aliquo morbo laborat , quo impos effectus sit ad coeundum ; moraliter , quando judicio prudentum non possunt reincidere , seu congredi , nisi cum periculo vitae , amissionis bonorum, libertatis , aliusque gravissimi damni. Possunt etiam absolvi : *si paulo post sint inter se contracturi matrimonium* , nempe intra tres dies cum dimidio. Intra hoc spatium , immo etiam prima die , a qua incipit decurrere hoc spatium , possunt absolvi ; quia cessat reservatio : dummodo sint vere dispositi , et occasio sit saltem facta moraliter remota. Secus , scilicet praeter hos tres casus, non possunt absolvi a Confessario , etiam habente facultatem absolvendi a casibus reservatis ; quia haec reservatio est specialissima ; et non intenditur concessa facultas absolvendi ab hoc reservato , nisi specialiter concedatur. Uti constat ex cap. 9. n. 23. Part. secundae ejusdem Synodi Pignatelli.

Casus VII. *Omnes utriusque sexus , qui a Dominica Palmarum usque ad diem Ascensionis Domini inclusive , Paschalis Communionis praecepto in Ca-*

---

natas invenies. Heic advertas quaeso : filiumfamilias, qui carnale habet commercium cum ancilla , quam posset pro suo lubitu e domo ejicere ; et tamen eam retinet ejusmodi damnato commercio destinatam tamquam uxorem , incidere quidem in hunc Casum reservatum. Nam ipsemet retinet , et ei inest animus in eo statu persistendi.

(1) Vide Ciera Dissert. 23. 4. 6. Vella App. cit. in hoc Casu quaesi. 6.

thedrali , vel propria Parochia non satisfecerint, Interdicti poenam in Cap. Omnis utriusque sexus de Poenit. et Remiss. : *ipso facto incurrunt a Nobis , sive facultatem a reservatis absolvendi a Nobis , vel Vicario nostro generali habentibus , tantummodo relaxandum ; dummodo non fuerint nominatim denuntiati.*

108. *Quidnam reservatur hoc Casu ?*

Interdictum ab ingressu Ecclesiae (1) ipso facto incurrendum a culpabiliter omittentibus Paschalem Communionem in propria Paroecia , aut in Cathedrali Ecclesia Neapolitana a Dominica Palmarum usque ad Dominicam SS. Trinitatis inclusive (2). Hinc omnes , qui excusantur a praecepto Paschali ex Concilio Lateranensi IV. imposito (3) , non illigantur hoc praesenti Casu reservato , et Interdicto.

109. *An , qui anticipare tenetur Communionem ante tempus Paschale , et non anticipaverit* (4) , *aut et ex aliquo legitimo impedimento excusatur ab adimplenda Communione tempore Paschali , et postea in decursu anni cessante impedimento non adimplet, incidat in Interdictum hoc reservatum ?*

Litigant magni nominis Doctores. At mihi magis consentanea videtur sententia eorum , qui negant illum incidere in hoc reservatum , quamvis tamen peccet contra praeceptum Ecclesiae : quia cum Ecclesia praeceperit annuam Communionem adimplendam tempore Paschali , tempus Paschale apposuit ad sollicitandam , non ad extinguendam obligationem percipien-

---

(1) Quid interdictum ab ingressu Ecclesiae, vide in Tract. de Censur. n. 54.

(2) Dixi usque ad Dominicam Trinitatis , non usque ad diem Ascensionis ; quia tempus adimplendi Paschalem Communionem antea definitum usque ad diem Ascensionis pro Neapolitana Dioecesi , postea protractum fuit usque ad Dominicam SS. Trinitatis ex Rescripto. S. C. 1745. obtento ab Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Neapolitano Spinelli.

(3) Relege n. 8. et seq. in Appendice annuae Confessionis , et Communionis post tractatum de Poenitentia exposita.

(4) Vide in supracit. Ap. n. 14. 15. Ibidem de aliis quaesitis in subjecto praecepto.

di sacram Eucharistiam ; ideoque peccat, si decursu anni non adimpleat hoc praeceptum. Non vero eadem ratio viget de Interdicto reservato in Dioecesi Neapolitana. Ille enim non anticipando Communionem, vel cessante impedimento post tempus Paschale non adimplendo, factus est quidem reus transgressionis praecepti de annua Communione, non autem praecepti de Communione facienda tempore Paschali. At Interdictum est contra illos, qui Paschalis Communionis praecepto satisfacere negligunt : uti clare patet ex verbis Casus hujus reservati (1).

De aliquibus declarationibus a Synodo Neapolitana factis circa facultatem a reservatis absolvendi.

Declaratio I.

Declaramus autem, praedictis omnibus exceptis, quorum nullam concedimus facultatem, praeter mortis articulum, Parochos in propria Paroecia, aliosque Confessarios tam Saeculares, quam Regulares in

---

(1) Vide apud Ciera Dissert. 24. Quaest. 1. n. 10. et quaest. 2. n. 17.

Haud mihi suadet opinio eorum, qui hoc Interdicto reservato illigatos volunt etiam eos, qui annuae Confessioni ab eodem Lateranensi praeceptae non satisfaciunt. Nam in poenis non debet fieri extensio, neque late interpretatio fieri potest. Ex eo autem quod quis, ut adimpleat praeceptum Paschalis Communionis, debet Confessionem peccatorum peragere, non sequitur sub eodem Interdicto reservato teneri ; quia neque clare, neque obscure id patet ex verbis hujusce Casus.

An per sacrilegam Communionem incurratur in hujusmodi Interdicti poenam, quaestio. Sed mihi videtur incurri. Nam a nostri Casus reservati sanctione requiritur praecepti Paschalis Communionis satisfactio, ne incurratur in Interdicti reservati poenam. At per sacrilegam Communionem minime adimpletur hoc praeceptum : uti plane constat ex propositione ab Inn. XI. damnata. Concludendum ergo est, in Interdictum incurri.

eorum Ecclesia, et ubique pro Sacerdotibus, et Infirmis, a Nobis, vel a Vicario nostro Generali approbatos, sive approbandos, audita integra Confessione, absolvere posse ab omnibus aliis Casibus, et Censuris, quae per Edicta, aut Synodales Constitutiones Nobis, sive Archiepiscopo Neapolitano reservantur.

110. *Ex hisce quaeritur: an Parochi possint ubique ex hac supradicta Synodali declaratione intra Dioecesis Neapolitanae confinia, atque extra Paroeciarum eorum districtum excipere confessiones infirmorum, ac Sacerdotum, eosdemque absolvere?*

Maxime: uti clare patet ex supradicta declaratione. Quod quidem dicendum est etiam de Confessariis tam Saecularibus, quam Regularibus, approbatis a nostro Archiepiscopo, vel ejus Vicario. Praeterea possunt etiam Parochi, et Confessarii approbati, ut diximus, ex declaratione allata absolvere ab omnibus aliis casibus, et censuris ante Synodalem hanc declarationem reservatis; non vero ab illis nuper expositis, et explicatis, ac in Tabella descriptis; neque ab aliis post enuntiatam declarationem reservatis, vel deinceps reservandis.

111. *Quomodo sit intelligenda facultas ab allata declaratione Parochis, et Confessariis approbatis concessa de absolvendo a reservatis superius memoratis urgente mortis periculo?*

Isthaec facultas intelligenda est prout concedatur a jure communi; ac proinde cum onere ab ipsomet jure imposito in Cap. *Eos*, *qui* de sent. excom. in 6. Adi tract. de Poenitentiae n. 76. (1).

---

(1) Monitum laudatae Synodi prae oculis Confessariorum ponere non parum interesse arbitror, ut caute, ac fructuose reconciliandis fidelibus operam impendant. Illud ita se habet. *Monemus tamen, et hortamur in Domino, Parochos, et Confessarios omnes tam Regulares, quam Saeculares, ut quamvis eis facultatem absolvendi ab illis reservatis in hoc capite non contentis, vel non expressis, et a tribus etiam Casibus in Pagella Confessariorum expressis; Parochis vero absolvendi insuper sponsos brevi contracturos, et eos, qui*

DECLARATIO II.

Praeterea declaramus, si cui in posterum a Nobis concedetur facultas absolvendi ab omnibus Censuris, et casibus Nobis reservatis; a locutione tamen cum Monialibus, sive aliis, in Monasteriis degentibus, de rebus obscoenis, aliisque, ut dictum est, actibus impudicis, nunquam intelligi concessam, nisi facta fuerit expressa mentiò de ea.

DECLARATIO III.

Similiter declaramus, sine expressa mentione, et speciali concessione, et deputatione nostra non censeri concessam facultatem absolvendi a Casu Invitationum ad Ecclesias *Monialium, et Regularium quomodolibet exemtorum, occasione quarumcumque functionum, et solemnitatum, cui summus Pontifex voluit adnexam esse excommunicationem Sibi, et Nobis tantum reservatam. Nec a casu* expensarum *factarum a Monialibus, aliisque in Monasteriis, Conservatoriis, Collegiis, Domibusque Oblatarum degentibus,* ratione Officii, *in quibuscumque functionibus, aut festivitatibus; cujus absolutionem praecepit etiam Summus Pontifex esse Nobis tantummodo reservatam. Nec denique a ceteris Casibus omnibus, quibus est adnexa excommunicatio Summo Pontifici, et Nobis reservata. Denique ante decimum quartum aetatis annum completum neminem Censuris hisce, et Casibus comprehendi volumus.*

Ex quibus evidenter colligitur, excommunicationem latae sententiae ab Innocentio XI. inflictam con-

---

Paschalis communionis praecepto non satisfecerunt, concedamus: graviter tamen ipsi admoneant ante absolutionem poenitentes hujusmodi de gravitate peccati, et censura, in quam inciderunt, ut dolentes magis poenitentiam agant, et in eadem peccata relabi formident. Satagant igitur ita se gerere in absolvendo, ac si toties a Nobis concedatur facultas, quoties opus sit; et graviora satisfactionis opera imponant, prout de jure in absolutione a reservatis.

tra Regulares, et praesertim Moniales invitationem clamorosam procurantes ad eorum Ecclesias, quae est Pontifici, et Dioecesis Ordinario reservata, non posse absolvi sine speciali facultate ad id concessa. Ex eadem Synodo pars III. cap. 5. n. 4.

Item colligitur, Moniales, vel foeminas in Conservatoriis, ac Oblatarum Domibus degentes, quae de proprio faciunt expensas quacunque occasione officiorum, aut ante, aut post suscepta officia, incidere in casum reservatum Ordinario ex decreto S. C. Episcoporum confirmato a Clemente XI.; a quo Casu easdem absolvere nemo potest sine speciali concessione ab Archiepiscopo data. Ex eadem Synodo par. IV. cap. 6. n. 25.





APPENDIX SECUNDA

DE CASIBUS ORDINARIIS RESERVATIS, QUI DICUNTUR NOBIS.



Q. 1. *Quinam dicuntur Casus Ordinariis seu Episcopis reservati?*

Illi Casus, qui a jure, vel per consuetudinem Episcopis commissi sunt, seu Episcopis relaxandi, et absolvendi reservati sunt; ideoque dicuntur Casus *Nobis* reservati, idest Episcopis a jure, vel a Pontifice, sive per consuetudinem concessi (1).

2. *Quinam sint hujusmodi Casus Episcopis reservati ex jure, vel ex Pontificum Constitutionibus, aut ex consuetudine?*

Sequentes: levis percussio clerici, vel monachi, etiam publica (2), et percussio gravis facta ab ostiario iracundia permoto ratione officii sui (3): vel a clericis in collegio viventibus mutuo sese percutientibus (4); vel facta a Regulare alteri Regulari ejusdem Claustri (5); denique quaecumque percussio facta a Moniali alteri Moniali, aut Conversae, aut Saeculari (6). Casus abortum procurantis, vel auxilium, vel

---

(1) Esse Casus a jure, vel a Pontifice, vel ex consuetudine Episcopis reservatos patet ex cap. *Pervenit* 17. de sent. Excomm., ex cap. *Pueris* final. de eodem tit. ex Constit. Greg. XIV. *Sedes Apostolica*, et demum ex communi sensu DD. in casu incendii, et in casu expoliationis, et effractionis Ecclesiae ante denuntiationem ab Episcopo factam. Vide Vella additiones ad elementa Theologiae practicae, appendix III. p. 292.

(2) Ex cap. *Pervenit*, de sent. excomm.

(3) Ex cap. *Si vero* tit. cit.

(4) Ex cap. *Quoniam*, de vita, et honest. Cler.

(5) Ex cap. 2. *Monachi*, de sent. excom.

(6) Ex cap. *Monialibus*, cit. tit.

consilium praestantis ad abortum procurandum: quando foetus est animatus, et effectus est secutus (1). Excommunicatio contracta ob reincidentiam: quando nimirum absolutus ab excommunicatione per simplicem Confessarium in mortis articulo, post receptam valetudinem non adimplendo onus se praesentandi Superiori relapsus fuit in eamdem excommunicationem; a qua quidem potest ab Episcopo absolvi: dummodo illa excommunicatio, a qua fuit absolutus in mortis articulo, fuerit ab Episcopo inflicta (2). Excommunicatio contracta ob communicationem in eodem crimine (3) cum excommunicato ab Episcopo. Excommunicatio contracta ab eo, qui sepelit, vel procurat sepeliri excommunicatum vitandum in Ecclesia. Item excommunicatio contracta ab eo, qui praesumptuose sepelit interdictum vitandum, vel non interdictum in loco nominatim interdicto, vel usurarium publicum, ex Clementina 1. *Eos*, *qui* de sepult. (4). Excommunicatio contracta ob crimen incendii, vel ob effractionem, et expoliationem Ecclesiae ante denuntiationem ab Episcopo factam (5). Hi duo Casus ex communi Doctorum sententia possunt ab Episcopo absolvi. Nam sicut ex canonibus statuitur, hujusmodi crimina post denuntiationem ab Episcopo factam, nonnisi per Romanum Pontificem possunt absolvi; inde vero ex communi DD. sententia deductum est, ante denuntiationem tantum esse Episcopis reservatam

---

(1) Ex Constit. Gregorii XIV. *Sedes Apostolica.*

(2) Ex cap. *Eos*; *qui* 22. de sent. excomm. in 6. Vid. Navarrum in *Manuali*, Cap. 27. n. 112. De excommunicationibus reservatis Episcopis.

(3) In eodem crimine; propter quod excommunicatio fuit inflicta, nempe auxilium, consilium praestando, ut persistat in illo crimine. Ex Constitutione Inn. III. in Cap. *Nuper* 29. de sent. Excomm.

(4) Conditiones requisitae ad incurrendam hanc excommunicationem recensitae sunt in Tractatu de Censuris n. 32. in not.

(5) Ex Cap. *Tua nos* 19, et ex Cap. *Conquesti* 22. de sent. Excom.

absolutionem. Denique omnes Casus Pontificii etiam publici, aliquo legitimo intercedente impedimento, vel stante juris privilegio (1).

3. *Quodnam sit legitimum impedimentum, quo intercedente Episcopus potest absolvere a casibus Pontifici reservatis, tam cum censura, quam sine censura: scilicet quinam juxta canones censentur impediti Romam adire, ita ut ab Episcopis possint absolvi?*

Impedimentum legitimum reducitur a Greg. IX. ex Cap. *Quamvis* 58. de sent. Excomm. ad impotentiam corporalem, et ad impedimentum canonicum. Nomine *corporalis impotentiae* intelliguntur omnia impedimenta sive aegritudinis, sive imbecillitatis virium (2), aut sexus, aut subjectionis necessariae,

---

(1) A casibus Pontifici reservatis ex delicto occulto provenientibus est etiam facultas absolvendi Episcopis concessa ex Tridentino in Cap. *Liceat*: quod mox in alia Appendice dicendum.

(2) Hinc excusantur senes, qui impotentes sunt Romam adire juxta cap. *Quod de illis* 26. de sent. excomm. At adest quaestio inter Theologos: utrum senes potentes ad ambulandum excusantur, si septuagenarii. Lege D. Ligorium. Excusantur etiam valetudinarii, sive impediti destitutionibus membrorum, ex Cap. *Ea noscitur* 13. in cit tit.: scilicet illi aegri, qui absque imminenti periculo mortis non possunt Romam adire. Item excusantur, qui sint talis impotentiae, vel ita delicati, ut laborem adeundi Romanum Pontificem non possint ferre, cum periculum mortis videatur urgere; secus, debet res summo Pontifici referri, et expectanda ejus deliberatio.

Hinc si dubium sit, an aliquod de istis impedimentis sit causa sufficiens ad excusandum ab obligatione Pontificem adeundi, hujusmodi dubium est decidendum judicio illius Episcopi, ad quem hujusmodi absolutio devolvitur; vel judicio viri prudentis ac docti, sicut in aliis dubiis moralibus. Nam neque ex cap. *Quamvis*, neque ex alio canone dubium hujusmodi decidendum reservatur tantum judicio Episcopi; ideoque generaliter hoc relinquitur judicio prudentis, et docti viri. Ita Navarrus in suo *Manuali* cap. 27. n. 89. Suarez disput. 2. n. 66.

Praeterea non tenetur nomine suo alium destinare ad Pontificem adeundum ille, qui personaliter accedere nequit ex justo, et canonico impedimento excusatus. Nam ex cano-

aut paupertatis (1), aut periculi, vel timoris gravis infamiae incurrendae, aut scandali per manifestationem delicti occulti (2). *Impedimentum Canonicum* idest impedimentum per canones approbatum, intelligitur quodcumque justum, et rationabile impedimentum, praeter impotentiam corporalem: nempe quaecumque necessitas moralis, uti esset necessitas succurrendi patri graviter indigenti, aut uxori propriae, aut familiae, aut exercendi officium publicum etc. (3). Haec impedimenta a Theologis distinguuntur ad *breve tempus*, *ad longum tempus* (4), *et in perpetuum* (5).

4. *Potestne gravatus crimine Pontifici reservato absolvi ab Episcopo, intercedente legitimo impedimento ad breve tempus?*

Minime; quia non reputatur revera esse impedimentum, quando post breve tempus cessat. At ex D. Ligorio, stante urgente necessitate recipiendi Eucharistiam ad evitandum scandalum, infamiam, potest ab Episcopo absolvi (6). Si vero impedimentum sit ad longum tempus, potest absolvi sub injuncto juramento adeundi Pontificem, quam citius, cessante impedimento (7). Tandem stante impedimento in

---

nibus exigitur accessus personalis, non obligatio alium suo nomine illuc mittendi. Ita Navarrus loc. cit. cum aliis: quos secutus est D. Ligorius.

(1) Quando sunt ita pauperes, ut nonnisi mendicando possint iter agere.

(2) Uti essent, quibus ob inimicitiam grave periculum imminet ab inimico, vel aliud probabile periculum. Item qui adeundo Romam grave damnum debent pati in bonis aut corporis, aut fortunae, aut famae, ex Cap. *De cetero*: *vel ob alias justas excusationes, quibus ab itineribus rationabiliter excusantur*.

(3) Item ob periculum peccandi in itinere: ob periculum relinquendi curam animarum.

(4) Nempe ad annum, aut ad sex menses ex D. Ligorio.

(5) Idest ad decennium; et secundum Taburrinum, et Viva etiam ad quinquennium.

(6) Lib. 7. cap. 1. dub. 5. n. 86.

(7) Non ad absolutionem iterum recipiendam; quia valide

perpetuum potest absolute ab Episcopo absolvi, satisfacta parte laesa.

5. *Quid si excusatus ex aliquo de supradictis impedimentis ad se praesentandum Romano Pontifici posset adire Legatum pro hujusmodi absolutione, potestne hoc in casu ab Episcopo absolvi?*

Minime. Nam tunc ad Inferiorem volvitur casus reservatus Superiori ratione necessitatis, quando nullus alius adest, qui jure ordinario absolvere potest. Atqui in casu adest Legatus, qui jure speciali potest absolvere. Ita colligunt ex Cap. *Ea noscitur*, Navarrus, Barbosa (1).

6. *Quinam excusantur ex juris privilegio ab obligatione adeundi Pontificem?*

Ex juris privilegio excusantur illi, qui licet nullo retineantur ex recensitis impedimentis, tamen Canonicum jus eos eximit ab obligatione Romanum Pontificem adeundi, et eis concedit, ut ab Episcopo absolvantur a reservatis Pontifici. Hi sunt: 1. pueri committentes hujusmodi scelera ante aetatem pubertatis, etsi post pubertatem petierint absolutionem (2);

---

fuit absolutus, sed ad mandatum Apostolicum suscipiendum: scilicet ad exhibendam satisfactionem parti, vel Ecclesiae: ut constat. ex cap. *Quamvis* 58. *qui temporali impedimento laborant sub debito juramento injuncto, ut impedimento cessante Romanum Pontificem adeant, mandatum Apostolicum suscepturi.*

Hinc si ab Episcopo, aut ab alio Confessario delegato ad hoc ab Episcopo, omittatur hujusmodi oneris impositio, peccatum ei est grave contra praeceptum Ecclesiae. Item si absolutus cum hoc onere, non se praesentaverit adepta valetudine, reincidit in eamdem excommunicationem, ex Cap. *Eos, qui* de sent. excom. Vid. de his doctrinis in Epitomi in Bullam Cruciatae, part. 1. §. ult. q. 8. 9. 10.


(1) Hujusmodi Legatus potest esse a *latere missus*, qui absolute potest omnes absolvere, et etiam extra Provinciam sibi commissam. Vel Legatus *simpliciter missus*, qui in sola Provincia sibi commissa, et ejusdem Provinciae incolas, ac subditos potest absolvere a casibus, et censuris reservatis Pontifici. Hoc patet ex Cap. *Excommunicatis* 9. de Off. Legati.

(2) Ex Cap. *Quamvis*, et Cap. *Pueris*, de sent. excom-

mulieres (1), mancipia, filiifamilias (2), si istorum profectioni obsistant parentes, domini; 3. Regulares (3), qui possunt etiam absolvi per suos Praelatos; et ex D. Ligorio etiamsi delictum fuerit perpetratum ante Religionis ingressum; 4. Moniales (4): (quae tamen in casu violationis clausurae non gaudent hoc privilegio ex Bullis Pii V., et Gregorii XIII.); 5. vitam simul ducentes: uti milites, commorantes in seminariis. Ita eruunt ex Cap. *Quoniam*, de vit. et honest. Cler. Barbosa, et Navarrus.

Num etiam juventus; saltem quandiu perduret, sit sufficiens causa ad excusandum a Pontificia reservatione, vid. quae docet Suarez, disp. 22. de censuris, n. 65.

(1) Ex Cap. *Mulieres*, tit. cit.
(2) Ex Cap. *Relatum*.
(3) Ex Cap. *Monachi*, 2.
(4) Ex Cap. *Moniales* 22. cit. tit.



APPENDIX TERTIA

DE FACULTATIBUS TRIDENTINI EPISCOPIS CONCESSIS IN CAP. *LICEAT* VI. SESS. XXIV. DE REFORMATIONE (1).



Q. 1. *Quinam veniunt in hoc capite* Liceat *nomine Episcopi?*

Veniunt Episcopi habentes Episcopatum, jurisdictionem, et subditos; etiamsi fuerint tantum electi, et confirmati, et nondum consecrati. Nam haec facultas competit Episcopis respectu subditorum, non respectu quorumcumque.

Intelliguntur autem hoc nomine Episcopi etiam Archiepiscopi in Dioecesibus suffraganeorum in actu visitationis. Nam sicut Archiepiscopi possunt absolvere in actu visitationis subditos suffraganeorum (2), ita possunt uti hac facultate a Tridentino concessa. At Suarez, et Sanchez (3) docent, non esse extendendum hoc ad dispensandum in irregularitatibus ex delicto occulto.

---

(1) En verba dicti cap. *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Dioecesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine; in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.*

(2) *Subditorum suffraganeorum confessiones audire, et absolvere* Cap. Finali de cens. in 6.

(3) In Decalogo, lib. 2. cap. 9. n. 6.

Hinc nomine Episcoporum non veniunt Praelati inferiores habentes jurisdictionem ordinariam, quamvis Episcopalem : etiamsi designentur in aliquibus concessionibus nomine Episcoporum , et sint exempti, et habeant propriam Dioecesim : neque Cardinales , etiamsi habeant titulum Ecclesiarum Urbis , ex declarat. Greg. XIII. in D. Ligorio lib. 7. n. 2. Ita declaratum refert Suarez (1) a S. Congregatione Cardinalium hisce verbis : *Praelatos inferiores , non comprehendi sub hoc decreto , sed tantum Episcopos privative seu exclusive quoad omnes alios* (2). Caeterum non desunt alii , qui contrarium uti probabilius teneant.

2. *Haec facultas Tridentini Episcopis concessa competitne etiam Capitulo , Sede vacante ?*

Communius affirmant Theologi. Nam haec facultas Episcopis competit jure communi, et jurisdictione territorii ordinaria ; ideoque in ipsam succedit Capitulum Sede vacante (3).

3. *Quinam nomine* subditorum *veniant in hac facultate Tridentini ?*

Quoad facultatem absolvendi a casibus occultis, nomine *subditorum* veniunt omnes, qui quomodocumque subjiciuntur Episcopo : idest non solum, qui sunt ordinarii subditi Episcopi absolventis , sed etiam qui Episcopo subjiciuntur quoad forum Poenitentiae. Hinc vagi , peregrini , scholastici , mercatores , qui accedunt ad Sacramentum Poenitentiae in ea Dioecesi. Quoad facultatem dispensandi in irregularitatibus , et suspensionibus, utrum nomine subditorum veniant quoque subditi per forum Poenitentiae, quaestio inter Theologos. At probabilius negatur; siquidem illos po-

(1) De censuris , disput. 41. sect. 1. n. 7.

(2) Ipse Suarez de Poenitentia , disput. 30. sect. 2. n. 6. docet , posse subditos horum praelatorum inferiorum absolvi , et dispensari ab Episcopis alicujus Dioecesis, intra cujus confinia continetur territorium istud exemptum ; quia quoad hos Casus morantes in territorio censentur subditi Episcopi territorii.

(3) Barbosa de Off. Episcopi , art. 2. allegat. 59. n. 17.

test Episcopus dispensare in irregularitatibus, quibus potest Ordines conferre. Sed non potest istis Ordines conferre. Ergo nec etiam potest dispensare in irregularitatibus (1). Certum est ex hac Tridentini facultate posse Episcopos dispensare suos subditos etiam extra Dioecesim existentes; et posse ipsos Episcopos extra Dioecesim manentes. Haec dispensatio valet pro utroque foro.

4. *Quid Episcopis conceditur in dispensandis irregularitatibus, et suspensionibus ex laudato Cap.* Liceat?

Conceditur facultas dispensandi in omnibus irregularitatibus, et suspensionibus, etiam Summo Pontifici reservatis, sub hisce conditionibus: 1. ut irregularitates, vel suspensiones provenerint ex delicto occulto; 2. ut non sint deductae ad forum contentiosum; 3. ut non sint ortae ex homicidio voluntario (2).

5. *Quodnam sit delictum illud occultum, ex quo proveniens irregularitas ab Episcopo dispensari potest?*

Occultum triplici modo dici potest: vel quod non est ex sua natura probabile: scilicet non subjectum humanae cognitioni (3); vel quod est ex sua natura probabile, sed probari non potest, quia nemo scit; vel quod probari potest, quia notum, sed tam paucis notum est, ut neque sit vulgare, neque in judicium deductum (4). Hisce praemissis, communius Theologi docent: occultum delictum ex laudato cap. Tridentini intelligendum illud, quod licet probari

---

(1) Suarez de censuris, disput. 41. sect. 2. n. 11.

(2) Ita interpretatur Prosper Fagnanus in Cap. *Cum dilectus*, de temp. Ordinationis n. 9. secutus Sacram Congregat. interpretem Concilii Tridentini. Quamquam istae suspensiones, quae vi hujusmodi privilegio dispensari possunt sint merae poenae, non censurae: in delictum scilicet jam commissum inflictae perpetuo, vel ad tempus praefixum sine spe relaxationis ordinariae; tamen isthaec dispensandi, seu relaxandi, facultas non extenditur generatim ad meras inhabilitates: uti inhabilitas ad Beneficium, ad Sacrificium Missae etc.

(3) Uti cogitationes, desideria non externata.

(4) Ita Glossa in Cap. *Vestra*, de cohabit. Cler. verb. *notorium*.

possit, tamen publicum et notorium non est. Nam occultum dicitur illud, quod probari non potest; aeque ac illud, quod probari potest, sed tamen non est notorium, et publicum. Ergo rationabiliter verba Tridentini non ad solum *occultum*, *quod probari non potest*, restringi debent; sed de utroque sunt intelligenda (1).

Delictum dicitur publicum, quando est *notorium*: scilicet quando major pars Communitatis scit; *manifestum*, quando divulgatum est ex fama majoris partis Communitatis orta a scientibus; *famosum*, quando de illo fama majoris partis Communitatis diffunditur ab uno sciente, vel indiciis, et praesumptionibus illis aequivalentibus. Ex his patet, tunc dici delictum publicum, quando est notorium, aut manifestum, aut famosum in vicinia, Collegio, Monasterio etc.; etiamsi non sit tale in Provincia, Civitate, Paroecia; ideoque ex hujusmodi delicto orta irregularitas minime dispensari potest ab Episcopo ex facultate cap. *Liceat*.

Porro censetur publicum, seu notorium, manifestum, famosum in vicinia, Collegio, Monasterio etc. respectu majoris partis viciniae, etc., si saltem decem personae ibi inveniantur. Item in civitatibus, vel collegiis numerosis si cognitum sit delictum saltem decem personis (2).

6. *Quandonam delictum dicitur esse deductum ad forum contentiosum?*

Ex Barbosa censetur delictum ad forum contentiosum esse deductum, postquam litis contestatio facta fuerit: scilicet per petitionem ab actore in jure propositam, et per subsecutam ipsius rei responsionem (3). Ex Suarez, et Sanchez dicitur delictum esse

---

(1) Legesis Vella Additiones ad Elementa Theologiae practicae Appendix IV. §. 1. quaes. 1.

(2) Vide Pontas in Respons. ad cas. XV. verb. disp. Irregul.

(3) *Ubi rem deductam esse in judicium*, *et litem esse contestatam* pro eodem accipiuntur. Allegat. 39. n. 29. Et ex leg. un. Codic. *tit. de Litis contest.*

deductum ad forum contentiosum, statim ac denuntiatio, aut accusatio coram judice legitimo facta sit; dummodo reo sit intimata haec denuntiatio, aut accusatio (1). Licet prima interpretatio sit multo probabilis; tamen secunda conformior videtur menti Concilii, et magis naturalis. Nam Concilium non exigit, ut delictum sit probatum, et contestatum in judicio; sed ut sit deductum: deducitur quidem per denuntiationem, aut accusationem.

At delictum censetur deductum ad forum contentiosum usquedum actio, vel accusatio, et judicium perdurat ex Barbosa; et inde sic perdurat inhibitio facta Episcopis. Ideoque in aliquibus casibus, etiam delicto ad forum contentiosum deducto, possunt Episcopi dispensare ab irregularitatibus, et suspensionibus ex eo provenientibus: nempe 1. quando peracto judicio, pronuntiatur sententia absolutoria, qua reus ab imposito crimine absolvitur defectu probationum (2); 2. quando reus falsis testibus, scripturis, etc. exhibitis absolvitur ab imposito crimine; 3. quando duorum, qui sint ejusdem criminis complices, unus tantum deducitur ad forum contentiosum, sed delictum alterius non defertur: delictum istius non censetur deductum ad forum contentiosum (3).

Hinc quaestio inter DD. an possit Episcopus dispensare in irregularitatibus, et suspensionibus provenientibus ex delicto deducto ad forum contentiosum alicubi, et dispensatio petitur a reo in Dioecesi sui Episcopi existente. Alii docent posse Episcopum dispensare, si actio judicialis in aliquo distanti loco

---

(1) Suarez Disput. 41. de censuris, Sect. 2. n 6. Sanchez in praecepta Decalogi, cap. 2. n. 21.

(2) At alii opinantur posse Episcopum absolvere ab irregularitate etc. ex delicto ad forum contentiosum deducto postquam est judicium peractum, et reus poenam subierit. Nam non impeditur judicium, et executio poenae, neque scandalum publicum affertur, quod intendebat Concilium evitare. Vid. Pontas verb. Dispens. Irregul. cas. 7.

(3) Ex auctoritate Canonistarum, et Theologorum. Adi Vella in citato Opere in eadem App. pag. 330. quaesi. 4.

fuerit intentata, adeo ut notitia ad locum, ubi reus moratur, non sit perlatura (1). Alii negant, quia Concilium dicit absolute, et simpliciter *deductum ad forum contentiosum*; et sic quodammodo delictum fit publicum (2).

7. *Quale debet esse homicidium illud, in cujus irregularitate prohibetur Episcopis dispensatio?*

Debet esse homicidium voluntarium, idest uti definit Navarrus (3), illicitum, intentum, volitum in se saltem aequivalenter, alias quam vitandae mortis causa, ab Oratore. Nam ex Tridentino ipso sess. 14. cap. 7. De Ref. cum agitur de irregularitate proveniente ex hujusmodi homicidio, dicitur homicidium debere esse directum, volitum in se, hisce verbis: *qui per industriam occiderit, et per insidias... qui sua voluntate homicidium perpetraverit.* Ideoque eodem sensu censendum est homicidium voluntarium, quod excipitur in hac facultate Episcopis concessa.

Hinc non est voluntarium in sensu Concilii homicidium commissum ab infante vel furioso; homicidium pure, et mixte casuale (4); homicidium commissum ob vitae defensionem, etiam non posito moderamine inculpatae tutelae (5).

---

(1) Pontas in resp. ad cas. 9.

(2) Sanchez, et Barbosa locis cit. Vid. Vella supra cit. p. 332.

(3) In suo Manuali Cap. 27. n. 239. et alii.

(4) Non dicitur voluntarium in sensu Concilii homicidium perpetratum ab eo, qui causam posuit, unde mors alicujus sequitur, sine animo occidendi: dummodo caussa non sit ita proxima ad inducendam mortem, ut aliter fieri nequeat; tunc enim homicidium esset voluntarium. Hinc ex. gr. si quis dat venenum alteri sine animo occidendi, sed scit venenum afferre mortem: iste vult mortem, etsi non adsit animus occidendi; ideoque ejus homicidium est voluntarium.

(5) Ut ex eodem Concilio sess. 14. cap. 7. de Reform. declaratur hujusmodi homicidium non esse plene voluntarium: *cum non ex proposito, sed casu, aut vim vi repellendo.*

Salmanticenses apud Navarrum loc. cit. docent posse dispensari ab Episcopo irregularitatem illius, qui dedit man-

8. *An Episcopus possit dispensare in irregularitate ex voluntaria membri mutilatione, si sit occulta?*

Maxime. Nam Concilium tantum excepit homicidium voluntarium. Ita communius, et ex declaratione S. Congreg. a Suarez allata (1).

Abs re autem non erit aliquos casus adnotare de irregularitatibus ex delicto occulto ortis, in quibus ex facultate Tridentini in Cap. *Liceat* possunt Episcopi dispensare. Et primo potest Episcopus dispensare in irregularitate orta ex culpabili Baptismi iteratione occulta; potest etiam si secundus Baptismus sit publicus, sed primus fuit occultus. Nam factum unde oritur irregularitas debet esse materialiter, et formaliter notum seu publicum, ut Episcopo inhibeatur facultas dispensandi ex Cap. *Liceat.* Hinc potest Episcopus dispensare in irregularitate contracta ab excommunicato publice celebrante, si excommunicatio istius sit occulta; quia est irregularitas ex delicto occulto (2). Secundo potest Episcopus absolvere a suspensione ab Ordinum exercitio eos, qui eodem die duos Ordines sacros susceperint, vel eodem die minores Ordines cum subdiaconatu: item ab irregularitate contracta ab eo, qui furtive Ordines suscepit, scilicet Episcopo non examinante, et approbante. Tertio a suspensione incursa per simoniacam pravitatem potest Episcopus absolvere ad Ordines suscipiendos; non vero dispensare inhabilitatem ad Beneficia recipienda: si tamen hujusmodi recensita delicta sint occulta.

---

datum ad aliquem leviter verberandum, et omnino prohibens mortem inferre, cum tamen mandatarius mortem attulerit. Hoc delictum debet esse occultum, ut Episcopus possit dispensare in irregularitate ex eo enata.

(1) Adi ipsum Suarez, de cens. disp. 44. sect. 2. n. 4. An vero possit Episcopus dispensare in irregularitate orta propter defectum *perfectae lenitatis* ex homicidio justo, quaestio. Verum ex saniori sententia non potest. Nam tantummodo conceditur a Trid. in irregularitate ex delicto occulto, non vero ex defectu occulto proveniente.

(2) Vid. Barbosam in Collectaneis ad laud. cap. Trid. n. 30. et seqq.

Quarto, ab irregularitate orta ex delicto haeresi occultae (1); quia tantum excipitur homicidium voluntarium. Et in aliis casibus apud Vella in opere citato. Appen. supradicta p. 335. et seqq.

9. *Quid defertur Episcopis ex laudato Cap.* Liceat *quoad facultatem absolvendi a Casibus occultis reservatis?*

Conceditur facultas absolvendi a quibuscumque Casibus occultis reservatis Sedi Apostolicae, seu Summo Pontifici: item a censuris eisdem Casibus adnexis (2), per seipsos, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum, imposita salutari poenitentia sub hisce tamen limitationibus: nempe ut Episcopus absolvat suos subditos; in propria Dioecesi; et in foro conscientiae tantum.

10. *Quinam sint subditi, qui possint ab Episcopo per hanc Tridentini facultatem absolvi?*

Sunt omnes illi, ut supra ostendimus n. 3., qui Episcopi jurisdictioni quomodocumque subjiciantur, sive quia sunt subditi ordinarii, sive quia sunt subditi in foro Poenitentiae.

11. *Quid venit verbo* suae, seu propriae Dioecesis?

Quamvis multiplici sensu (3) explicentur a Theologis illa verba Tridentini, *in sua Dioecesi*; tamen Saurez docet, verba illa taxative accipienda esse ad personam subditi, ita ut significent subditum commorari debere saltem intra confinia Dioecesis Episcopi absolventis, etiamsi Episcopus absolvens extra suam Dioecesim existat (4).

12. *Quid sibi velit illud in* foro conscientiae tantum?

---

(1) Ex communiori sententia. Relege in tract. de censuris n. 73. in notis.

(2) Legesis Vella in opere cit. §. 2. p. 349.

(3) Nempe vel ut Episcopus, et subditi commorentur intra Dioecesim: vel ut Episcopus saltem intra Dioecesim existat, licet subditus alibi moretur; vel ut subditus existat extra Dioecesim, etiamsi alibi Episcopus maneat.

(4) Suarez De censuris, disp. 41. sect. 2. n. 11. Suarez adhaeret Clarissimus Vella in cit. opere, pag. 354. quaesi. 2, in cit. §.

Ex Sanchez distinguendum *forum conscientiae a foro poenitentiae*, *seu sacramentali.* Forum poenitentiae, seu sacramentale importat actum confessionis quoad absolutionem; forum conscientiae importat forum oppositum foro exteriori, seu contentioso. Ex hisce patet verba illa Tridentini *in foro conscientiae* intelligenda non esse ad significandum forum Sacramentale; ita nimirum ut Episcopus absolvere tantum possit audita confessione, et in Sacramento; sed significare hanc Episcopi absolutionem pro foro tantum interno valere, et nihil prodesse pro externo, seu contentioso; libera remanente judicibus potestate reum jam in foro conscientiae ab Episcopo absolutum debitis poenis plectendi (1).

13. *Quomodo intelligatur illud* Episcopum posse

---

(1) Navarrus, Lib. V. Const. 1. tit. de privilegiis 11. n. 2. Nam si intelligerentur a Concilio illa verba *in foro conscientiae* pro foro sacramentali, inutilis esset limitatio apposita *in sua Dioecesi*; cum Episcopus nonnisi praesentem subditum posset sacramentaliter absolvere.

Hinc mihi probabilius videtur, quod possit Vicarius specialiter ab Episcopo deputatus absolvere a censuris hujusmodi, ac dispensare ab irregularitatibus, et suspensionibus praedictis in foro tantum conscientiae extra forum Sacramentale; dummodo ab Episcopo non committatur huic Vicario delegatio in foro sacramentali exercenda, vel non adsit talis consuetudo. Hoc de alia doctrina disserens Sanchez de Matr. L. 8. Disp. 34. n. 29. probabilius tenet. Vella contrarium tenet: quia docet, hujusmodi facultatem concessam censendam esse in ordine ad confessionem, ac Sacramentum Poenitentiae.

Advertas quaeso, quod illud a Gregorio XIII. sancitum; nimirum *posse Episcopum absolvere dumtaxat in foro Poenitentiae*, *non autem dispensare*; intelligatur quoad subditos Episcopo factos in foro poenitentiae; de quibus tunc quaesitum fuit a S. Congr., et propositum fuit Summo Pontifici Gregorio XIII. Ideoque consentaneum est doctrinae expositae a Navarro quoad subditos ordinarios Episcopi; quia quoad subditos per forum poenitentiae, scilicet Scholares, Mercatores, Forenses, nonnisi in hoc foro potest absolvere Episcopus sive per se, sive per Vicarium ad id specialiter deputandum, ut mox explicabimus.

per seipsum, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum?

Haec verba indicant, posse Episcopum vi hujus facultatis absolvere vel per seipsum, aut per alium quemcumque, cui Episcopus vices suas quoad illos Casus absolvendos specialiter commiserit. Nam istiusmodi facultas est adnexa muneri, et dignitati Episcopali, non personae; ideoque est eis ordinaria, seu ad eos pertinet isthaec facultas jurisdictione ordinaria (1). Episcopus autem speciali tantum delegatione potest aliis committere hanc facultatem absolvendi. Quae quidem specialis delegatio duplici modo fieri potest: vel quando Episcopus alteri committit vices suas circa aliquem Casum reservatum specialiter occurrentem; vel quando generaliter alteri committit vices suas quoad hoc speciale munus absolvendi ab his Casibus. In utroque modo semper habetur *vicarius specialiter ad id deputatus*, requisitus a Tridentino in hac facultate concessa (2).

Haec delegatio potest ab Episcopo fieri etiam quoad dispensandum in irregularitatibus; et quidem ampliori modo: scilicet generaliter delegando alteri suam jurisdictionem. Cum enim generaliter delegat suam jurisdictionem, implicite delegat etiam hanc facultatem, secundum Suarez (3): licet alii contrarium sentiant. Nam quoad hanc facultatem dispensandi ex laud. Cap. *Liceat* non apponuntur limitationes *aut per seipsum, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum*. Ideoque haec facultas Episcopis est delegabilis, et non restricta, sed generaliter concessa quoad Vicarium. Contra vero Vicarius generalis Episcopi non potitur hac facultate Tridentini ex Cap. *Liceat* ex generali commissione Vicariatus. Cum enim dicitur, Vicarium generalem posse id, quod potest Episcopus, cujus ipse est Vicarius, id eo sensu acci-

(1) Haec est ratio jurisdictionis ordinariae, scilicet posse aliis delegari. Ex cap. ult. de off., et potest. judicis delegati.
(2) Sanchez lib. 11. n. 23.
(3) Lege Vella in Op. cit. Ap. cit. pag. 358. quaes. 5.

piendum est; quatenus possit, quod potest Episcopus potestate ordinaria propria, non vero id, quod potest Episcopus potestate delegata, etsi ordinaria; nimirum adnexa officio Episcopali. Porro talis est facultas a Tridentino per Cap. *Liceat* exhibita, nempe ordinaria delegata, non ordinaria propria. Vide Sanchez de Matrim. L. 2. D. 40. n. 16. apud D. Ligorium App. 2. de Privilegiis n. 31.

Hinc etiam sequitur: posse Episcopos eligere sibi aliquem Confessarium, ut ab hisce Casibus absolvantur, si forte in illos inciderint; aut alteri committere facultatem dispensandi se ab irregularitatibus, quibus fortasse illigati fuerint. Secus enim Episcopi in hac facultate, et privilegio essent conditione deteriores, quam ceteri. Et quoad absolutionem a Casibus Suarez refert declaratum esse a S. C. Cardinalium hisce verbis: *Dubium fuit propositum: an Episcopo in aliquo delictorum, de quibus hoc Capite, prolapso, liceat ad se absolvendum, proprium Confessarium deputare cum eadem auctoritate, quam ipse potuisset ex hoc Capite in sibi subditos exercere. Responsio haec fuit: Congregatio censuit id Episcopo licere* (1).

14. *Cum in facultate Episcopis concessa ex hoc Cap.* Liceat *quoad absolutionem dicatur*: et imposita salutari poenitentia, *an isthaec poenitentiae salutaris impositio sit de essentia pro valore absolutionis*?

Minime. Nam in hac facultate a Tridentino concessa expressio haec *imposita salutari poenitentia* intelligi debet juxta communem formam juris: qua scilicet monetur absolvens, ut servet formam juris (2):

(1) Praeterquamquod Episcopis concessum est ex jure communi, ut providum, et discretum sibi valeant eligere Confessarium. Cap. *Ne pro dilatione* ult. de Poenitent. et Remiss. Porro Casus occulti Pontificii non reputantur reservati respectu Episcopi ex hoc Decreto Tridentini. Ergo continentur in generali facultate Episcopis concessa eligendi sibi Confessarium. Hoc etiam quoad haeresim probabilius tenet Suarez, de poenitent. Disput. 30. sect. 2. n. 15.

(2) Ex Tridentino ipso sess. 14. cap. 8, de satisfact. ne-

ea autem omissa non fit irrita absolutio ex communi DD. sententia: ut docet Navarrus in suo *Manuali*, cap. 27. n. 37. hisce verbis: *Absolutio data virtute mandati Papae ad absolvendum secundum formam juris valet, quamvis ea non servetur.*

15. *Num ex dicto Capite Episcopis deferatur facultas absolvendi etiam a Casibus occultis ab Episcopis reservatis etiam cum censura?*

Licet alii affirment; tamen extra dubitationis aleam posita res est, Episcopis non concedi hujusmodi facultatem ex dicto Cap. *Liceat*: quod patet ex declaratione Benedicti XIV., quae incipit *Pias Christi Fidelium*, edita anno 1752; et etiam eruitur ex Constitutione Clementis X. *Superna*, et ex decreto Clementis VIII. (1).

16. *Gaudentne Episcopi hoc privilegio a Tridentino concesso etiam quoad Casus occultos post Tridentinum reservatos?*

Communissime docent DD., gaudere Episcopos hoc privilegio etiam quoad Casus occultos postea reservatos. Nam lex specialis non censetur tolli per legem generalem posteriorem, nisi illi expresse derogetur. Ideoque hoc privilegium non tollitur per posteriores reservationes, nisi quando adsit expressa, vel sufficiens clausula derogatoria huic privilegio, uti esset haec clausula: *etiam in occultis casibus*; aut, *non obstante quocumque decreto etiam Concilii generalis* (2).

17. *An ex laudato Tridentini privilegio possint Episcopi absolvere Moniales ab excommunicatione contracta ob violationem clausurae, etiam ad malum finem.*

Maxime: dummodo hoc delictum sit occultum. Ita ex Cabassutio, et ex aliis Theologis apud D. Li-

---

cessitat. *Sacerdotes debent pro qualitate criminum, et poenitentium facultate salutares, et convenientes satisfactiones imponere.* Vid. de hac doctrina in Epitomi in Bulla S. Cruciatae in calce hujus tertiae Partis par. 1. §. ult. q. 8.9. 10.

(1) Lege Vella in loc. cit. q. 8. p. 361.

(2) Alii Theologi contrarium tenent apud D. Ligorium Lib. VI. n. 594.

gorium. Neque, obstare docent declarationem Gregorii XIII. a Fagnano relatam in Cap. *Dilectus* n. 34.; quia non constat esse authentica. At D. Ligorius contrarium tenet. Lib. VI. n. 594. (1).

18. *Extenditurne haec facultas etiam ad absolvendum ab excommunicatione contracta ob absolutionem complicis?*

Quamvis negant DD., quia cum hoc delictum sit semper occultum, videretur frustari reservatio, si possent Episcopi ex laudato Tridentini privilegio absolvere: tamen D. Ligorius probabile putat cum Salmanticensibus, et aliis. Nam licet ordinarie hic Casus sit occultus, tamen potest esse publicus (2); adeoque eveniret casus, in quo non evaderet frustanea, sed remaneret reservatio Pontifici: idque haberi etiam potest in locis, ubi non est receptum Tridentinum; aut saltem Romae, ubi non adest alius Episcopus, quam Summus Pontifex.

19. *Quonam sensu occultum intelligendum sit haeresis delictum, a quo possunt absolvere Episcopi ex Tridentini facultate.*

Occultum delictum haeresis juxta mentem Concilii in laudato Cap. *Liceat* est intelligendum eo sensu, quem praefiximus in determinando delictum occultum, ut supra n. 5. Ideoque haeresis externa, et manifesta, tantum vero ea, quae sit occulta, potest

---

(1) Hinc patet posse Episcopos absolvere Religiosos suspensione a Divinis illigatos ob admissionem foeminarum in Monasterium: ab excommunicatione ob crimen duelli, non obstante Const. Clementis VIII. secundum Dianam, et alios Theologos. Vid. Vella in cit. opere p. 368. in q. 9. Deinde sequitur, posse absolvere a suspensione quavis, et excommunicatione contracta ob simoniae scelus; dummodo tamen delictum sit occultum. Attamen non potest dispensare ab inhabilitate contracta ad recipiendum illud ipsum Beneficium.

(2) D. Ligorius, de Sacram. Poenit. cap. 2. de Ministro n. 55. At apud Doctores communissime haec facultas Tridentini in cap. *Liceat* Episcopis concessa non datur Episcopis illarum Dioecesum, ubi Concilium non est receptum.

absolvi ab Episcopis vigore hujusmodi facultatis (1).

20. *Haec facultas Episcopis concessa fuitne restricta per verba illa* in foro conscientiae *ad forum Sacramentale, ita ut Episcopi debeant audire confessionem in absolvendo ab haeresi?*

Minime: ut dictum est in n. 12. Nam Episcopi eo sensu possunt uti hac facultate quoad forum tantum Conscientiae, quatenus nempe excludatur forum externum; non quatenus facultas ad forum Sacramentale praefiniatur. Itaque possunt absolvere a censura, postea remittendo delinquentem ad quemcumque Confessarium, ut absolvat a peccato (2).

21. *Potestne Episcopus facultatem absolvendi ab haeresis delicto occulto aliis delegare virtute hujusmodi Decreti?*

Quaestio acerrima inter Theologos, et Canoni-

---

(1) An hoc privilegium absolvendi ab haeresi occulta concessum Episcopis per cap. *Liceat* fuerit derogatum per Pontificiam Constitutionem dictam, Bullam *Coenae*, multum disceptatum fuit inter DD. Sed jam nunc lis finita est, cum multis ab hinc annis amplius ea non vigeat: quod apud omnes compertum est. Attamen plures defendunt hanc facultatem esse derogatam Episcopis per Bullam Pii V., in qua prohibetur absolutio haeresis occultae, *praetextu quorumvis indultorum per nos, ac cujuvis Concilii decreta concessorum*; et per plures declarationes ejusdem Pii V. et Gregorii XIII. allatas a Cardinali Lambertini postea Benedicti XIV. Leg. D. Ligorium Lib. 7. n. 84. Immo vero nonnulli Theologi docent; Episcopos amisisse hanc facultatem ex desuetudine; siquidem consueverunt illam semper petere a Pontifice. Caeterum ex hoc non derogatur Episcopis potestas absolvendi ab haeresis delicto, etiam publico, illos, qui nequeunt aliquo intercedente legitimo impedimento adire Romam, aut id obtinent ex juris privilegio: uti dictum est in Appendice II. n. 2. Nam hoc in casu Episcopi non habent facultatem hujusmodi ex cap. *Liceat*, sed ex jure ordinario proprio ob cessationem reservationis hoc accedente legitimo impedimento, aut juris privilegio. Hinc quando legitimo impedimento instante adeunti Romam, vel juris privilegio, potest Episcopus absolvere, potest etiam Vicarius generalis Episcopi absolvere, et alicui delegare: apud D. Ligorium App. 2. de Privilegiis n. 40. et 41.

(2) Vide Vella App. et §. cit. quaes. 7. p. 381.

stas. Navarrus, Sanchez, et alii docent, posse delegare in casu speciali, et particulari pro aliquo speciatim ab hoc crimine absolvendo. Siquidem, ajunt, per verba *Episcopis tantum*, *et non eorum vicariis* excludi Vicarium generalem, vel quasi ordinarium Episcopi; vel Vicarium specialiter deputatum ad absolvendos omnes Casus occultos ex hoc Decreto Episcopis commissos; aut etiam excludi Vicarium specialiter destinatum ad omnes haereses occultas absolvendum; non autem excludi Vicarium specialissimum. Alii cum Suarez, Palao contrarium defendunt (1).

22. *Ex hac restrictione Tridentini in absolvenda haeresi tantum occulta derogaturne potestas data Episcopis absolvendi a crimine haeresis in aliquo casu?*

Minime. Nam non est derogata Episcopis potestas absolvendi haereticos resipiscentes, et ipsos Ecclesiae reconciliandi, qui aut sponte coram ipsis comparent, aut quoque modo ad ipsorum Tribunal deducuntur: ut patet ex Bendict. XIV. de Synod. Dioeces. Lib. 9. cap. 4. n. 2. Ideoque hoc in casu Episcopi possunt absolvere haereticos in utroque foro, servatis servandis, eosque ad Confessarium remittere, ut a peccatis absolvantur.

(1) Vide Vella in cit. loc. quaes. 8. pag. 382. Delictum haeresis non erat reservatum. Anno 1420. fuit reservatum Pontifici: ut refert Joannes Chapeaville de Casibus reservatis. Part. II. cap. 1. q. 1. Difficult. unica.



APPENDIX QUARTA

DE SEX CASIBUS A CLEMENTE VIII. SPECIALITER RESERVATIS.

Qui dicuntur extra Urbem, et intra Italiam.



Q. 1. *Quinam sunt Casus specialiter reservati per decretum S. C. ex speciali mandato Clementis VIII.?*

Sequentes: violatio immunitatis Ecclesiae quoad confugientes ad eam in terminis Constitutionis Gregorii XIV. Violatio Clausurae Monialium ad malum finem. Casus provocationis, vel pugnae in duello factae in terminis Tridentini, et Constitutionis Gregorii XIII. Injectio manuum violenta in Clericos, vel in Monachos juxta Caput *Si quis* etc. Simonia realis scienter contracta. Simonia confidentialis scienter contracta (1).

(1) Cum autem dubia quaedam, ac difficultates circa ejusdem Decreti interpretationes, atque observantiam emerserint; eadem S. Congregatio ex mandato ejusdem Clementis VIII. similiter vivae vocis oraculo ea de re habito, ipsum Decretum temperavit. Cujus declarationis summa haec est.

Prohibetur quibuscumque Confessariis tam Secularibus, quam Regularibus, ne absolvant 1.° *a Casibus violationis Immunitatis Ecclesiasticae in terminis Constitutionis Gregorii XIV.*: 2.° *Violationis Clausurae Monialium ad malum finem*: 3.° *Provocantium, vel Pugnantium in duello in terminis Concilii Tridentini, et Constitutionis Gregorii XIII.*: 4.° *Injicientium manus violentes in Clericos juxta cap. Si quis etc.*: 5.° *Simoniae Realis scienter contractae*: 6.° *Demum Simoniae Confidentialis etiam scienter contractae: idque etiam in casu necessitatis, impedimenti, praeterquam in mortis articulo, vel si habeant licentiam specialem a Sede Apostolica in scriptis, vel viva voce, sub poena, quoad Confitentes, nullitatis absolutionis, quoad Confessarios vero,*

Hi Casus sunt specialiter reservati tantum in toto ambitu Italiae, et Insularum adjacentium, excepta urbe Romae: ideoque vulgo dicuntur: *Extra Urbem, et intra Italiam.* Dicuntur autem specialiter reservati; quia indigent speciali facultate a Sede Apostolica in scriptis, vel viva voce concessa, ut absolvantur; secus incurritur poena nullitatis absolutionis quoad poenitentem; et quoad Confessarium ipso facto excommunicatio, privatio officiorum, dignitatum, beneficiorum, et inhabilitas ad ea in posterum obtinenda, Pontifici reservata.

Primus Casus. » Violatio immunitatis Ecclesiae » in terminis Constitutionis Gregorii XIV., quae incipit: *Cum alias nonnulli.*

2. *Quando, et quomodo censetur violata Ecclesiae immunitas, et haec specialis reservatio incurratur?*

Haec Ecclesiastica immunitas est privilegium Ecclesiae concessum, ut nemo ad ipsam confugiens inde violenter extrahatur ex Cap. *inter alias* in 6. de Imm. Eccles. Quod quidem privilegium concessum est Ecclesiae ex jure Canonico, et jure Civili: uti patet ex variis sanctionibus Canonicis, et ex integro titulo Cod. *de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Hinc Concilium Aurelianense I. sic statuit de hac immunitate: *id constituimus observandum, quod Ecclesiastici Canones, et Romana lex constituit.* His praemissis. Dicitur violari immunitas isthaec, quando quis confugiens ad Ecclesiam, ne subeat poenas commeritas, ab illa violenter extrahitur. Violenter, inquam, tam physice, quam moraliter: idest aut per vim, aut per dolum, aut per metum gravem incussum. Secus vero, si per blanditias, aut promissionem quis efficiat, ut Ecclesiae asylum deseratur (1).

---

excommunicationis, privationis Officiorum, Dignitatum, Beneficiorum, inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, quae ipso facto incurruntur absque ulla alia declaratione. Neque ab ullo dispensari, habilitari, vel absolvi possunt, nisi a Sede Apostolica, praeterquam in mortis articulo.

(1) Apud Consalez commen. in cap. *Inter alias* n. 9.; item in adnot. ad idem cap. n: 4.

3. *Quinam sit Casus Constitutionis Gregorii XIV., qui in terminis heic specialiter reservatur a Clemente VIII.?*

Casus Constitutionis Gregorianae hisce fere in terminis habetur: omnes, qui confugientes ad Ecclesiam, *capere*, *extrahere aut incarcerare* praesumpserint extra casus permissos (1), aut in ipsis casibus permissis, sine licentia Episcopi, vel ejus Officialis, et sine interventu personae Ecclesiasticae ab Episcopo auctoritatem habentis, ipso facto incurrunt excommunicationem, praeter alias poenas, quae per canones inflictae fuerunt adversus Ecclesiasticae immunitatis violatores. Ideoque qui contra hujusmodi Constitutionis formam *aliquid attentare praesumpserit*, incidit in hanc specialem reservationem.

4. *Num sufficiat sola attentatio violationis hujus immunitatis, ut dicta excommunicatio incurratur?*

Maxime. Nam verba sunt Constitutionis: *qui aliquid attentare praesumpserint*. Ideoque sola attentatio, seu actio proxima externa, qua quis tentavit extrahere, capere, vel incarcerare receptum in Ecclesia causa refugii, est sufficiens ad incurrendam excommunicationem contra violatores Ecclesiae immunitatis. Quae quidem excommunicatio a DD. extenditur etiam ad mandantes hujusmodi violationem.

5. *An sufficiat licentia alterius personae, praeterquam Episcopi licentia, ut confugiens possit extrahi in casibus exceptis, quin contrahatur haec excommunicatio?*

Ex Constitutione laudata non sufficit; ideoque qui, eo modo confugientem extrahit, non excusatur ab excommunicatione ob Ecclesiae immunitatis violationem. Nam prohibetur, ne reus extrahatur etiam

---

Ecclesiae ambitus heic latiori sensu est accipiendus, cum agatur de favore. Hinc docet Suarez, gaudere immunitate eum, qui existit supra tectum Ecclesiae, aut supra tegulas: item si inhaereat januis Ecclesiae clausis; quia existit intra concavum Ecclesiae parietis.

(1) Quinam sint isti Casus, mox dicemus.

in casibus exceptis, in quibus locum non habet immunitatis privilegium, sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, idest Vicarii generalis. Quinimo in locis exemptis, ac nullius Dioecesis, hujusmodi negotium jubetur deferri ad Episcopum viciniorem, ut tantum ab illo licentia extrahendi obtineatur, non ab aliis.

At vero in Regno Neapolitano ex vi Concordati inter Benedictum XIV., et Carolum III. ann. 1741. quisque confugiens ad Ecclesiam, si sit reus criminis excludentis a privilegio immunitatis, potest extrahi ab Ecclesia, quando rogante Magistratu saeculari *cum indiciis ad capturam* licentia extrahendi conceditur ab Episcopo, aut ejus Vicario generali, si in urbe casus contigerit; extra urbem vero in aliis locis licentia conceditur a Vicario Foraneo, aut istius defectu ab alia persona Ecclesiastica digniori, quae Superioris loco habetur: interveniente semper aliqua Ecclesiastica persona ab iisdem designata.

Est et aliud praeterea discrimen inter jus commune, et dictum Concordatum; siquidem ex jure communi reus in casibus, in quibus non fruitur privilegio immunitatis, debet extrahi ab Ecclesia, et reponi in carceribus Curiae Episcopalis, donec Episcopus cognoscat reum non gaudere immunitate; ex jure autem Concordati in Regno Neapolitano, debet reus hujusmodi tradi Curiae saeculari interposita obligatione cum juramento, in scriptis facienda ab ipso judice saeculari, detinendi scilicet reum nomine Ecclesiae, et ipsum Ecclesiae restituendi, si decretum fuerit eum gaudere privilegio immunitatis (1).

6. *Quaenam loca ex jure communi gaudent privilegio immunitatis?*

Ecclesia auctoritate Episcopi fundata, vel consecrata, vel benedicta. Ideoque tali privilegio potitur etiamsi tantum constructa, et nondum benedicta; quia per injectionem primi lapidis auctoritate Episcopi est

(1) Confer Concordatum laudatum Cap. 2. *dell' Immunità locale.*

jam dedicata divinis obsequiis. Idem asserendum de Oratoriis auctoritate Episcopi constructis; de monasteriis, et domibus Religiosorum quoad totum claustrum; et denique de domibus Episcoporum, etsi separatae sint ab Ecclesiis (1). Gaudent vero ejusmodi privilegio Ecclesiae etiam interdictae, et pollutae. Nam per interdictum, et pollutionem non impeditur hujusmodi effectus. Quoniam hoc privilegium cum sit favorabile, latius interpretandum est: hinc nomine Ecclesiae veniunt loca externa Ecclesiae adhaerentia, uti tectum, turris campanaria, sacristia, coemeterium, cellulae seu domus, hortuli, balnea, areae, porticus Ecclesiae adhaerentes.

At ex lege supradicti Concordati in regno Neapolitano: 1. excluduntur Ecclesiae rurales existentes extra civitatem, et loca habitationibus frequentata, in quibus Ecclesiis non asservatur Eucharistia; exceptis Parochiis, et aliis Ecclesiis ab ipsis dependentibus, in quibus cura animarum exercetur. 2. In omnibus Ecclesiis jus asyli seu immunitatis non extenditur quoad exterius, nisi usque ad atrium, et faciem anteriorem; dummodo atrium sit clausum muro, vel porticibus, scalis, ac portis anterioribus, et lateralibus. 3. Excluduntur Capellae, oratoria existentia in domibus Particularium, et Magnatum; quamvis habeant privilegium, ut sint publici juris, et ingressum habeant in via. Item omnes Capellae in arcibus, et Castellis clausis; licet in istis asservetur Eucharistiae Sacramentum. 4. Excluduntur turres campanariae separatae ab Ecclesia, et a muris ipsius; horti, pomaria, et alia hujuscemodi loca Ecclesiae: ac domus Religiosarum, quae muris non sint circumseptae, neque intra clausuram contineantur. 5. Excluduntur Ecclesiae dirutae, et derelictae jam pracedente profanatione auctoritate Ordinarii; 6. sic etiam officinae, et domus conjunctae parietibus Ecclesiae, monasterii, et cujuslibet domus Religiosae non contentae in-

(1) Ex variis canonibus, et ex Constitutione Gregorii XIV. supra exposita apud Vella append. 5. quaesit. 5.

tra clausuram ; etsi habeant internam communicationem cum iisdem. 7. Denique excluduntur domus habitationis Sacerdotum, et aliarum personarum Ecclesiasticarum ; quamvis istae ingressum habeant in Ecclesiam. Tantum vero gaudet immunitate domus Parochorum, vel alius Ecclesiastici addicti curae, et custodiae Ecclesiae ; dummodo ista domus habeat ingressum in Ecclesiam, et habitetur a Parocho, vel ab alio Ecclesiastico, uti dixi ; licet aliunde habeat ostium cum egressu etiam in pubblica via.

7. *Quinam perfruuntur hoc privilegio immunitatis quoad confugium ad Ecclesiam?*

Omnes fideles baptizati. Hinc gaudent hoc privilegio servi stricte dicti, si sint fideles baptizati ; excommunicati, interdicti, etiam personaliter ab ingressu Ecclesiae. Sane excommunicatio, et interdictum, etiam ab ingressu Ecclesiae, non extenditur plus quam a jure statutum est. At a jure non decernitur in istos poena privationis immunitatis quoad confugium ad Ecclesiam (1).

8. *Quinam sunt Casus excepti ex jure communi, in quibus privilegium immunitatis non habetur?*

Ex Gregoriana laudata Constitutione excipiuntur sequentes Casus, seu crimina, in quibus non habetur privilegium hujusmodi immunitatis. Nimirum excluduntur 1. ab hoc privilegio publici latrones, seu qui publice, ac frequenter transeuntes per viam invadunt, et despoliant, vel in mari palam, et frequenter praedas invadunt. 2. Grassatores viarum, qui itinera frequentata, ac publicas stratas obsident, et viatores ex insidiis aggrediuntur, scilicet ad homines interficiendos, vel despoliandos. 3. Depopulatores agrorum. 4. Qui homicidia, et mutilationes in

---

(1) Infideles tunc fruuntur immunitate asyli in Ecclesia, quando confugientes in Ecclesiam, non simulate baptismum petunt. Vide Navarrum in suo manuali, cap. 25. n. 20.

An clerici gaudeant immunitate asyli in Ecclesia adversus judicem Ecclesiasticum, quaestio inter DD. Vid. Vella loc. cit. quaesit. 10.

Ecclesiis, earumque coemeteriis perpetrant. 5. Proditorie occidentes proximum, seu qui homini etiam Infideli, nihil hujusmodi metuenti, et existenti in bona fide dolose mortem intulerint. Denique qui sunt rei assassinii, vel haeresis (1); item etiam qui rei sunt laesae Majestatis in persona ipsiusmet Principis. Assassinii heic dicuntur, qui pretio conducti hominem incautum occidunt: et in hoc casu etiam mandans, et cooperatores ad hujusmodi assassinium, privantur jure immunitatis, etiamsi caedes non sequatur: dummodo deventum fuerit ad actum proximum effectui, idest ad insultum seu vulnerationem.

9. *Quaenam exceptiones praeter enumeratas in jure communi habentur in Regno Neapolitano ex Concordato supra laudato inter Benedictum XIV., et Regem Carolum III.?*

Excipiuntur ab hoc immunitatis privilegio: 1. Incendiarii omnes, idest omnes, qui dolo malo, et data opera ignem injiciunt, aut efficiunt, ut injiciatur; aut scienter praestant consilium iis, qui ignem injiciunt Ecclesiis, quibuscumque locis sacris, ac religiosis, aut domibus idoneis ad habitandum quocumque loco existentibus; item tuguriis instar domorum constructis, aut armentis, gregibus, vineis, satis, olivetis, sylvis, praediis quibuscumque arboribus consitis, cultis, ac frugiferis. 2. *I Ricattori*, nempe qui de loco ad locum alium ducunt, aut adducunt homines, et retinent ibidem, ut cogant illos sese redimere aliquo pretio: item qui per nuntios, vel per litteras pecunias aut aliud exquirunt, minitando mortem, vel incendium personis, aut rebus istorum. 3. Qui scienter, et dolo malo, animo nocendi conficiunt, vel propinant venenum; etsi mors non sequatur, aut ob aliquod casum potio veneni non fuerit sumpta. 4. Grassatores, ac latrones viarum publicarum, et locorum vicinorum, etiam pro prima vice. 5. Qui noctis tempore clavibus falsis, aut adulterinis, aut a-

---

(1) Ob delictum haeresis amittitur jus immunitatis, non vero ob alia delicta non excepta ab haeretico patrata.

lio instrumento ostia domorum, officinarum etc. aperiunt, vel infringunt, aut incendunt januas, vel ingrediuntur per tectum, fenestras, per foramen apertum in muris, et eam quantitatem auferunt, qua rei sint supplicio mortis juxta juris communis, vel patriae legum sanctiones. 6. Qui noctis tempore *sotto nome di Corte*, aut falsis praetextibus sese ministros justitiae mentientes, efficiunt, ut domus ostia sibi aperiantur ab incolentibus, et ingressi furantur, vel honestati foeminarum illuc habitantium vim inferunt. 7. Excipiuntur falsificantes cedulas, aut syngraphas, vulgo *fedi di credito*; aut alias scripturas Mensae pubblicae vulgo *di pubblico Banco*: item falsificantes mandata, vulgo *ordini di pagamento*, quorum vi cum detrimento publicae fidei pecunias exigunt *in pubblico Banco*. 8. Item fraudulenti Decoctores, vulgo *frodosi falliti*, qui simulantes patrimonium negotiatione decoxisse, bona sua abscondunt in fraudem creditorum. 9. Regii Aerarii Praefecti civitatis Neapolitanae, ac generales Provinciarum Perceptores, qui aut servantes, aut recipientes pecunias regias a ministris inferioribus, aut a debitoribus Regiae Camerae, ut eas transmittant ad Arcam generalem, furtum faciunt, aut falsum committunt: item Quaestor Arcarius, vulgo *Cassiere maggiore*, ac ceteri Officiales *di Banco*, qui auferunt a pubblica Mensa pecuniam: necnon qui custodiunt pignora, et ceteri officiales, ac ministri publicorum Montium abducentes pignora. 10. Quaestores Arcarii Universitatum Regni, qui surripiunt ab eadem Arca pecuniam. Verum hi ultimi tunc ex suo crimine privantur privilegio immunitatis, quando in tanta pecunia, vel pignorum quantitate surripiunt, ut poena ordinaria habeatur. 11. Omnes delinquentes, ac rei criminis laesae Majestatis tam in primo, quam in secundo capite. Et in secundo capite quoad personales injurias irrogatas Ministris justitiae in actu officii intelliguntur ii, qui laedunt factis, non verbis tantum personas ministrorum justitiae, administrantium justitiam, et jurisdictionem habentium auctoritate summi Imperantis. 12. Omnes, qui per vim ex-

trahunt, et efficiunt, ut extrahantur rei ab Ecclesiis, aliisque locis perfruentibus privilegio immunitatis. 13. Omnes, qui in locis immunitate gaudentibus committunt homicidia, mutilationes membrorum, aut quomodocumque aliud crimen, in quo *de jure communi intràt poena sanguinis*, *aut triremium*. Item qui in sacris iisdem locis sese confugientes, et inde egressi eadem facinora admiserint. 14. Tandem qui abutuntur jure confugii etiam pro prima vice, debent a loco sacro jussu Episcopi emitti; et in alium locum deferri, iisdem vero admonitis: quod si iterum abusi fuerint, omni immunitatis beneficio expoliati per Episcopos denuncientur.

Ex lege ultimi Concordati vigentis nùnc in nostro Regno Duarum Siciliarum initi anno 1818. inter Summum Pontificem Pium VII., et Regem Ferdinandum I. nihil est derogatum, aut innovatum quoad immunitatem localem Ecclesiasticam determinatam in Concordato Benedictum XIV. inter, et Carolum III.; immo declaratum ibi legimus: omnia, quae non fuerunt recensita, ac statuta in praesenti Concordato, permanere juxta vigentes canones Ecclesiae. Art. 30. » Quanto agli altri oggetti Ecclesiastici, de' quali non » è stata fatta menzione ne' presenti articoli, le cose » saranno regolate a tenore della vegliante disciplina » della Chiesa, e sopravvenendo qualche difficoltà, » il Santo Padre, e Sua Maestà si riservano di con- » certarsi fra loro.

Secundus Casus. » Violatio Clausurae Monialium » ad malum finem.

10. *Quid importat Clausura?*

Clausura est spatium illud, quod intra januam monasterii semper clausum continetur: idest intra quod Moniales sistere se debent, et ex eo egredi nequeunt sine violatione clausurae. Hinc Moniales violant clausuram, si ultra praedictos terminos Monasterii progrediantur, etiamsi adeant Ecclesiam exteriorem ipsius Monasterii. Probabilius autem violant etiam clausuram, si ascendant super tegulas tecti Monasterii; et ex D. Ligorio, cum aliis, si ad unum,

vel ad duos tantum pedes processerint extra Clausurae terminos. At possunt excusari a gravi violatione ob parvitatem materiae; uti esset si qua Monialis unum tantum pedem extenderet extra Clausuram, altero intra retento (1).

11. *Quaenam Moniales tenentur ad Clausuram?*

Omnes, et singulae Moniales, quae tacite, vel expresse Religionem profitentur, et in Congregatione vivunt: uti patet ex concilio Tridentino Sess. 25. cap. 5. et ex Constit. Pii V. *Circa Pastorales*. Hinc Novitiae non tenentur ad Clausurae legem; neque tenetur mulier, quae existens in domo sua profitetur Religionem secundum juris solemnitates (2).

12. *Quomodo peccant, et in quam poenam incidunt Moniales Clausuram violantes?*

Peccant contra praeceptum Ecclesiae obligans ad Clausuram, et contra votum, si voto se Clausurae addixerint; vel contra obedientiam, si clausura praecipiatur a statutis regulis Monasterii. Violantes autem Clausuram per egressum e Monasterio incidunt ipso facto in excommunicationem Pontifici reservatam, et in privationem dignitatum, officiorum, administrationum (3), et in inhabilitatem ad ea in posterum obtinenda: ex Constit. Pii V. *Decori et honestati*. Item in easdem poenas incidunt Praesidentes, et alii Superiores concedentes licentiam egrediendi in casibus a praedicta Constitutione non permissis. Tandem in supradictam excommunicationem incurrunt comitantes, vel receptantes Moniales, quae violaverunt Clausuram; dummodo eorum comitatu, ac receptione cooperentur egressui, vel perseverantiae in ipso egressu; non vero si hoc fiat urbanitatis, amicitiae, vel consanguinitatis causa, secundum Bonacina. At vero Navarrus, et Barbosa isthaec urbanitatis officia tantum admittunt, quando exhibentur Monialibus jam

---

(1) Lege D. Ligorium Lib. 7. cap. 2. de Excom. n. 229.

(2) Navarrus in Commen. 4. de Regular. n. 44.

(3) Haec privatio incurritur post sententiam judicis ex Bonacina.

egressis in extrema, vel grandi necessitate: consulendo tamen eas, ut in Monasterium regrediantur.

13. *Quandonam Monialis egrediens e Clausura non incurrat in poenas?*

Quando permittitur egressus ex legitima Superiorum licentia stante justa, et gravissima caussa. Haec est, quae reperitur in Cap. *Periculoso* 1. in 6. de Stat. Regul. a Trident. confirmato *nisi forte tanto, et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo, vel scandalo commorare.* Huic causae Pius V. in laudata Const. adjunxit duas alias, nempe lepram, vel magnum incendium: *nisi ex caussa magni incendii, infirmitatis leprae, aut epidemiae.* An hae causae sint extendendae ad alias causas consimiles, non una est DD. sententia. Navarrus docet, extendendas esse etiam ad illam aegritudinem, qua non potest vita Monialis salvari, nisi per egressum e Monasterio. Barbosa sentit, extendendas esse ad alia similia morba ceteris Monialibus nociva.

14. *Quaenam sit violatio Clausurae ad malum finem, contra quam haec specialis reservatio Clementis VIII. statuta est?*

Quamvis aliqui intelligant esse, quando Clausura violatur ad quemcumque finem pravum, uti ad furandum, percutiendum etc.; attamen rectius, et rationabilius a Pellizario cum aliis dicitur, violari Clausuram ad malum finem, quando quis ingreditur Clausuram, ut turpia perpetret: uti colligitur ex motivo praecepti Clausurae habito in Cap. *Periculoso* cit. ubi sic: *ut lasciviendi opportunitate sublata eidem corda sua, et corpora in omni sanctimonia diligentius custodire possent.*

15. *Incidantne in excommunicationem ingredientes Monasteria Monialium sine legitima Superiorum licentia* (1)?

---

(1) Ut haec licentia legitima sit, debet concedi a Superiore, qui ex jure potest concedere: ab Episcopo quidem, si sunt Monasteria ei subjecta, vel Sedi Apostolicae. Siqui-

Maxime. Et quidem in excommunicationem nemini reservatam ex communissima sententia; sive sint viri, sive mulieres (1): Trident. sess. et Cap. cit. Si praetextu facultatum, quae per Pontificias Constitutiones fuerunt revocatae; aut praetextu licentiarum ab Episcopis, vel a Superioribus concessarum pro libitu utentes, nulla stante urgente necessitate ingrediantur, incidunt in excommunicationem Papae re-

---

dem arbitrior, Episcopum posse concedere licentiam ingrediendi Monasteria Sedi Apostolicae subjecta; quando, et ubi non residet Legatus Pontificius, vel Nuntius; quia Episcopus ex delegatione hanc habet facultatem. An licentia sit petenda ab Episcopo, vel a Praelato Regulari quoad Monasteria huic subjecta, quaestio inter DD.; sed communius a solo Praelato Regulari, cui Monasterium subest. At bene advertit de Alex. ex decreto S. C. 21. Maji 1630. approbato ab Urbano VIII. licentiam concedendâm esse a solo Episcopo, etiam quoad Monasteria exempta, ubi talis viget consuetudo. Apud D. Lig. lib. 7. n. 224. Praeterea debet esse specialis; necnon debet esse in scriptis: hoc autem non requiri in casibus ordinariis, quando causa est manifesta; docent graves Doctores. Insuper requiritur ex parte Monasterii causa necessitatis, propter quam licentia a Superiore petitur. Hoc patet ex Cap. cit. *Periculoso*, et Tridentin. sess. 24. cap. 5. de Regular. *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis sexus, vel aetatis sine Episcopi etc.* Quod si quis ingrediatur clausuram cum licentia, et non statim, ac negotium sit peractum, egrediatur; non incidit in excommunicationem; quia clausuram minime violat, qui de legitima licentia illam ingreditur. At vero si multum moretur, graviter peccat contra obligationem clausurae. Adi D. Lig. lib. 7. n. 228. An possint introduci infantes nondum usum rationis habentes, subdubitant rationabiliter DD. Nam occasio esse posset perturbationis, praesertim si sint mares. Peccant vero, qui introducunt perpetuo amentes; tum quia magnam perturbationem Monialium, et alia indecentia efficere poterit horum introductio; tum quia isti excusantur a praecepto Ecclesiae per accidens; cum per se habeant aetatem ad ejusmodi praeceptum obligantem.

(1) Sciendum sane est, quod mulieres ingredientes claustra Religiosorum, etiamsi sine praetextu facultatis, incidant in excommunicationem ex Const. Pii V. *Decet Romanum Pontificem* edita an. 1570.

servatam: in quam incidunt etiam Moniales easdem personas admittentes: ex Const. Gregorii XIII. *Ubi gratiae.* At Episcopi, et Praelati Regulares, qui ratione, sive praetextu officii, sed absque justa causa ingrediuntur monasterium Monialium, incidunt utique in excommunicationem, sed non reservatam: uti clare constat ex posteriori Bulla Greg. XIII. *Dubiis*: qua decernitur, excommunicationem hosce incurrere post tertiam vicem violationis. Haec quidem Bulla, ut advertit Fagnanus, fuit nova Constitutio respectu poenarum, declaratoria primae Bullae (1). Qui vero ingrediuntur ad finem malum, ut supra explicavimus, incidunt in excommunicationem Papae specialiter reservatam ex decreto Clementis VIII., quod enodamus.

16. *Num qui legitima facultate obtenta ingreditur Clausuram propter rationabilem causam, et necessitatem; sed simul sibi proponit aliquem turpem finem, incidat in excommunicationem?*

Ex Sanchez cum aliis non incidit; quia legitima licentia habita non est violator Clausurae. Incurrere vero dicendum, si ex licentia ingrediatur, nulla stante rationabili causa, aut necessitate; quia cessante causa, aut necessitate est nulla licentia, et ideo violat Clausuram sic ingrediendo (2).

Tertius Casus » Provocantes, et pugnantes in

---

(1) Vigore ejusmodi Bullae *Dubiis* Episcopi ratione, seu praetextu officii ingredientes Clausuram sine justa causa prima vice incidunt in interdictum ab ingressu Ecclesiae; secunda vice in suspensionem a munere Pontificali, atque a divinis; tertia vice vero in poenam dictae excommunicationis. Apud D. Lig. lib. 7. n. 221.

(2) Ille, qui legitima licentia obtenta ingreditur Clausuram, et peracto negotio, cujus causa ingressus est, diu moratur in Clausurae septis ad malum finem; iste, etsi gravissimo sacrilegii peccato coinquinetur, tamen excommunicationem non incurrit; quia minime violat clausuram per ingressum: etiamsi ingrediatur cum turpi intentione; quia excommunicatio est lata contra eos, qui sine licentia ingrediuntur Clausuram ad turpem finem. Lege D. Ligorium Lib. 7. n. 228.

» duello in terminis Concilii Tridentini, et Consti-
» tutionis Gregorii XIII. *Ad tollendum.*

17. *Quid sit* Monomachia, *latine duellum?*

Duellum eo sensu acceptum, quo illud Ecclesia gravibus poenis prohibuit, et hoc Casu specialiter reservavit, est duorum vel paucorum singularis pugna ex condicto habita, statuto loco, ac tempore, cum mortis vel gravis vulneris periculo, ex mutuo consensu inita auctoritate privata.

18. *Quaenam conditiones requirantur ad verum duellum, ut poenis ab Ecclesia statutis obstringatur?*

Sequentes: nempe ut sit pugna singularis: ut sit ex condicto: ut sit conjuncta cum periculo mortis, vel mutilationis, seu gravis vulnerationis: ut sit determinatio loci, et temporis; et ut fiat auctoritate privata. Quarum una si desit; aut non erit verum duellum, aut saltem non obstringetur poenis ab Ecclesia statutis. Hinc 1. pugna inter plures numero impares non est duellum, sed potius bellum; aut saltem non illud ab Ecclesiasticis poenis prohibitum. 2. Ordinariae, et solitae pugnae excitatae a subitae irae commotione non dicuntur duellum, etsi adsit quandoque periculum mortis, aut gravis vulnerationis; quia non sunt ex *condicto*, uti statuit dicta Const. Gregoriana supra citata; neque ex *composito*, uti decernit Const. Clementis VIII. *Illius vices.* 3. Neque duellum poenis Ecclesiae subjectum intelligitur, quando deest designatio loci vel temporis (1). 4. Nec duellum ejusmodi dicendum erit, si publica auctoritate fiat ob bonum commune, justa et rationabili stante causa, et necessitate: uti illud Davidis cum Goliath (2). Ad duellum vero non est necessarium, ut pugnantes sese invicem petant ensibus; sed sufficit, si

---

(1) Ut si quis dicat: *in agro te expecto ad pugnandum: aut vespere tecum pugnabo.* Si vero dicat: *hora tertia, ubicumque te inveniam, tecum pugnabo:* an sit duellum, dubitant aliqui DD., inter quos Colet.

(2) Quo jure prohibeatur duellum, et quaenam contra illud poenae constituantur; vide in tractatu de Peccatis in n. 191, ad notam 6. in n. 192, 193 et ad notas 1. 2. 3.

quibuscumque instrumentis invicem pugnent, ex quibus mors, vel grave vulnus solet fieri; uti si pugnent hastis, sclopis, saxis, cultellis, baculis etc.

19. *Quodnam duellum obnoxium sit poenis inflictis a Tridentino sess.* 25. *cap.* 19. *de reform., et a Constit. Gregorii XIII.* Ad tollendum: *in cujusmodi tantum duello excommunicatio specialiter reservatur Summo Pontifici ex hoc decreto Clementis VIII.?*

Ex Tridentino prohibetur sub poena excommunicationis latae sententiae nemini reservatae duellum solemne; proindeque infligitur haec excommunicatio in committentes hujusmodi duellum, in eorum Patrinos, in spectatores, in dantes consilium causa duelli tam in jure, quam in facto, aut alia quacumque ratione suadentes ad id: denique in dominos temporales, etiam Reges, et Imperatores, concedentes locum ad duellum inter Christianos in terris suis. Ex Const. Gregorii XIII. extenditur haec excommunicatio a Tridentino inflicta etiam ad duella privata; dummodo sint ex condicto commissa, ac statutum fuerit tempus, et locus. Extenditur etiam ad dominos locorum duellum ex condicto permittentes, vel non prohibentes, et ad omnes hujusmodi duella fieri mandantes, instigantes, auxilium, consilium, favorem dantes, arma, equos, pecuniam, commeatum scienter subministrantes; et denique ad hujusmodi duellorum spectatores ex composito, et industria (1). Hoc autem interposito discrimine in dicta Constitu-

---

(1) Spectatores ex *condicto*, seu ex *composito*, uti loquitur Const. Gregoriana; vel *ex industria*, uti habetur ex Const. Clementis VIII.; dicuntur illi, qui non obiter, aut casu transeuntes aspiciunt; sed qui ex proposito voluntatis ea intentione accedunt ad locum, ubi indictum duellum peragendum est, ut eo perfruantur, et ea causa illic sistunt. Secus vero docet Sanchez dicendum de illis, qui data opera accedunt ad locum duelli, ut pro viribus se interponant ad dirimentum duellum. Denique sentit Bonacina, minime in poenas incurrere spectatores eo animo illuc se collatos, ut duellum aspiciant, dato, quod duellum non sequatur. Nam non possunt dici spectatores duelli, quod haud evenerit.

tione Gregoriana: scilicet, quod pugnantes in duello non plectuntur hac excommunicatione, nisi post commissum duellum (1); omnes alii vero obstringuntur hujusmodi excommunicatione, etiamsi non committatur duellum, si per ipsos non steterit, quominus pugna, seu duellum committeretur (2). In supradictis tantum casibus habetur excommunicatio Pontifici specialiter reservata ex laudato Decreto S. C. ex mandato Clementis VIII. emanato.

20. *Num excusetur ab excommunicatione ille, qui ad duellum aliquem provocavit, aut acceptavit, non animo pugnandi, sed causa tuendi honorem; immo accessit cum adversario ad conventum locum moraliter certus, nullum esse inde secuturum damnum?*

Minime; uti patet ex propositione damnata a Benedicto XIV. (3). Item si pugnantes convenerint de dirimendo duello statim, ac alteruter ipsorum fuerit vulneratus; aut post determinatum ictuum numerum: uti constat ex citata Const. Clementis VIII. (4).

Quartus Casus. « Injicientes manus violentas in » Clericos, vel Monachos juxta Caput: *Si quis suadente Diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat* » *etc.* quaest. 4., et juxta juris dispositionem.

---

(1) Ex Constit. vero Clementis VIII., *Illius vices* excommunicatio Summo Pontifici reservatur contra provocantes tantummodo, vel acceptantes duellum; sed haec determinata excommunicatio non afficitur reservatione speciali ex laudato Decreto S. C., quod explicamus. Nam in terminis Tridentini, et Constit. Gregorianae non habetur haec extensio ad tantummodo provocantes, vel acceptantes. Vide Vella App. 5. casus 3. q. 7., et q. 11. n. 7.

(2) Scilicet, si quamvis forte ex alia causa duellum non sequatur, tamen isti nullum impedimentum interposuerunt ad dirimendum duellum. Vid. Vella in opere cit. App. 5. q. 7, 8. in Cas. 3.

(3) Leg. adnot. 2. ad n. 297. in tractatu de Peccatis.

(4) At ex Colet probabilis sententia est, quod si quis sese lacessiverint ad duellum tantum animo tuendi honorem, sine periculo aliquid mali patrandi, idque inter se conventum fuerit, forent immunes a canonicis poenis; quia haberetur tantum simulatio duelli.

21. *Quaenam debeat esse percussio Clerici, aut Monachi ad incurrendam excommunicationem Summo Pontifici specialiter reservatam ex Decreto S. C. de mandato Clementis VIII. edito, de quo agimus?*

Debet esse percussio enormis, vel mediocris seu gravis, et haec in casibus non reservatis Ordinariis (1). Nam percussio levis est Ordinariis reservata; ideoque, ut advertit Auctor libri *Istruzione pe' novelli Confessori part.* 2. *Cap.* 26. *n.* 54. in memorato decreto quoad hujus Casus reservationem dicitur: *juxta juris dispositionem.* Praeterea ista percussio debet esse violenta, injuriosa, et mortaliter peccaminosa (2). Hinc non subjiciuntur huic speciali reservationi sequentes percussiones, utpote leves: nempe percussio facta pugno, palma, manu, pede, baculo, lapide, quando nullum vestigium, seu maculam relinquat; nec ulla inde fiat abscissio membri, neque extractio dentium, vel avulsio multorum capillorum, vel magna effusio sanguinis; tunc equidem esset gravis (3).

(1) In casibus Ordinariis reservatis, seu *Nobis* vid. App. II. n. 2. Quid, et quotuplex percussio hujusmodi, vid. in 2. par. in Tract. de Censuris n. 37.

(2) Etsi actio physica non immediate, sed mediate clericum, aut monachum attingat: uti si per vim detineretur equus, cui insidet clericus, vel si occideretur, vulneraretur, caederetur equus, aut per fraenum eidem impetus fieret, ut sistat.

(3) Uti constat ex Extravag. *Perlectis.* Ex eadem Extrav. potest percussio levis fieri gravis ratione circumstantiarum. Ideoque docent Doctores, posse fieri gravem: 1. ratione personae laesae, uti si persona laesa esset Episcopus, Abbas, Praelatus, sive alius in dignitate constitutus; 2. ratione personae laedentis, uti si Officialis laicus auctoritative laedat clericum; 3. ratione personae, coram qua fit percussio, uti si fieret coram Praelato, aut coram alia persona dignitate fulgente; 4. ratione scandali, nempe si monachus cum scandalo clericum saecularem percutiat; 5. ratione loci, uti si in Ecclesia, in platea; 6. ratione temporis, nempe si percutiatur sacris vestibus indutus, sacris functionibus sistens; 7. tandem ratione injuriae, uti si denudetur, si atramento, vel stercore vultus foedetur. In dubio utrum sit

22. *An tantum graviter, vel enormiter percutientes Clericum, aut Monachum innodentur hac speciali reservatione?*

Minime; sed etiam omnes illi, qui juxta DD. sententiam plectuntur excommunicatione ex Cap. *Si quis* supra allato: nempe efficaciter mandantes, consulentes, consentientes, non impedientes, et ratihabentes hujusmodi percussionem. At vero ut quis efficaciter dicatur mandare, consulere etc. hanc percussionem, requiritur, ut percussio de facto eveniat, et mandatum, consilium etc. in percussionem influat. Sic influeret in percussionem, si quis diceret coram suis: *cupio vindictam de tali Clerico*; et praevidet suos ex istiusmodi externato desiderio percussuros esse Clericum. Non impedientes incurrunt, si ex officio teneantur impedire, uti Reges, Judices, Superiores, pater, tutor etc. Denique ut ratihabentes percussionem canonis hujusmodi censura illaqueentur, debent ex cap. *Cum quis de sent. excom.* adesse conditiones, quas exposui in tract. de Censuris n. 39.

23. *Quinam heic veniunt nomine Clerici, et Monachi gaudentes hoc canonis privilegio?*

Dixi in tract. de Censuris n. 40. At ex D. Ligorio lib. 7. n. 271. cum aliis veniunt etiam omnes viventes in communi sub aliquo Praelato, de expressa, vel tacita Pontificis auctoritate; quamvis in eorum communitate non fiat professio. Et ex Fagnano veniunt etiam mulieres conviventes in Conservatoriis, quamvis Religio non sit adhuc approbata; quia cum religiose vivant, censentur personae Ecclesiasticae. Item Seminaristae, et pueri Collegiorum auctoritate Episcopi erectorum.

24. *In quibus casibus non incurritur ista excommunicatio, percutiendo Clericum, vel Monachum?*

---

gravis, an levis percussio, debet censeri gravis, ita ut Episcopus non possit absolvere ab hujusmodi percussione: uti constat ex Extr. cit. *Perlectis.* Quod si violentia in clericum fiat dando ei venenum, advertendum est, tunc censuram incurri, quando venenum incipit nocere; quia tunc adest jam violentia. D. Ligor. Lib. 7. n. 280.

1. Si percutiatur Clericus, qui amisit hoc privilegium. Amittit autem hujusmodi privilegium Clericus bigamus, bigamia vera, et interpretativa; non vero Monachus bigamus. Item Clericus exercens publicum officium Cauponis, aut Macellarii, aut Scurrae, aut Carnificis, vel immiscens se enormitatibus saecularibus, dimisso habitu, et tonsura; vel incedens uti laicus, arma militaria gestando. Hi quidem privilegio privantur, si post trinam monitionem a Superiore adhibitam non resipiscant. Sic etiam privilegio Canonis privatur Clericus conjugatus, si tonsuram, et habitum non deferat (1). 2. Non contrahitur excommunicatio, si percutiatur Clericus vim vi repellendo cum moderamine inculpatae tutelae. 3. Si percutiatur cum ignorantia Clericatus, sive juris, sive facti (2). 4. Si quis Clericum, vel Monachum turpiter agentem cum ipsius percutientis matre, uxore, sorore, filia in incontinenti percutiat, scilicet si inopinato percutiat deprehensum in ipso delicto. 5. Si mulier percutiat causa defendendi suam pudicitiam; dummodo alius modus non adsit. 6. Si percussio accidat fortuito, aut ex ira subitanea, vel improvisa passione, ita ut desit ulla, vel saltem plena advertentia. 7. Si percussio non fiat ob injuriam, sed ob jocum, vel ob devotionem, poenitentiam, Clerico, vel Monacho consentiente (3). 8. Si Praelatus, Magister, pater ver-

---

(1) Ex variis locis juris apud Fulco adnotatis Inst. Moral. tract. 12. cap. 3.

(2) Sive etiam cum ignorantia concomitante, ita ut percutiens ignoret quidem illum esse clericum, attamen ita est dispositus ad percutiendum, ut si sciret, etiam percuteret. In dubio autem incurritur. Sic etiam incurritur ab eo, qui clericum percutit ignorans esse clericum, sed intendit eum percutere, sive laicus sit, sive clericus. Vide D. Ligorium Lib. 7. n. 275. IV.

(3) In excommunicationem incurrit, qui monachum, vel clericum percutit, etiam ipso consentiente; immo incurrit ipse Clericus, vel Monachus seipsum percutiens; quia debent ipsi hoc privilegium communitati concessum in seipsis servare. Hanc excommunicationem vero advertit Bonacina, et La

beraverit Clericum in minoribus constitutum intuitu disciplinae.

Quintus Casus. » *Simonia realis scienter contracta.*

25. *Ob quam simoniam realem contrahitur excommunicatio Papae reservata, cui adjicitur haec specialis reservatio ex decreto S. C. a Clemente VIII. approbato?*

Ob solam simoniam realem in ingressu Religionis, in suscipiendis Ordinibus, et in Beneficiis. Nam tantum in hisce simoniis contrahitur excommunicatio, prout est a jure (1).

26. *Num requiratur scientia tum simoniae, tum censurae comminatae in hujusmodi simoniam, ut haec excommunicatio sit specialiter reservata Summo Pontifici ex decreto Clementis VIII.?*

Maxime. Nam requiritur ut haec excommunicatio sit scienter contracta ex verbis laudati Decreti; ideoque ignorantia vincibilis, etiam grassa, et supina, quamvis non excuset a contractione censurae ex vi juris, excusat tamen ab hujusmodi speciali reservatione (2).

27. *Quandonam incurrantur poenae a jure statutae pro simoniaco ingressu in Religionem?*

Quando aliquid datur, et accipitur pro ingressu in aliquod Religiosum Institutum, seu Monasterium. Censetur autem dare aliquid pro suo ingressu, si quis admittatur in Religionem propter bona, quae offert; si praestet servitutem Monasterio tamquam pretium

---

Croix apud D. Ligorium lib. 7. n. 274., esse ferendae sententiae; uti ex Cap. *Contingit*: *Si quis Clericus sponte se subjecerit, excommunicetur.*

(1) Ex Extrav. *Sane.* et Extrav. *Cum detestabile* de Simonia. Quae specialis reservatio comprehendit etiam omnes alias poenas reservatas, in quas incidunt Simoniaci reales in supradictis casibus. Quae sint istae poenae: vide Part. 2. in Tract. de Religione n. 92, 93, 94.

(2) Vide Pavonium: Il Battesimo Laborioso tom. 3. disser. II. c. VI. Ignorantia invincibilis, et etiam concomitans excusat a censurae contractione. Nam contumacia, vel actus externus culpabilis non habetur.

admissionis (1). At vero non est simonia; 1. si detur eleemosyna Monasterio, ut facilius ex gratitudine quis admittatur; 2. si Religiosi inflectant aliquem donis ad ingressum in Religionem; 3. si Monasterium solvat debita ejus, qui debet ingredi, ad removenda impedimenta ingressus sine laesione libertatis non ingrediendi; 4. si Monasterium promittat aliquem admittere postquam didicerit artem; id enim aliud non esset, nisi conditionis requisitae declaratio. Ex D. Thoma 2. 2. q. 100. a 3. ad 4. et ex Salmant. apud D. Ligor. lib. 3. n. 91.

28. *Licetne Monasterio opulento aliquid accipere sine labe simoniae ob sustentationem ingressuri?*

Litigant DD. At D. Ligorius cum aliis DD. S. Thomam assecutis docet id esse simoniam. Nam venditur jus temporale percipiendi alimenta spirituali adnexum; perinde ac si venderetur jus percipiendi fructus ex Beneficio. At excipitur: 1. si recipiatur pro alimentis tempore Novitiatus; quia est expresse permissum ex Tridentino sess. 25. cap. 17. de Reform.: 2. si recipiendus sit infirmus, senex, hebes ingenio, vel similis; quia tunc Monasterium accipit pro extraordinario temporali incommodo: ita ex D. Thoma loc. cit.; 3. si sint Monasteria Monialium, quibus Clemens VIII. indulsit posse aliquid pro dote recipere ad sustentationem ingressurae: ex Navarro, et aliis apud D. Ligorium loc. cit. (2).

---

(1) Si vero volens ingredi in Religionem simpliciter exprimat sine pacto, velle ingredi cum bonis suis, in ejus ingressu nulla committitur simonia. Neque vero simoniam committit, qui servitutem praestat sine pacto, sed ad conciliandam sibi benevolentiam Religiosorum, ut in Monasterium admittatur. Apud D. Lig. lib. 3. n. 91.

(2) D. Ligorius lib. 3. n. 108. notat: 1. cum Navarro, Sanchez, et aliis ex citata Extravag. *Sane*, non incurri in poenas statutas in simonia reali pro ingressu in Religionem, nisi a praesumentibus: nimirum nisi committatur haec simonia ex plena scientia, aut saltem ex ignorantia affectata; 2. cum Salmanticensibus valde probabile esse, poenas non incurri in simplici ingressu, sed in professione; quia tunc com-

29. *Poenae contra Simoniacos reales in Ordinibus inflictae incurrunturne pro simoniaca susceptione primae Tonsurae?*

Quaestio inter DD. At rationabilius non incurruntur. Nam cum poenae sint ad strictos terminos accipiendae, prima Tonsura stricte, et rigorose loquendo non est verus Ordo, sed dispositio ad Ordines (1).

30. *Quaenam veniant nomine Beneficii, et Officii, ob quorum collationem simoniacam interminantur poenae, et specialis reservatio ex memorato Clementino decreto?*

Nomine Beneficii veniunt ipsa Beneficia Ecclesiastica (2); et nomine officii veniunt quaelibet officia, quibus jurisdictio spiritualis conjuncta est: uti Generalatus, Abbatiae, Provincialatus, Prioratus, Rectoratus, et alia hujuscemodi ex Extravag. 2. de Simonia.

---

pletur simonia; 3. cum Lessio, Navarro, et aliis hanc Extravagantem, quoad hanc excommunicationem, non esse usu receptam.

(1) Ex D. Lig. lib. cit. n. 110. scitu dignum, quod docet D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 2. ad 4. *Si vero exigantur quasi quaedam stipendia per consuetudinem approbata, non est simonia, si desit intentio emendi, vel vendendi . . . et praecipue quando aliquis voluntarie solvit.* Hoc docet S. Doctor de simonia de jure divino; sed de jure Ecclesiastico sunt prohibitae a Tridentino quaecumque consuetudines, etiam immemorabiles. At ex Mazzotta cum Nav. et Lop. non est simonia, si Episcopus aliquid recipiat sponte oblatum post collationem Ordinis, non ante; quia hoc expresse permittitur in Can. *Sicut* quaest. 2.; dummodo Episcopus hoc non petat sive expresse, sive tacite, seu indirecte.

Advertendum est ex D. Lig. lib. cit. n. 109. cum Less. et Salmanticensibus, suspensionem Ordinis suscepti, et aliorum Ordinum alias rite susceptorum non incurri ab Ordinato ignorante simoniam commissam ab alio. Deinde ex eodem Auctore cum iisdem DD. adnotandum est: licet ex Bulla Sixti V. hujus suspensionis absolutionem a Pontifice ipsimet reservari, et revocari, quoad hoc, facultates concessas Religiosis, et etiam Episcopis in cap. *Liceat*; tamen in hac parte Bullam non esse receptam.

(2) Vide definitionem Beneficii part. 2. Tract. de Relig. n. 115., et in hac Par. tert. App. VII.

Non significantur autem hoc nomine officia jurisdictionem spiritualem habentia ad tempus: uti Vicariae amovibiles ad nutum, Pensiones, Capellaniae non collativae, officia Inquisitoris, Legati. Ob quorum venditionem, quamvis ea simoniaca sit, non tamen incurruntur poenae statutae. Item dicendum in venditione Commendarum Equitum, aut Coadjutoriae Beneficii; vel Sacramentorum, aut jurisdictionis spiritualis. Apud D. Ligorium lib. cit., n. 112.

31. *An ad incurrendas hujusmodi poenas statutas contra Simoniacos reales pro ingressu in Religionem, pro Ordinum susceptione, et pro Beneficiis, requiratur simonia completa ex utraque parte?*

Litigium inter DD. At D. Ligorius ex communiori, et probabiliori sententia affirmat. Nam non habetur perfecta venditio simul, et emptio, nisi tradita re, et pretio. Praeterea in jure nullibi infliguntur poenae contra simoniam, nisi ex utraque parte sit completa: quod colligi etiam potest ex stylo Curiae, quae testante Navarro, non judicat poenas incurri, quando simonia non est ex utraque parte consummata. At incurruntur poenae, si aliqua pars tantum pretii solvatur; si simonia ex utraque parte completa sit occulta; et si simonia fuerit confidentialis, sufficit, ut sit semirealis, seu mixte conventionalis. Verum de hac confidentiali simonia mox disserendum (1).

Sextus Casus. » *Simonia confidentialis scienter contracta.*

32. *Quandonam resignatio Beneficiorum sit simonia confidentialis?*

Ex Constitutionibus Pii IV. 85:, et Pii V. *In-*

---

(1) An incurrantur supradictae poenae, quando committitur simonia per fictam pecuniae promissionem, litigant DD. Sed rationabilius dicendum, committi peccatum, sed non peccatum simoniae, nec incurri in poenas. Nam per hanc fictam promissionem cooperatur quis peccato simoniae collatoris, sed non vendit, et emit; in quo simoniae essentia constituitur. Itaque non incurrit poenas; quia non habetur utrinque simonia completa. D. Ligorius lib. cit. n. 107.

tollerabilis, prohibentur omnes resignationes Beneficiorum confidentialiter factae sive cum *accessu*, sive cum *regressu*, vel cum *ingressu* ad Beneficium, aut cum *pensione*, seu cum pacto, et confidentia recipiendi fructus ex Beneficio (1). Hinc si confidentia sit de alia re temporali praeter fructus Beneficii est simonia, sed non confidentialis: ex La Croix, Suarez, Laymann a D. Ligorio secutis lib. cit. n. 84.

33. *Estne simonia confidentialis, et ideo poenae incurruntur, si resignetur alteri Beneficium sine pacto, sed cum spe recipiendi idem Beneficium, vel pensionem ex ipso Beneficio ob solam gratitudinem?*

Ex verbis Constitutionum Pii IV. et Pii V. Theologi in partes dividuntur. At ex probabiliori sententia non habetur confidentialis simonia expressa ex praedictis Constitutionibus. Nam in memoratis Constitutionibus renovatur decretum Tridentini, damnans illas solummodo confidentias, quibus inducitur nova obligatio: scilicet cum pacto expresso, vel tacito. Item ex probabiliori DD. sententia dicendum, non esse simoniam confidentialem, si quis resignet Beneficium declarando suam esse intentionem, ut alter remaneat obligatus ad resignandum in futuro; et alter recipiens Beneficium nihil promittit. Tunc enim deest pactum ex utraque parte obligatorium. Si vero resignans declaret velle, ut solvatur alicui pensio ex fructibus beneficii, committitur quidem simonia confidentialis; quia hoc signanter expressum est in Constit. Pii V. Apud D. Lig. lib. cit. n. 86. 87.

34. *Permutatio Beneficiorum per simoniam confidentialem facta estne prohibita a laudatis Const. sub iisdem poenis?*

Non conveniunt DD. Sed ex Salmanticensibus videtur prohiberi, et poenae in eam permutationem decerni juxta Const. Pii V., ubi expresse dicitur, uti afferunt isti Theologi: *At etiam omnes permutationes*,

---

(1) Quid sit simonia confidentialis, et quotuplici modo possit committi, vide in tract. de Religione n. 87. 88.

praesentationes , collationes . . . et alias dispositiones nullius momenti (1).

35. *Num possint hujusmodi casus specialiter reservati absolvi ex facultate Cap.* Liceat, *quando sunt occulti ?*

Litigant DD., utrum Episcopi possint absolvere ex vigore facultatis Cap. *Liceat* a casibus occultis, et dispensare ab irregularitatibus post Concilium Tridentinum reservatis: ut diximus in App. III. n. 16. Qui negant, innituntur declaratione Gregorii XIII., qui statuit, Episcopum non posse Monialem violantem clausuram absolvere ab excommunicatione occulta contracta ob Constitutionem Pii V. Ex hac autem declaratione inferunt, nec in omnibus quidem aliis reservationibus post Tridentinum Episcopum absolvere posse. Qui vero e contrario affirmant, hi quidem ex eo moventur, quod Concilium Episcopis indefinite concessit facultatem absolvendi *in casibus quibuscumque occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis*; et dictam Gregorii declarationem dicunt authentice non constare. Porro D. Ligorius quamvis hanc sententiam valde probabi-

(1) Advertendum est, quod per simoniam confidentialem, etiamsi sit tantum conventionalis, incurrantur poenae; quia non requiritur, ut impleatur pactio ex utraque parte, vel ut recipiens habeat intentionem adimplendi pactum; sed sufficit, ut eo pacto, et confidentia Beneficium resignetur, et recipiatur. Ex opposito secundum D. Ligorium cum Salmanticensibus, et Navarro quando Beneficium resignatur alteri cum confidentia, etiam cum expresso pacto, sed propria auctoritate sine assensu Superioris, committitur peccatum simoniae, sed non incurruntur poenae; quia ista resignatio de se est nulla, etiamsi nullum simoniacum pactum intercessisset; cumque non possit transferri Beneficium sic resignatum, nulla proinde resignatio habetur. At non ita, si resignatio esset valida, nisi obstaret simonia, quia hoc in casu incurruntur poenae. Hinc resignatio Beneficii in manu Superioris post occultam confidentiam inter resignantem, et resignatarium factam subjicitur poenis supradictis contra Simoniacos confidentiales inflictis; ideoque est nulla resignatio, et amittitur titulus a resignante; quia habetur inter alias poenas etiam inhabilitas ad idem Beneficium.

lem dicat, et communissimam, adhaeret tamen primae DD. sententiae, quando in reservationibus adest clausula derogatoria *non obstante decreto cujuscumque Concilii*, aut illa *a qua praeterquam a Romano Pontifice, absolvi nequeant* (1). Quibus praemissis: secundum DD. primae sententiae, posita hac speciali reservatione ob decretum Clementis VIII. non possunt Episcopi absolvere a casibus occultis Pontifici in hac speciali reservatione Clementina comprehensis. Per DD. sentientes oppositum minime prohibentur Episcopi uti hac facultate a Tridentino concessa. Quam sententiam clariss. Can. Cajetanus Vella, alioquin rigidioris juris tenacissimus, in opere cit. p. 460. App. 5. pro viribus adstruit argumentis magni ponderis ex canonicis doctrinis, et ex rationibus depromptis. Verumenimvero haud videtur per posteriores reservationes derogari facultati a Tridentino Episcopis concessae absque expressa clausula derogatoria, aut directa uti; *non obstante facultate Episcopis concessa in Cap.* Liceat; aut indirecta, uti: *non obstante decreto cujuscumque Concilii* sicut adest in Bulla Coenae. Si enim clausula derogatoria censeretur illa *praeterquam a Romano Pontifice, absolvi nequeat*, omnes sane Pontificiae Constitutiones derogarent huic privilegio Episcopis a Tridentino collato: cum fere omnes ejusmodi Constitutiones adhibeant ejusmodi clausulam. Proindeque alia quaecumque clausula generalis non censetur esse derogatoria huic Episcopali privilegio. Quisque tamen sententiam, quae sibi magis fundata videtur, prosequatur.

---

(1) Lib. 6. n. 594. Dubitatur 7.



APPENDIX QUINTA

DE SACRAMENTIS.



De Sacramentis in genere (1).

Q. 1. *Quid est Sacramentum novae legis?*

Est signum sensibile sacrum permanens interioris gratiae a Christo Domino institutum ad nostram sanctificationem (2).

2. *Jesus Christus, quatenus est homo, estne Sacramentorum institutor?*

Ex accuratiori sententia Christus etiam, quatenus est homo, Sacramenta instituit potestate *Excellentiae* ipsi collata ratione unionis hypostaticae (3).

3. *Quot sunt Sacramenta novae legis?*

Sunt nec plura, nec pauciora, quam septem: nempe, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema unctio, Ordo, et Matrimonium (4).

---

(1) Sacramenta tum in genere, tum in specie considerari possunt. Heic primum de Sacramentis in genere sermo erit; postea vero, cum de Poenitentia, et Matrimonio in prima et secunda parte hujus Epitomes pertractatum sit, de reliquis in specie Sacramentis dicetur.

(2) Nomen Sacramenti oritur vel a *sacrando*, quia ad res sacras initiat, seu consecrat; vel a *secreto*, quia rem arcanam continet.

(3) Solus Deus instituit, et potuit instituere Sacramenta; quia tantum Deus signis sensibilibus potest attribuere, seu adnectere, virtutem et efficaciam conferendi gratiam.

De fide est, Sacramenta justificare ex *opere operato*, nempe sua virtute, tamquam causae instrumentales ex instituto et meritis Christi.

(4) Septem sunt Sacramenta a Christo Domino instituta et non plura; quia septem sufficiunt, et sunt necessaria ad hominis spiritualem profectum. Legesis Catechismum Roma-

4. *Quaenam requirantur ad constituendum Sacramentum novae legis?*

Tria requiruntur: signum sensibile, collatio gratiae, et institutio Divina. Porro signum sensibile ex materia constat, et forma, ac ministro cum intentione.

5. *Quid et quotuplex est materia?*

Materia est aliqua res sensibilis per actionem externam suscipienti applicata. Haec quidem duplex est: remota scilicet, et proxima. Remota est ipsa res sensibilis per actionem ministri suscipienti applicanda. Proxima est ipsamet debita applicatio rei sensibilis.

6. *Quid est forma?*

Sunt verba certa, quibus materia ad usum sacrum determinatur.

7. *Num mutatio materiae vel formae invalidum efficiat Sacramentum?*

Mutatio substantialis semper invalidum reddit Sacramentum; secus autem accidentalis.

8. *Quaenam mutatio dicitur substantialis, quaenam accidentalis?*

Mutatio substantialis materiae est, quando secundum communem usum, et existimationem amplius non habetur materia illa a Christo instituta: uti si adhibeatur vinum in Baptismo pro aqua. Mutatio substan-

---

num part. secunda de Sacr. in genere §. 20. juxta doctrinam D. Thomae. Duplici autem nomine a Theologis distinguuntur Sacramenta: alia nempe *vivorum* dicuntur, alia *mortuorum*. Illa sunt, quae causant primam gratiam, qua homo spiritualiter mortuus ad vitam restituitur; haec, quae homini habenti primam gratiam praebent secundam. Insuper alia dicuntur *transeuntia*, quae nullum characterem imprimunt, alia, quae characterem imprimunt: cujusmodi sunt Baptismus, Confirmatio, et Ordo. Denique alia sunt de necessitate medii, saltem in voto: scilicet, Baptismus, et Poenitentia; alia de necessitate praecepti: Confirmatio, Eucharistia, et Extrema Unctio. Notandum praeterea est, Sacramenta etiam vivorum aliquando primam gratiam conferre posse: scilicet cum quis putans esse in gratia, vel existimans se contritum, accedit cum attritione ad Sacramenta vivorum. D. Ligorius. Lib. 6. n. 6.

tialis formae est, quando ob verborum mutationem ille verborum sensus non remanet, qui fuit a Christo intentus: uti si dicatur in Baptismo *ego te purgo* (1).

---

(1) Pluribus modis contingere potest mutatio substantialis formae: nempe, 1. per additionem alicujus vocis extraneae; 2. per detractationem alicujus vocis essentialis; 3. per positionem unius vocis loco alterius; 4. per transpositionem vocum; 5. demum per earumdem corruptionem, et interpositionem. Primum itaque substantialis mutatio fieri potest per additionem; uti si quis diceret: *ego te baptizo in nomine Patris majoris*, *Filii minoris etc.*; secus autem si haec adhibeatur forma: *baptizo te in nomine Patris Omnipotentis*, *Filii Unigeniti*, *et Spiritus Sancti Paracliti*; tunc enim accidentalis erit mutatio. Per detractationem, si nimirum formae Baptismi detrahatur verbum *te*, vel verbum *baptizo*; contra vero accidentalis mutatio erit, si detrahatur *ego*, vel *amen*. Per positionem unius vocis pro alia: uti in Poenitentiae Sacramento si proferatur *abluo*, *tergo* pro voce *absolvo*; accidentalis autem censetur mutatio, si pro *absolvo* substituatur *remitto tibi peccata*. Per transpositionem puta, si in Eucharistia adhibeatur forma hoc modo: *meum est hoc corpus*; quia non exprimeretur transubstantiatio; accidentalis fieret mutatio, si dicatur: *Hoc meum est corpus*; vel in Baptismo ultimo loco ponantur verba, *te baptizo*. Per corruptionem: uti *in nomine matris*, vel *in nomine filiae etc.*; minime quidem substantia formae mutatur dicendo: *in nomine Patri*, *et Filii etc.*, vel in forma Eucharistiae ob balbutiem, et praecipitantiam proferendo: *hoc est corpus meus*. Demum per interruptionem habetur mutatio substantialis, quando interumpitur formae prolatio, ita ut moralis continuatio actionis tollatur, vel destruatur: uti si pronuntiaretur *ego te baptizo*, et postea recitaretur notabilis oratio, puta psalmus *Miserere*, aut plura verba, vel actio non brevis interponitur; inde sero diceretur *in nomine Patris etc.* At vero non officit substantiae formae si quis post alia formae verba prolata tussitet, sternutet, aut dicat servienti *verte paginam*, vel quid simile; et deinde prosequetur formam.

Porro advertendum est, quod grave erit peccatum accidentaliter mutare materiam vel formam, quando istahaec mutatio erit notabilis; nempe cum importat gravem deordinationem: uti si quis in Ecclesia Latina consecraret in pane fermentato, aut uteretur forma Graecorum in Baptismate; vel in consecratione calicis omitteret verba *novi et aeterni testa-*

Rursus vero accidentalis mutatio materiae vel formae est, quando non mutatur substantia materiae, nec sensus verborum destruitur: uti si adhibeatur aqua calida, vel dicatur, *ego te lavo* in administratione Baptismi.

9. *Estne validum Sacramentum, si minister erret termini Sacramentalis significationem: uti si falso existimat voculam* hic *in consecratione esse adverbium locale?*

Ex communiori sententia cum de Lugo non officit validitati Sacramenti. Nam cum minister intentionem habeat faciendi id quod Christus significari voluit, nihil interest, ut male intelligat. At si minister errorem contra fidem exterius inducere intendat, et ideo in forma exprimit; tunc nullum erit Sacramentum (1).

De Sacramentorum ministro.

10. *Quisnam est minister Sacramentorum novae legis?*

Est homo viator. At vero non quilibet homo est minister Sacramentorum ut ex Trid. Sess. 7. can. 10. *Si quis diceret Christianos omnes in verbo, et in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Excipitur tamen Baptismus, qui ab omnibus in casu necessitatis administrari potest.

---

menti; aut formam recitaret vulgari idiomate; vel parum aquae non admisceret vino consecrando. Nullum vero peccatum censetur accidentalis mutatio circa ritum communem ipsius Ecclesiae, modo non sit contraria praecepto Ecclesiae: puta, si tepefiat manu aqua, vel panno calido, ne sanitati tenelli infantis aqua frigida noceat.

(1) Id profecto esset, si minister crederet Patrem esse majorem Filio; et hunc errorem minime intra se retineat, sed exterius intenderet inducere, atque externare una cum forma.

An liceat uti materia dubia, vel iterum formam proferre in eadem Sacramenti administratione; vide in Tractatu de Conscientia n. 23., et de Poenitentia n. 71.

11. *Quaenam requiruntur ex parte ministri ut valide simul et licite Sacramenta conficiantur?*

Ad validitatem requiritur potestas, et intentio; ad licititatem vero fides, et probitas.

12. *Quaenam intentio requiratur ad Sacramenti validitatem?*

Intentio faciendi Sacramentum, seu faciendi, quod facit Ecclesia; aut quod Christus instituit: ut patet ex Trid. cit. sess. can. 11. *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Sufficit autem ad valorem Sacramenti, ut isthaec intentio sit saltem virtualis (1).

13. *Quodnam debet esse objectum intentionis ministri, ut Sacramentum valeat?*

Minister debet velle facere, quod facit Ecclesia. Ecclesia autem eumdem operatur externum et religiosum ritum a Christo Sacramentorum institutorem praescriptum.

14. *An fides et probitas in ministro ad valorem Sacramenti requiratur?*

Minime requiruntur; et est de fide: ut eruitur ex Trid. cit. sess. can. 4. (2). Ad licititatem vero requiritur probitas illa, ut minister sit saltem expers

---

(1) Intentio esse potest *actualis*, *virtualis*, *habitualis*, atque *interpretativa*. Actualis est illa, qua actu et mente attenditur ad Sacramenti confectionem. Virtualis est actio, quae fit virtute praecedentis actualis intentionis. Habitualis est intentio aliquando habita, et numquam retractata; neque est in actu, aut in aliquo effectu permanet. Interpretativa denique est, quae modo non est, nec antea fuit, sed adesset, si agens ad id, quod agit, attenderet.

Actualis intentio optima est, sed non est absolute necessaria; sufficit enim intentio virtualis. Habitualis et interpretativa minime sufficiunt.

(2) Certum est ad valorem Sacramenti non requiri probitatem ministri; et quod attinet ad fidem, certum est in ministro Baptismi non esse necessariam fidem: uti constat ex definitione Tridentini. Quoad caetera vero Sacramenta idipsum docent omnes DD. Verum tum probitas, tum fides procul dubio requiritur in ministro ad licite ea administranda.

culpae lethalis in administratione Sacramenti. Hinc lethali culpa gravatus administrans Sacramenta graviter peccat (1).

15. *An minister in sollemni Sacramentorum administratione teneatur servare ritus accidentales ab Ecclesia institutos?*

Maxime, et quidem sub gravi. Hinc peccat graviter, si gravis sit omissio. Trid. sess. 7. can. 13.

16. *Estne licitum Sacramenta ministrare indignis?*

Occulte petentibus non licet, et omnino negandum

---

(1) In peccato lethali existens minister, an peccet graviter administrando Sacramentum praemissa tantum contritione absque Sacramentali confessione, quaestio: apud D. Lig. L. 6. n. 34. At secundum eumdem Lig. ex probabiliori sententia non peccat graviter in omnibus aliis Sacramentis administrandis praeter confectionem Eucharistiae. Quoad confectionem Eucharistiae utique peccat graviter non praemissa Sacramentali confessione; dummodo non istet urgens justa, et rationabilis causa, et desit copia Confessarii: uti praescripsit Tridentinum sess. 13. cap. 7.

Minister; qui in lethali administrat Sacramentum, ad quod non est specialiter ordinatus, uti laicus, vel Sacerdos non sollemniter conferens Baptismum, an peccet, quaestio. At sententia affirmativa communior, et probabilior censetur immo adstruitur a D. Ligorio. Minister in casu necessitatis administrans excusatur secundum aliquos DD., si nullum tempus suppetat se conterendi: uti si in lethali adhuc existens statim deberet absolvere moribundum.

Item ex probabiliori sententia dicendum est, graviter peccare ministrum, qui in mortali peccato Eucharistiam sive immediate, sive mediate tangat. An exercentes ex officio functiones Ordinis sacri, ut Diaconus, Subdiaconus; aut Epicopus oleum Sanctum, vel Chrisma conficiens, graviter peccent, quaestio. Post plures tamen docet D. Ligorius, probabile esse Diaconos, et Subdiaconos in mortali altari ministrantes non peccare graviter. Episcopi vero non graviter peccant templum consecrantes, aut Sacerdotes si benedicant; vel vestes sacras, corporalia, cineres, aquam lustralem benedicentes, et alia Sacramentalia conficientes secundum communissimam, et probabiliorem sententiam. Adi D. Lig. L. 6. n. n. 32. et seqq.

Quaenam sint sacramentalia, et quinam eorum effectus, relege notam 1. in n. 13. tract. de peccatis.

est. Publice vero petentibus potest, si delictum non sit notorium, saltem in loco, quo indignus Sacramenta petit (1).

De Sacramentorum suscipiente.

17. *Quinam est subjectus capax Sacramentorum?*
Homo viator: quia pro ipsis passus est Christus.

18. *Quid requiratur in suscipiente, ut valide Sacramenta recipiantur?*

In adultis requiritur aliqua intentio suscipiendi Sacramentum, saltem habitualis, non retractata; quinimo aliquando sufficit interpretativa: uti desumitur ex Rituali Romano quoad Extremam Unctionem, et ex DD. quoad Confirmationem. In Sacramento Poenitentiae, et Matrimonii requiritur prorsus intentio actualis, vel saltem virtualis (2). In infantibus non re-

---

(1) Vide etiam in tract. de censuris n. 19.
Non est licitum Sacramentorum administrationem simulare: uti constat ex prop. damnata ab Inn. XI. n. 29. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramenti administrationem simulandi.* Quaestio est, an ob metum mortis possint Sacramenta indigno ministrari: apud D. Lig. Lib. 6. n. 49. An possint peti, et recipi Sacramenta a ministro indigno, vide in tract. de peccatis n. 13., et in tract. de censuris n. 66.

(2) Apud D. Lig. L. 6. n. 82. Nam in Poenitentia actus ponuntur uti materia; in Matrimonio consensus debet esse de praesenti; et secundum DD., qui contrahentes sentiunt esse ministros, debet intentio ejusmodi esse, quae requiritur in ministro: cujus intentio saltem virtualis exigitur. Hinc dormientibus, ebriis, vel in amentiam lapsis non possunt conferri haec Sacramenta, idest Poenitentia, et Matrimonium, quando tantum eis intentio habitualis, vel interpretativa inest. An istis possint alia Sacramenta conferri, quaestio. Legesis D. Lig. L. cit. n. 80. vers. *Utrum autem*, et Bened. XIV. in Instruct. de Baptismo: *Postremo mense* in Bullario tom. 2. n. 42. At ex communissima, et probabiliori sententia possunt conferri, dummodo urgeat periculum mortis, vel sit perpetuum impedimentum usus rationis.

Demum advertendum est, quod ad Eucharistiam suscipiendam non requiritur intentio, quia est Sacramentum permanens, seu jam confectum.

quiritur aliqua intentio ; cum Christi , et Ecclesiae intentio suppleat : et hoc certum est ex fide quoad Baptismum , ut Tridentinum definivit sess. 7. can. 13. Idem dicendum procul dubio de perpetuo amentibus: uti expresse constat ex Bulla Bened. XIV. *Inter sollicitos* quoad Confirmationem , et Ordinem infantibus perpetuo amentibus collatum. Tandem praeexigitur aliis Sacramentis valide suscipiendis Baptismi receptio.

19. *Quid requiritur ad licite , et fructuose suscipienda Sacramenta ?*

Ad Sacramentum Baptismi, et Poenitentiae requiritur actus fidei , spei , saltem virtualis, et actus quoque contrictionis (1). Ad alia Sacramenta status gratiae (2).

20. *Ad suscipienda Sacramenta vivorum estne praemittenda confessio , et absolutio ab eo, qui lethali culpa gravatur , an sufficiat sola contritio ?*

Ex speciali praecepto Eucharistiae Sacramento suscipiendo praemittenda est confessio , et absolutio ; aliis vero Sacramentis , quaestio (3).

21. *Quisnam finis est intendendus in Sacramentorum susceptione ?*

Sanctificatio suiipsius suscipientis , et alii fructus Sacramentales (4).

---

(1) Utrum sufficiat attritio , quaestio. Vide tract. de Poenit. n. 16. Ad Baptismum requiritur contrictio , vel secundum D. Thom. cum pluribus attritio, quando baptizandus gravatur lethali peccato.

(2) Probabile est, Sacramenta vivorum aliquando primam gratiam , seu gratiam sanctificantem per accidens conferre : ex quo probabiliter docent aliquot DD. , posse moribundum , cui deest copia Confessarii , per attritionem licite recipere Extremam Unctionem , vel Eucharistiam.

(3) Apud D. Lig. L. 6. n. 86. Lugo , Laymann , La Croix cum aliis sufficere contritionem communisse affirmant. Sacramentum Eucharistiae urgente necessitate , ac deficiente copia Confessarii per contritionem potest quisque licite suscipere : uti ex Trid. Sess. 13. c. 7.

(4) In Sacramento matrimonii primario intendatur contractus , et inde sanctificatio , ac reliqui Sacramenti fructus.

De effectibus Sacramentorum.

22. *Quinam sint effectus Sacramentorum?*

Effectus Sacramentorum novae legis praecipui sunt duo: unus generalis omnium Sacramentorum, et alius particularis. Generalis est gratia sanctificans. Particularis vero est character. Praeterea Sacramenta praeter gratiam sanctificantem conferunt gratiam specialem (quam Sacramentalem appellant Theologi): quae propria et particularis est in unoquoque Sacramento. Haec autem consistit in jure quodam suscipienti communicato ad nova, et specialia auxilia obtinenda, quae sunt necessaria ad consequendum finem proprium cujusque Sacramenti.

23. *Quid est Character?*

Est quoddam spirituale signum indelebiliter animae impressum: quo Fideles distinguuntur ab aliis, et ad quaedam Divini cultus officia efficiuntur idonei.

De Sacramentis in specie.

De Baptismo.

24. *Quid est Baptismus?*

Est Sacramentum novae legis ad spiritualem hominis regenerationem a Christo Domino institutum.

25. *Quotuplex est Baptismus?*

Triplex est: fluminis, flaminis, et sanguinis. Primus est ablutio corporis exterior facta sub praescripta forma verborum: ex D. Thoma. Alter est votum, seu desiderium recipiendi Baptismi Sacramentum. Tertius dicitur ipsum martyrium, supplens defectum Baptismi fluminis (1).

26. *Quandonam fuit Baptismus a Christo Domino institutus?*

---

(1) Advertendum est, quod etsi tria sint Baptisma, non sunt tria Sacramenta, sed tantum illud fluminis est Sacramentum. Alia vero baptismata vicem solum Baptismi Sacramenti supplent per cordis contritionem, vel per sanguinis effusionem: neque haec duo Baptisma characterem imprimunt.

Ex communiori, et saniori sententia Patrum fere omnium auctoritate innixa, Baptismus institutus fuit ante Christi Domini passionem: ut eruitur ex Evangelio Joannis cap. 3.

27. *Estne Baptismum ad salutem necessarium?*

Maxime: tam necessitate medii, quam praecepti. Est necessarium in re, aut saltem in voto omnibus hominibus, etiam parvulis a Christianis parentibus genitis: uti constat ex Evangelio, et traditione; praesertim autem ex definitione Tridentini Sess. 7. can. 5.

28. *Quotuplex est materia Baptismi?*

Duplex: remota, quae est aqua naturalis, atque elementaris; et proxima, quae est ipsius aquae applicatio, seu ablutio corporis: quae quidem applicatio debet esse sensibilis, ita ut aqua corpus physice tangat.

29. *Quotuplici modo fieri possit hujusmodi ablutio?*

Triplici modo: infusione, immersione, et aspersione; trina, vel unica, modo physice corpus baptizandi tangatur. At ad validitatem sufficit sive immersio, sive infusio, sive tantum aspersio; et quidem unica, non trina. Ad licititatem vero ritus propriae Ecclesiae est servandus, si nulla urgeat necessitas (1).

---

(1) Aqua naturalis et elementaris quaecumque ea sit, sive maris, sive fluminis, putei, stagni etc., sive frigida, sive calida.

Certum est, aptam, seu materiam validam Baptismi esse aquam collectam ex vaporibus densatis: puta in operculo ollae; rorem; aquam defluentem ex pariete; ex foliis tempore nimboso; vel resolutam ex glacie, grandine, nive: aquam mineralem, aut turbidam mixtam cum alia re, dummodo aqua sit in majori quantitate, et praedominans.

Contra vero est materia invalida: sanguis, lac, vinum, oleum, urina, pituita, succus e floribus, herbis, radicibus etc. expressus. Probabilius sunt materia apta aquae distillatae cum floribus; probabilius sunt inepta materia lacrymae, sudor, saliva. Materia dubia sunt jus, lixivium, aqua ex sale soluto, vel expressa ex luto; tenuis cervisia, tenue atramentum ex aqua confectum, aqua per artem chimicam ex floribus, herbis, radicibus educta. At non omnes DD. admittunt ut dubiam, hujusmodi materiam; quotquot enim prorsus re-

30. *An liceat in casu necessitatis puerum in utero matris baptizare?*

Non licet uti constat ex can. *Qui in maternis.* Dist. 1. de Consecr. (1).

31. *Quaenam est forma Baptismi?*

Vera et legitima forma Baptismi est. *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Constat ex Evangelio, et perpetua Ecclesiae traditione (2). Quae forma debet simul conjungi cum aqua infundenda (3). Ad validitatem saue exprimenda est

---

jiciunt. Item litigant DD., utrum sit dubia, an certo inepta materia, aqua fluens ex vitibus, arboribus; glacies, et nix non soluta. Adi D. Lig. L. 6. n. 103, et seqq.

(1) Quaestio est, an valeat Baptismus: 1. Si quis puerum in utero matris, nulla ejus parte in lucem edita, per instrumentum aqua tingat; 2. si puerum in flumen vel puteum projiciat, et formam proferat, quin tamen illum educat; 3. si puerum aquae ex aliquo loco defluenti submittat; 4. si crines tantum pueri abluantur; 5. si conferatur Baptismus in parte principali, quam in capite: uti in scapulis, humeris, pectore; 6. si puer baptizetur adhuc existens involutus in secundinis matris. At in necessitate potest sub conditione. Non valet certo Baptismus si aqua tantum vestes tangat. Probabilius tamen valet, si abluatur in necessitate caput tantum editum extra matris uterum. Adi D. Lig. L. 6. n. 106. 107.

Tanta vero esse debet aquae ablutio, quanta ex communi existimatione sufficiat, ut dici possit quis ablutus.

In necessitate, quando haberi non potest materia certa, debet sub conditione adhiberi materia etiam dubia; et quidem sub gravi, ut succurratur saluti spirituali proximi in extrema necessitate constituti. In sollemni Baptismo peccatum grave est non adhibere aquam benedictam illo anno. Minime vero in privato, quando aqua benedicta, vel illius anni haberi nequit. Item etiam dicendum, si non fiat unctio cum Chrismate illo anno consecrato.

(2) In Ecclesia Graeca est forma sequens: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

(3) Quaenam unio prolationis formae simul cum materiae applicatione (quae vulgo a Theologis *simultas* appellatur) requiratur? Communiter docent DD. non esse opus simul formam incipere, et materiam applicare; nec simul utramque complere; sufficit enim ut forma proferatur dum applicatur, aut saltem antequam desinat applicari materia. Ita apud D.

persona baptizans, saltem implicite; actus baptizandi; persona baptizanda; unitas et trinitas distincta divinarum Personarum.

32. *An Baptismus possit reiterari?*

Minime, et est de fide: uti ex Trid. Sess. 7. can. 9. Potest tamen sub conditione reiterari, quando dubitatur de validitate Baptismi; praemissa quidem diligenti inquisitione, et dubio adhuc existente. Ex Cap. 112. de Consecr. Dist. 4.

De Ministro Baptismi.

33. *Quis sit minister Baptismi.*

Minister ordinarius est solus Sacerdos; sive Episcopus, sive Sacerdos sit. Diaconus vero est minister extraordinarius. Hinc si quis sollemniter baptizaverit absque mandato Episcopi vel Parochi, alienum munus usurpat; et inde probabilius incidit in irregularitatem (1). Omnes praeterea, etiam laici, sive femina, sive Paganus, modo habeant intentionem faciendi quod facit Ecclesia, possunt private baptizare in casu necessitatis. Extra casum autem necessitatis semper valide baptizant, sed illicite.

34. *Quinam sint effectus Baptismi?*

Sunt tres: infusio gratiae, impressio characteris, remissio omnis culpae originalis scilicet, et personalis, ac poenae, tam temporalis, quam aeternae (2).

Lig. L. 6. n. 9. Utrum hujusmodi unio sufficiat esse moralis, nempe ut forma proferatur immediate post applicationem materiae, quaestio inter DD. At in praxi tenenda est unio physica: uti docet ipse Ligorius loc. cit.

(1) Sive baptizaverit in necessitate, sive extra absque commissione, docet Laymann cum pluribus incidere in irregularitatem. Apud D. Lig. L. cit. n. 116.

(2) Gratia Baptismi plures fructus affert baptizato: scilicet, delet peccata, tam originale quam actualia; eum efficit haeredem aeternae vitae, incorporat cum Christo capite; confert infusionem omnium virtutum, et donorum; jus ad auxilia, ut possit ambulare in novitate vitae: quod dicitur

De Sacramento Confirmationis.

35. *Quid est Sacramentum Confirmationis?*

Est Sacramentum novae legis, quo baptizatus per impositionem manuum, et orationem Episcopi, ac Chrismatis unctionem cum praescripta verborum forma recipit Spiritum Sanctum ad auxilia spiritualia, ut perfectus miles Christi intrepide fidem confiteatur.

36. *Quandonam fuerit hoc Sacramentum institutum?*

Communior sententia est, fuisse in nocte ultimae Coenae institutum: unde orta est consuetudo sacrum Chrisma conficiendi in Coena Domini (1).

37. *Quaenam est materia hujus Sacramenti?*

Dissidium inter DD. Alii dicunt, esse solam manuum impositionem, quae fit ab Episcopo in principio ritus. Alii sentiunt, tam manuum impositionem, quam Chrismatis unctionem esse essentialem. Alii tandem docent, solam Chrismatis unctionem esse essentialem materiam: in qua dicunt, etiam haberi manus impositionem. Lege D. Lig. L. 6. n. 614 (2).

---

gratia specialis hujus Sacramenti; et tandem efficit capacem suscipiendi caetera Sacramenta.

Omnes homines viatores, nondum baptizati capaces sunt hujus Sacramenti. At animadvertendum, quod amentes sunt capaces, si fuerint perpetuo amentes; quia infantibus aequiparantur. Secus, possunt baptizari, si antequam in amentiam inciderint, Baptismum petierint. In necessitate satis est, si sufficientia indicia dederint volendi suscipere Baptismum. In dubio autem de petitione, sub conditione baptizandi sunt.

(1) Sententia haec communior innititur Epistola Papae Fabiani ad Orientales cap. 1. *In illa die.*

Hoc Sacramentum est necessarium necessitate praecepti. Hinc graviter peccat, qui illud praetermittit ex contemptu, vel culpabili negligentia ex D. Thoma p. 3. q. 72. a. 1. ad 3.

Quamquam magna quaestio sit, an sub gravi teneamur suscipere Confirmationem; attamen nunc post Const. Benedicti XIV. *Etsi Pastoralis* extra dubitationis aleam sententia affirmativa sita est.

(2) Chrisma, quod adhibetur in Confirmatione, esse debet oleum ex olivis balsamo admixtum, et ab Episcopo consecratum. Num Chrisma sit benedicendum ab Episcopo, vel ab

38 *Quaenam est forma?*

Quaestio. Hinc DD. primae sententiae docent esse orationem, quam profert Episcopus in impositione manuum. Tertiae sententiae auctores opinantur esse verba: *signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Qui secundam tenent sententiam, esse volunt utraque verba adhibita in manuum impositione, et Chrismatis unctione.

39. *Quinam est minister hujus Sacramenti?*

Minister ordinarius est solus Episcopus: quod quidem de fide est definitum a Trid. Sess. 7. can. 3. de Confirmat. Minister vero extraordinarius est simplex Sacerdos ex expressa, et speciali Summi Pontificis commissione: uti ex Cap. *Pervenit* 1. Distin. 95. (1).

40. *Quinam sint subjecti hujus Sacramenti?*

Omnes baptizati. Pueris tamen non convenit conferri hoc Sacramentum, nisi aetatem septemnii expleverint. At potest eis conferri ante hanc aetatem, si adsit periculum vitae, vel alias non possit haberi Episcopus, aut ubi viget consuetudo: uti in Hispania. Denique perpetuo amentes sunt procul dubio confirmandi, quia pueris aequiparantur.

41. *Quinam sint effectus hujus Sacramenti?*

Sunt augumentum gratiae; modo suscipiens sit dispositus, seu in statu gratiae santificantis; perfectio gratiae Baptismi, et corroboratio; adduntur vires spirituales; et demum gratia specialis hujus Sacramenti, seu jus ad auxilia divina pro fide interius tuenda adversus tentationes, et exterius adversus inimicos fidei. Tandem impressio characteris spiritualis, et indelebilis (2).

---

alio Sacerdote necessitate Sacramenti, quaestio Certum est, necessitate praecepti esse ab Episcopo benedicendum.

(1) Perlege Constitutiones Bened. XIV. *Cum ad infrascriptum — Demandatum.*

Advertas quaeso, Presbyteros Italo-Graecos non posse Confirmationem conferre ex Const Bened. XIV. *Etsi Pastoralis.*

(2) De necessitate praecepti Ecclesiae sub gravi requiritur patrinus in Confirmatione, perinde ac in Baptismo.

De Sacramento Eucharistiae.

42. *Quid est Sacramentum Eucharistiae.*

Est Sacramentum, quo sub speciebus panis, et vini verum Christi corpus continetur ad spirituale Fidelium alimentum: ex Trid. Sess. 13. cap. 1. usque ad 4.

43. *In quo consistit essentia Eucharistiae Sacramenti?*

Essentia Sacramenti Eucharistiae in ipso corpore, et sanguine Christi sita est. Ex D. Thoma (1).

44. *Quaenam est materia hujus Sacramenti?*

Est solus panis triticeus, et vinum de vite.

45. *Estne materia Eucharistiae quilibet panis sive azymus, sive fermentatus?*

Maxime ad ejus validitatem: uti patet ex Eugenio IV. in Decreto unionis.

46. *Aqua debetne admisceri vino consecrando?*

Maxime ex jure Ecclesiastico ob graves fines: uti in Trid. Sess. 22. cap. 7. (2).

---

(1) Sacramentum hoc est permanens ad differentiam aliorum Sacramentorum, quae sunt transeuntia. Siquidem istud consistit in re permanente, illa in actione transeunte: idest in applicatione formae ad materiam, ita ut existant, quando conferuntur, et suscipiuntur.

Sacramentum Eucharistiae manet usque dum species consummantur: nempe tandiu existit praesentia realis Christi in Eucharistia, quandiu durant species sacramentales; quibus corruptis non amplius existit corpus et sanguis Christi in Sacramento.

(2) Si pani aliquid alterius materiae sit admixtum, ut non amplius triticeus usualis remaneat, hoc profecto validitati obstat. Si vero modica quantitas extranea immisceatur, ita ut communi existimatione panis triticeus usualis adhuc censeatur, non irritum efficitur Sacramentum. Item dicito de vini materia.

Si panis sit mucidus, vel ad corruptionem dispositus: ita etiam vinum, qui incipit acescere, Sacramentum valide, sed illicite conficitur. Idem dicatur de musto non fermentato.

Praeterea sciendum, quod materia consecranda debet esse ita Sacerdoti praesens, ut verificentur pronomina *Hoc* et *Hic*

47. *Quaenam est forma Sacramenti Eucharistiae?*

Sunt verba Christi : nempe in consecratione panis , *Hoc est corpus meum* ; in consecratione vini , *Hic est calix sanguinis mei.* Attamen sub gravi est proferenda forma in canone Missae signata.

48. *Quisnam sit minister hujus Sacramenti?*

Solus Sacerdos est minister conficiendi Eucharistiam ; et est de fide : uti ex Lateran. IV. Cap. *Firmiter* , et ex Trid. Sess. 22. cap. 1. can. 2. Sacerdos est etiam ordinarius minister administrandi Eucharistiam (1).

49. *Quinam possunt recipere Eucharistiam?*

Omnes homines viatores et baptizati. Pueris vero infantibus , et perpetuo amentibus non licet apud Latinos ex praesenti consuetudine , et praxi (2).

---

in forma consecrationis prolata. Materia consecranda debet a Sacerdote determinari intentione , saltem virtuali , et generali ; ita ut Sacerdos intendat consecrare materiam sibi praesentem. Hinc si Sacerdos putat unam hostiam consecrare , et postea detegit esse duas , ambas utique consecrat ; quia totam materiam sibi praesentem consecrandam consecrare generaliter intendit. Item de particulis post consecrationem detectis.

(1) Diaconus est minister extraordinarius dispensationis Eucharistiae : quam non potest distribuere , nisi necessitate cogente , et ex Episcopi, vel Presbyteri jussione, intellige Parochum uti ex Conciliis IV. Carthag. can. 38. , et Aquisgranensi. Urgente autem necessitate gravi potest id aliquando licite peragere absque Presbyteri licentia. In extrema necessitate tenetur Viaticum ministrare.

Sub gravi requiritur status gratiae in administrando Eucharistiam.

(2) Amentes, si lucida habeant intervalla, et interim devotionem ostendant , possunt Eucharistiam recipere , nisi periculum indecentiae adsit , ita ex Rituali Romano. In mortis periculo possunt recipere Viaticum , si piam animi voluntatem , antequam in amentiam inciderint , patefecerint , modo tamen nullum vomitionis vel alterius indignitatis incommodum , aut periculum pertimescendum sit : ex Catechis. Rom. Pueri , qui habent usum rationis , possunt , quamvis sint expertes discretionis , immo debent in periculo mortis recipere Eucharistiam ex Divino praecepto : uti communissime docent DD. , praesertim Bened. XIV. de Synodo Dioeces. L. 7. c.

50. *Quinam sint effectus Eucharistiae?*

Praecipui sunt: augumentum gratiae sanctificantis, remissio venialium, auxilium ad evitanda peccata mortalia, et perseverandum in bono; spiritualis et sancta delectatio, specialis unio cum Christo, et ejus membris, seu Fidelibus; ac vitae aeternae gloriae pignus. Per accidens vero aliquando collatio primae gratiae sanctificantis: ex Trid. colligi liquet Sess. 13. c. 2. (1).

De Eucharistia, uti Sacrificio.

51. *Quid est Sacrificium?*

Sacrificium potest late, et stricte sumi. Late sumptum est oblatio in Dei honorem, et cultum. Stricte sumptum est oblatio externa rei sensibilis a legitimo ministro facta Deo ad recognoscendam ipsius supremam majestatem, et nostram infirmitatem ritu mystico peracta per mutationem vel per consummationem, vel per exteriorem mutationem.

52. *Missa estne verum, et proprie dictum Sacrificium?*

Utique; et est de fide definitum a Trid. Sess. 22.

---

12. n. 2. Praeterea Energumenis licet praebere Viaticum, et etiam Communionem extra mortis periculum tempore, quo habent lucida, et quieta intervalla. Apud D. Lig. L. 6. n. 303. Denique semifatuis potest administrari Eucharistia in mortis periculo, et tempore Communionis Paschalis; dummodo distinguant hunc caelestem cibum ab aliis. Ex Sanchez; et Leandro administrari potest toties, quoties. Idem agendum est cum mutis, et surdis a nativitate, si habeant discretionem, quae ex signis constat. Imo possunt hi saepius Communionem suscipere, si sint discretione praediti non qualicumque ex D. Lig. juxta Holzm. Mutis caecis et surdis simul a nativitate haud licebit Eucharistiam ministrare.

(1) Prout est dispositio recipientis, erunt majores vel minores effectus hujusmodi. Qui autem indigne sumit, judicium sibi manducat: ut declaravit D. Paulus ad Corinth.

Hoc Sacramentum est necessarium ad salutem aeternam necessitate praecepti Divini, et etiam Ecclesiastici: ex Concil. Lateran. IV., et ex Trid.

de Sacrif. Missae can. 1. In hoc sacrificio contiuetur Christus ipse, atque incruenter immolatur: Trid. cit. loc. can. 2. (1).

53. *Num necessarium sit ad essentiam Eucharistiae Sacrificii utriusque speciei consecratio?*

Ex communiori et probabiliori sententia ad valorem, et essentiam Sacrificii Missae pertinet utriusque materiae consecratio, saltem ex praecepto Divino: etsi alii contrarium sentiant (2).

54. *Quaenam pars Missae est essentialis Sacrificio?*

Essentia Sacrificii Missae ex communiori, et saniori sententia consistit in sola consecratione utriusque speciei: in qua habetur oblatio in actu exercito, et destructio seu immolatio victimae; dum vi verborum corpus Christi a sanguine separatur (3).

55. *Quinam est minister hujus Sacrificii?*

Solum Sacerdotem esse ministrum hujus Sacrificii

---

(1) Hoc Sacrificium neminem latet fuisse a Christo institutum in ultima Coena, cum dixit: *hoc facite in mei commemorationem.*

Porro in hoc Sacrificio Missae reapse completur immolatio Christi, et incruenta repraesentatio illius a Christo in cruce peractae; quetenus sub speciebus panis, et vini separatim consecratis ritu mystico repraesentatur separatio sanguinis Christi a corpore; et vi verborum venit corpus exangue, et sanguis separatus a corpore.

Sacrificium istud est latreuticum, nempe offertur Deo ad ejusdem cultum, et honorem, tamquam Supremo principio, et ultimo fini omnis creaturae. Eucharisticum, scilicet offertur Deo in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. Est item impetratorium, quia Deo immolatur ad impetranda beneficia, et gratias. Tandem est propitiatorium, quatenus reddit nobis Deum placatum, et propitium.

(2) Relege Bened. XIV. de Sacrif. Missae sect. 2. cap. 3., et apud D. Lig. L. 6. n. 306.

(3) Alii sentiunt, essentiam consistere in sola sumptione; alii vero in oblatione. D. Ligorius cum aliis tenet partialiter sitam esse in consecratione: in qua habetur victima; et partialiter in sumptione: in qua habetur vera et realis quodammodo consummatio victimae: quia destruitur Sacramentalis Christi existentia At certum est, sumptionem ad Sacrificii integritatem spectare.

de fide constat: ut definivit Trid. Sess. 7. can. 10. Hinc quia haec potestas Sacerdoti inest vi Ordinis, nunquam amittitur; ideoque Sacerdotes etiam scelesti, degradati, excommunicati semper valide consecrant (1).

De Extrema Unctione.

56. *Quid est Sacramentum Extremae Unctionis?*

Est Sacramentum a Christo Domino institutum, quod per olei unctionem, et Sacerdotis orationem aegroto vita periclitanti praeter gratiam Sacramentalem praebet auxilia necessaria ad sufferenda incommoda morbi, et ad recuperandam sanitatem, si haec animae saluti expedierit.

57. *Estne Extrema unctio verum Sacramentum?*

Maxime; et est de fide: ut patet ex Jacobi verbis in sua Epistola cap. 5., et ex Tridentini definitione Sess. 14. de Sacram. Extr. unct. can. 1. A Christo Domino hoc Sacramentum fuit institutum post resurrectionem ex communiori sententia, et per Apostolum Jacobum promulgatum: uti ex cit. can. Trid. colligi potest.

58. *Quaenam est materia hujus Sacramenti?*

Materia remota est oleum ex olivis expressum; proxima est unctio eodem oleo facta (2).

---

(1) Sacerdos ad licite consecrandum, seu Missam celebrandam, se debet praeparare remote, per vitae sanctitatem, illaesam castitatem, et fervens studium Deo inserviendi in charitate; proxime vero per devotionem, ac pietatem, qua ferventer accedet ad Altare, et sacrum peraget.

Ipse fructum Sacrificii pro majori praeparatione uberiorem acquirit; quamvis non adipiscatur ipse venialium peccatorum remissionem per sacrificii celebrationem, tamen impetrationem obtinet mediorum, quibus peccata remittuntur, nempe donum contritionis: uti colligi liquet ex Trid. sess. 22. cap. 2.

(2) Oleum debet esse ab Episcopo benedictum, saltem necessitate praecepti; imo ex necessitate Sacramenti; idest ad valorem Sacramenti juxta communissimam sententiam: quae in praxi tenenda est.

59. *Quaenam est forma hujus Sacramenti?*

Est sequens: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.* Et sic de aliis sensibus ungendis.

60. *Quinam est minister hujus Sacramenti?*

De fide est, solum Sacerdotem esse ministrum hujus Sacramenti: juxta verba S. Jacobi ex perpetua traditione, et ex definitione Trid. (1).

61. *Quibus possit administrari hoc Sacramentum?*

Infirmis in periculo probabili mortis constitutis: puta causa morbi, vulneris etc. At non potest administrari sanis, quamvis in periculo mortis versantibus: uti jamjam praeliaturis, naufragio expositis, extremo supplicio plectendis, et aliis hujusmodi; quia non sunt ex infirmitate periculo mortis expositis (2).

62. *Estne hoc Sacramentum necessarium necessitate medii?*

Minime, sed tantum necessitate praecepti Divini (3).

63. *Quinam sint effectus hujus Sacramenti?*

Speciales, et praecipui sunt: primario remissio

---

(1) Sacerdos non potest licite administrare hoc Sacramentum sine licentia, saltem praesumpta, Parochi, puta ex necessitate. Si Regularis absque licentia, nulla cogente necessitate, administrat, incidit in excommunicationem Papae reservatam: ex Clem. 1. de Privilegiis.

(2) Notandum praeterea est, non esse expectandam extremae vitae periodum, seu tempus morti proximum. Quinimo recte advertit D. Ligorius ex Castropalao licite, et utiliter posse administrari statim post susceptum Viaticum; quia jam censetur infirmitas grave vitae periculum inducere. Apud cit. Lig. L. 6. n. 714.

Debet esse suscipiens rationis compos, saltem ante morbum, et in gratia, vel saltem attritus. Ex probabiliori sententia, et communiori dari potest pueris, qui nondum sunt Communionis capaces: et illis sub conditione ministrandum est hoc Sacramentum, de quorum rationis usu dubitatur. Cit. Lig. n. 719, 720.

(3) At certo non constat de hoc praecepto Divino, et dubium agitur inter DD. Apud D. Lig. L. 6. n. 733.

venialium, secundario mortalium, si existant; allevamentum infirmi, seu levamen et subsidium gratiae, ut ipse patienter ferat morbi, et mortis incommoda; ac tentationibus magna fiducia resistat; abstersio reliquiarum peccatorum; et tandem sanitas corporis, si expediat animae saluti (1).

De Sacramento Ordinis.

64. *Quodnam est Sacramentum Ordinis?*

Est Sacramentum novae legis a Christo Domino institutum, quo subjecto capaci cum impressione characteris spiritualis confertur potestas ad Sacramentum Eucharistiae conficiendum, atque ad alia ministeria Ecclesiastica rite, et ex officio obeunda.

65. *Num Sacra Ordinatio sit verum Sacramentum novae legis?*

Maxime, et est de fide: uti ex Trid. Sess. 23. cap. 3. et 4., ac canone 3. *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, anathema sit* (2).

---

(1) Hoc Sacramentum remittit secundario, et per accidens peccata mortalia: nempe confert gratiam primam, quando peccata mortalia sunt in anima, et non remissa per Sacramentum Poenitentiae invalide, et inculpabiliter susceptum; vel quando infirmus non habens copiam Confessarii per contritionem, aut saltem attritionem se disposuit. Reliquiae peccatorum sunt quaedam consequentia, seu peccatorum effectus, qui remanent in anima post remissionem eorundem: idest, propensio ad malum, torpor ad bonum operandum, debilitas mentis ad coelestem contemplationem.

(2) De fide est, Ordinem Sacerdotalem, seu Sacerdotium, esse Saramentum; de reliquis Ordinibus non una est Theologorum sententia. S. Thomas tenet, omnes Ordines esse Sacramenta. Alii sentiunt, solum Sacerdotium esse Sacramentum. Ex probabiliori sententia juxta D. Ligorium tenendum est, sed non de fide, etiam Diaconatum esse Sacramentum. Episcopatum praeterea esse Ordinem distinctum a Presbyteratu communior sententia docet; contra vero sentit S. Thomas, D. Bonaventura: qui dicunt esse extensionem Ordinis presbyteratus.

66. *Quot sunt Ordines?*

Secundum Canonistas, et Theologos sunt septem: scilicet, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus. Ex Trid. Sess. 22. cap. 11.

De Materia, forma, et Ministro.

67. *Quaenam est materia, et forma Ordinis?*

Materia essentialis Episcopatus, Presbyteratus, et Diaconatus est impositio manuum; forma vero est oratio eidem impositioni adjuncta. Materia Subdiaconatus, et minorum Ordinum est porrectio instrumentorum; forma autem sunt verba prolata in traditione instrumentorum.

68. *Quisnam est minister?*

Episcopus, et est de fide: uti definitum est a Trid. Sess. 23. can. 7. adversus Novatores.

69. *Quinam sint effectus?*

Duo: gratia sanctificans, et character (1).

---

(1) De his, quae requiruntur in Ordinandis tractatum invenies apud D. Ligorium L. 6. n. 781. et seqq. De obligatione habendi titulum pro Ordinum susceptione ibidem n. 813. et seqq. Obiter tantum adnotare expedit, quod litigant DD. utrum sine titulo ordinatus incidat in suspensionem a canonibus, praesertim a can. *Neminem* Distin. 70., inflictam. Certum tamen est, in Dioecesi Neapolitana incurrere ipso facto excommunicationem generaliter, et suspensionem specialiter Ordinario reservatam, qui Patrimonium falsum, fictum, fiduciarium, aut quomodolibet fraudolentum praesentat pro Ordinum susceptione; atque eo magis si ordinetur. Vide in hac tertia Parte App. 1. n. 35. Demum advertas quaeso, ordinatum reali, ac vero Patrimonio, vel quocumque canonico alio titulo, quod si casu deperierit, minime incidere in suspensionis poenam, tam ex jure communi, quam Neapolitanae Dioecesis indictam. Attamen ad Ordines alios promoveri nequit, nisi alio novo titulo sibi constituto. Lege eumdem D. Lig. n. 813.



APPENDIX SEXTA
DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.



Q. 1. *In quibus impedimentis possit dispensare Summus Pontifex?*

In illis quidem impedimentis, quae proficiscuntur a jure Ecclesiastico: nempe in impedimentis conditionis, cognationis tum spiritualis, tum legalis, tum etiam carnalis seu consanguinitatis; excepta tota linea recta, et primo gradu lineae collateralis: in quo gradu lineae collateralis seu transversalis, sive possit, sive non possit Ecclesia dispensare, certum est, nunquam dispensasse, nec dispensaturam esse. Praeterea dispensare potest in impedimentis affinitatis, voti, etiam solemnis, Ordinis, criminis, disparitatis cultus, publicae honestatis, clandestinitatis; tandem in impedimento raptus.

2. *Cuinam dirigenda sit petitio dispensationis super aliquo impedimento a Summo Pontifice concedendae?*

Cuique compertum est, Romae adesse duo Tribunalia, *Sacram Poenitentiariam* scilicet, et *Datariam*: quae ex facultate illis demandata a Summo Pontifice, concedere possunt dispensationes pro impedimentis matrimonio obstantibus. Poenitentiaria concedit dispensationes pro foro interno, seu conscientiae, Dataria pro foro externo. Quamvis autem tribunal Romae erectum pro foro externo absolute Dataria nuncupari soleat; non tamen in eodem loco, neque ab iisdem Officialibus omnes dispensationes petitae pro foro externo expediuntur. Nam in Dataria, quae etiam vocatur *Officium minoris gratiae*, tantum expediuntur dispensationes, quae petuntur pro gradibus remotioribus, scilicet in quarto, vel in tertio et quarto gradu; sive ab uno, sive a diversis stipitibus hi gradus pro-

veniant (1). In *Cancelleria* vero expediuntur dispensationes pro tertio, vel secundo et tertio gradu; sive ex uno, sive ex pluribus stipitibus oriantur. In *Praefectura Brevium*, et sub *Annulo Piscatoris* expediuntur dispensationes pro primo gradu affinitatis, aut pro primo et secundo, vel pro primo et tertio, vel pro primo et quarto gradu consanguinitatis, aut affinitatis (2).

3. *In quibus impedimentis possit dispensare Sacra Poenitentiaria?*

Sacra Poenitentiaria potest dispensare in omnibus, et solis impedimentis occultis, sive impedientibus, sive dirimentibus ad contrahendum matrimonium: exceptis tamen impedimentis consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, et impedimentis cognationis spiritualis. Ad convalidandum matrimonium jam contractum potest etiam dispensare in ceteris impedimentis occultis, excepto primo et secundo gradu, et secundo tantum gradu consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita. Potest insuper in impedimentis publicis consanguinitatis, vel affinitatis in tertio et quarto gradu dispensare ad reconvalidandum matrimonium ob impedimentum nulliter dispensatum, quando nullitas provenerit ex subreptione vel obreptione occulta circa litteras a Dataria obtentas (dummodo ejusmodi obreptio non

---

(1) Uti si Partes petentes dispensationes descenderent a stipite duorum consanguineorum: ex. gr. ex matrimonio duorum consobrinorum, vel patruelium, vel amitinorum; qui tam ex parte matris, quam patris sunt consanguinei: vel si descenderent a duobus fratribus germanis, qui duas sorores (alienae intelligito familiae) duxerunt. Tunc descendentes ex parte patris, pariter ac matris consanguinitate conjunguntur.

(2) *Pro primo et secundo*, quando scilicet unus petens dispensationem est relate ad stipitem in primo gradu, et alter est in secundo gradu. Ita ex gr. dispensatio inter patruum et neptem esset inter duos consanguineos, unum in primo, et alterum in secundo gradu distantem a stipite; quia scilicet patruus est in primo, neptis autem est in secundo gradu. *Pro primo et tertio*, *vel pro primo et quarto*, nimirum quando dispensatio accidit inter magnum patruum et proneptem; vel propatruum et abneptem.

sit de falsa expressione copulae). Hae facultates concessae Poenitentiariae constant ex Bullis Inn. XII. *Romanus Pontifex*, et Bened. XIV. *Pastor bonus* (1).

4. *Quandonam impedimentum censendum sit occultum, de quo potest dispensare S. Poenitentiaria?*

Impedimentum censetur occultum, quando vel omino est secretum: ita est vel nulla ratione probari valeat; vel tametsi cognitum ab uno, vel alio, aut a tribus, vel quatuor, non subest tamen periculo, ut ulterius divulgetur. Hinc in praxi omnino attendendum est, non solum quot personae habeant notitiam impedimenti, sed quales sint istae personae: quia fieri posset ut quinque personae prudentes, ac piae cognoscant impedimentum absque ullo periculo ulterioris divulgationis; et e contrario duae vel tres personae resciant idem impedimentum non sine periculo divulgationis: puta si garruli sint natura, detractores, mulierculae, inimici, etc.: uti merito docet Bened. XIV. in Instit. 87. n. 45. cum Tiburtio, Navarro, et Thesauro. Siquidem si ex circumstantiis prudenter conjici possit, impedimentum occultum fieri posse publicum, Confessario, seu Executori, abstinendum omnino est ab executione dispensationis a Poenitentiaria obtentae (2).

---

(1) Dignum est attente perlegere Instit. 87. Bened. XIV. Advertendum est, quod Poenitentiaria non intendat dispensare in gradibus mixtis ex primo et quocumque alio gradu consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita; dispensat vero in omni linea, et gradu affinitatis occultae ortae ex copula illicita.

Advertendum etiam est, quod in petitione dispensationis impetranda a Poenitentiaria non sit exprimendum nomen supplicantium. Cum vero impetranda est dispensatio a Dataria, sunt exprimenda nomina eorum, qui petunt dispensationem, et etiam eorum Dioecesis, vel Dioecesum.

(2) Testatur Fagnanus, Poenitentiariam servare hanc praxim, quando crimen, ex quo oritur impedimentum, est notum solummodo quatuor, vel quinque personis, et quidem prudentibus, ac piis: siquidem tunc dispensat in eo tamquam occulto. Sed D. Ligorius advertit, se scire: S. Poenitentiariam dispensasse in quodam impedimento consanguinitatis noto decem circiter personis. At recte observat laudatus Fa-

De Causis impetrandi dispensationes matrimoniales.

5. *Ad impetrandam dispensationem suntne causae legitimae exponendae, ob quas possit dispensari.*

Maxime. Nam ad validam dispensationem semper summus Pontifex requirit causam, ob quam dispensat. Ideo enim tam S. Poenitentiaria, quam Dataria utitur semper hac formula in dispensationibus impertiendis: *si vera sunt exposita*: juxta quod S. Trid. sancivit de dispensationibus concedendis sess. 25. cap. 18. de Reform.

6. *Quotuplicis generis sunt causae, quae possunt adduci ad obtinendas dispensationes.*

Duplicis sunt generis: aliae dicuntur honestae, aliae infamantes.

7. *Quaenam sint causae honestae, quibus impetrari potest dispensatio.*

Sunt sequentes: angustia loci, vel locorum, angustia locorum propter dotem, incompetentia dotis, bonum pacis, aetas puellae, periculum vitae, periculum seductionis, seu subversionis, conservatio bonorum in eadem familia, illustris conservatio in eodem sanguine, excellentia meritorum, si oratrix sit gravata filiis procreatis ex alio viro, quorum orator spondet se curam esse suscepturum; et tandem si contrahentes moveantur ex certis, et rationabilibus causis.

8. *Quaenam causae enumerentur quae dicuntur infamantes, ob quas conceditur dispensatio?*

---

gnanus, hoc intelligi, quando a S. Poenitentiaria additur simpliciter clausula *occultum*; secus vero, si dicatur *omnino occultum*: ut solet apponi in impedimentis criminis. Non potest autem dici omnino occultum crimen, quod potest per duos testes probari. E contrario docet cum gravibus DD. Bened. XIV. in cit. Instit. n. 42., posse aliquando crimen materialiter esse publicum, nimirum si sit publicum viciniae; sed formaliter occultum, cum scilicet ignoratur ab ipsa vicinia ex illo crimine, puta ab illa copula, oriri impedimentum affinitatis. Hoc autem in casu etiam posset impetrari dispensatio a S. Poenitentiaria. Lege D. Lig. lib. 6. n. 1111.

Sequentes: familiaritas illa, quae creat scandalum, ita quidem ut, si dividantur, timeatur, ne puella innupta remaneat; proles jam genita ex carnali commercio inter se habito; si Partes, licet consanguineae vel affines, a contracto matrimonio sine scandalo nequeant separari.

9. *Quid sibi velint singulae honestae causae nuper recensitae?*

Singillatim explicantur. *Angustia loci vel locorum* adesse dicitur, cum locus originis, adeo sit angustus, ut mulier seu oratrix, quae petit dispensationem, nullum possit reperire in eo loco virum conditionis secum paris, cui nubat, nisi consanguineum, vel affinem. Haec causa *solitarie* sumpta non prodest iis, qui sunt in gradibus propinquis; neque iis, qui urbes Episcopales incolunt; nisi certum sit, illas urbes non excedere numerum trecentorum *focularium*, seu familiarum. Hoc autem in casu exprimenda est qualitas personarum: *ut scilicet sint ex honestis familiis, quae tamquam causa veniunt verificanda* (1).

Praeterea impetrandae dispensationis causa est *angustia locorum propter dotem*: quando scilicet Oratrix non posset nubere in loco originis, nisi cum consanguineo, vel affine; quia habet dotem, cum qua non invenit virum suae conditionis parem, cui nubere potest; idcirco cogitur extra suum oppidum virum reperire. At advertendum est, quod haec causa tantum requiratur in quibusdam propinquioribus gradibus: uti in secundo et tertio a communi stipite; adeoque potiori ratione sufficiat in gradibus minus propinquis secundum Sanchez. Est autem dispensationis causa *incompetentia dotis*, quando scilicet *Oratrix* innupta manebit, vel saltem idoneam statui suo fortunam non

(1) Ita Pyrrhus Corradus lib. 7. Prax. dispensat. c. 5. n. 44. An valeat dispensatio ex supradicta causa obtenta, si oratrix inveniat hominem paris conditionis in loco ei vicino. Respondet Sanchez, et laud. Corradus, valere. Nam Pontifex aliter apponeret clausulam: dummodo in alio loco suae patriae vicino nequeat invenire virum suae paris conditionis. Sanchez lib. 7. disp. 19. n. 13. Corr. loc. cit.

inveniet, nisi dispensetur ei, ut consanguineo vel affini nubat (1).

At non obstat huic causae, si oratrix sit dotanda ab illo ipso, cui vult nubere, aut ab alio. Hinc non vitiari Rescriptum seu dispensationem, dicit Sanchez, et Corradus, si asseratur puellam dotari ab eo, qui vult eam ducere, quamvis revera ab alio dotetur in gratiam oratoris, seu ipsius ducentis puellam. Nec etiam obstat, si illa dote posset invenire viri sui parem extra locum originis: quod ultimum clare declaratum habetur a S. C. Congr. Vide Sanchez loco cit. disput. 19. n. 13. Rursus dicitur causa impetrandae dispensationis *bonum pacis*: quando scilicet matrimonium inter consanguineos vel affines sit causa reconciliandi pacem vel conservandi inter regna, vel inter personas privatas gravibus inimicitiis separatas, aut propediem separandas (2). Est quidem et alia dispensa-

---

(1) Isthaec autem causa justa quidem habenda est, quando nimirum puella, nisi nupserit, incontinentiae periculum subeat; vel quando timetur, ne misere vivat, si viro inaequali nubat: cum inaequalia conjungia tristes soleant sortiri effectus. Ex Sanchez, et Corrado etiam est justa causa, si mulier habeat dotem, sed adeo litibus involutam, ut illam non possit repetere, vel tueri, et conservare sine cura et studio viri solertis, et industrii. Secus vero, si mulier habeat dotem sufficientem, ut possit nubere viro paris suae conditionis, sed non sufficientem, ut possit nubere ditiori aut potentiori consanguineo isto, vel affine, qui eam exoptat. Item dicendum est, si mulier non habeat dotem, sed parentes habet divites, qui possent eam dotare. Contrarium vero censendum est, si pater puellae sit quidem dives, sed plures habeat filios, quibus, praesertim masculis, non possit dare tantum, quantum dandum est filiae, ut haec secundum suum statum nubere possit: item etiam si puella habeat quidem moralem certitudinem consequendae dotis sive ex testamento, sive aliunde, aut eamdem certitudinem habere se existimat; sed iis bonis post tempus moraliter longum potiri debet, quia tunc revera in praesenti dicitur dote carere.

(2) Advertendum est, quod cum de inimicitiis existentibus agatur, necesse sit, ut coram Delegato seu Commissario dispensationis probentur hae inimicitiae per testes deponentes de hisce inimicitiis, ut causa constet existere.

tionis causa *Ætas puellae*: quando scilicet aetatem vigesimi quarti anni puella excessit. Haec autem causa non sufficit ad dispensandum in gradibus proximioribus: puta in secundo gradu, vel in primo et secundo; caeterum si plus hanc aetatem praetergressa fuerit puella, facilior erit dispensatio (1). Haec ipsa vero causa non admittitur in vidua secundas nuptias contrahere volente.

Causa dispensationis est etiam *periculum vitae*. Hoc dupliciter potest contingere: uno modo cum puella commoratur in loco ad littus maris sito, ac propterea frequentibus piratarum vel Infidelium incursibus obnoxio, aut aliis vitae periculis exposito; adeoque nemo, nisi consanguineus, inveniatur, qui posset puellam hoc sitam in loco ducere. Secundo modo, quando quis commiserit crimen capitali poena dignum, quod familia offensi condonare parata est, si hanc vel illam ex consanguineis ducere velit. Insuper *periculum seductionis* seu subversionis causa est: quando Oratores inire matrimonium procurant cum consanguineis, ne cum haereticis vel suspectis de haeresi contrahere cogantur. Causa haec praecipue locum habet in Belgiis, Germania, et aliis locis, quos promiscue incolunt Catholici, et Haeretici. *Conservatio bonorum in eadem familia, illustris conservatio familiae in eodem sanguine* est etiam causa contrahendi matrimonium inter consanguineos; ut nempe bona remaneant in eadem familia, vel conservetur familia ampla, et locuples: item ut familia retineat suum splendorem, et decorem, quem amitteret conjugendo se aliis. *Excellentia meritorum*: quando scilicet unus de Oratoribus seu petentibus dispensationem, benemeritus de Ecclesia remunerandus est ob aliquod officium

---

(1) Dubitatur, an, cum in supplicatione exponatur: *Oratricem hactenus virum paris conditionis, cui nubere posset, non invenisse*, executor teneatur inquirere in dispensando, si vera sint exposita. Respondet Corradus loc. cit. n. 83. satis esse, ut puella probet aetatis excessum; nec requiri, ut de marito stricte, seu diligenter quaesierit.

Ecclesiae praestitum, sive in bello contra Infideles vel haereticos, sive ad defensionem jurium Ecclesiae, sive ob alios titulos id genus. Est autem alia dispensationis causa, quando *Oratrix gravata filiis procreatis ex alio viro invenit aliquem consanguineum, vel affinem, qui spondet, et se obligat eorumdem filiorum et curam suscepturum.* Id non indiget explicatione (1).

Tandem causa adesse dicitur impetrandae dispensationis, *quando contrahens ex certis ac rationabilibus causis moveatur*: idque accidit, quando causae exponuntur Pontifici, et ipse dispensat hac formula, reticendo in concessionis Rescripto causas sibiipsi Pontifici ab Oratoribus patefactas: unde nec oratores tenentur causas manifestare Executori, nec Executor obligatur exigere earumdem causarum verificationem, etiamsi apponatur clausula: *diligenter informas.*

Adest et alia dispensationis causa: *Ministratio nempe majoris pecuniae.* Hanc autem causam omnes DD. contra Concinam admittunt una cum Bened. XIV. in Inst. 87. n. 26. (2).

10. *Quomodo explicentur enumeratae causae dictae infamantes?*

Familiaritas illa, quae creat scandalum etc. intelligitur, quando Partes, quae petunt dispensationem, attulerunt scandalum viciniae ob nimiam familiaritatem in colloquiis, et in tota ratione agendi; minime tamen secuta copula; adeo ut, nisi matri-

---

(1) Advertit Corradus loc. cit. n. 81. non admittendam esse hanc causam, nisi vir legali cautione se obliget et ad alimenta, et ad curam horum pupillorum.

(2) Jure meritoque admittunt DD. Nam cum hujusmodi compositiones seu subministrationes pecuniae ex Innocentii XI. decreto non commisceantur cum aliis pecuniis Thesauri Cameralis, sed sint reservandae in Monte Pietatis, et inde non extrahantur, nisi de mandato Summi Pontificis, ut in sola opera pia impendantur; sane justa est causa haec praestatio pecuniae, et quidem pia causa, ob quam Ecclesia possit dispensare. Si lector plura desideret, adeat Pontas Diction. Casuum Consc. verbo dispensationis, cas. 26.

monium contrahant, futurum sit, ut puella neminem inveniat, cui nubere possit.

Proles jam genita ex carnali commercio etc. quando scilicet familiaritas inter Partes usque eo progressa est, ut prolem habuerint; ita ut non aliter possit occurri scandalo allato, quam matrimonio inter ipsos contrahendo.

Partes licet consanguineae vel affines a contracto matrimonio etc. quando Partes licet consanguineae vel affines matrimonium contraxerint, tamen sine gravi scandalo, aut damno non possunt a se invicem separari (1).

De modo, quo obtinendae sunt dispensationes Matrimoniales.

11. *Quid servandum sit ab iis, qui dispensationem petunt stante jam veritate causae?*

Plura in praxi servanda sunt: primum supplicatio facienda est communiter idiomate latino, aut vulgari sine verborum, vel dictionis apparatu; maxime vero sine ambagibus, seu ambiguitate; et quoad fieri possit, secundum usitatiorem modum a Curia Romana re-

(1) Semper est exprimendum in petitione dispensationis, an Partes cognoverint impedimentum ante contractionem matrimonii; an dumtaxat cognoverint post contractum matrimonium; an statim ac notitiam habuerunt impedimenti, ab omni carnali commercio se abstinuerint; an eo fine peccaverint, aut nimia familiaritate usae fuerint, ut facilius inducerent Pontificem ad dispensandum.

Animadversione dignum judicat saepe laudatus Corradus: graviter peccare eos, qui nulla, vel minus legitima, aut ficta causa exhibita extorquent dispensationem, proindeque nullam. Item curandum est, ne in petendis dispensationibus recurrant ad eos Bancarios, vulgo dictos *Spedizionieri*, qui lucri turpis causa supplicationes petentium ad suum libitum fingunt, ut facilius gratiam obtineant dispensationis. Hinc summopere Executores dispensationum Rescriptorum debent accurate examinare et perscrutari, an preces seu petitiones dispensationum nitantur veritate: quod quidem stricte praecipit Summus Pontifex onerando eorum conscientiam.

quisitum (1). 2. Debet impedimentum, de quo petitur dispensatio, clare et in sua specie proponi: scilicet non unum pro alio, vel majus pro minore: ex. gr. consanguinitas pro affinitate. 3. Debent omnia impedimenta dispensanda relativa ad matrimonium in una eademque petitione exprimi. Si vero unum impedimentum sit publicum, et alterum occultum: puta unum consanguinitatis, et aliud criminis vel affinitatis ex copula illicita; tunc publicum in Dataria vel Cancellaria, uti supra dictum est, debet proponi ad impetrandam dispensationem pro foro externo; utrumque vero tam publicum, quam occultum debet exponi Poenitentiariae. At consultius esset, primo utrumque Poenitentiariae aperire, et postea obtenta a Poenitentiaria dispensatione super impedimento occulto, adire Datariam pro dispensatione alterius impedimenti publici (2). 4. Si copula habita sit causa ad facilius impetrandam dispensationem, exprimendum est: an copula habita fuerit ea intentione scilicet ad facilius impetrandam dispensationem; etiamsi haec intentio tantum ex parte unius habita fuerit: uti sentit Corradus (3). 5. Si petatur dispensatio post matrimonii contractionem seu ad reconvalidandum matrimonium, necessario exprimendum est: 1. an Partes, vel saltem una earum in bona vel mala fide contraxerint (4); 2. an contraxe-

(1) Mox apposite transcribemus hujusmodi exemplaria supplicationum, unde modus usitatior prae oculis haberi possit.

(2) Id, quod suggerunt DD. in praxi. Nam requiritur ut simul cognoscantur impedimenta illi matrimonio obstantia, ne facilius concedatur dispensationis gratia. Graves equidem secutus Doctores hanc praxim consului exponendi scilicet prius Poenitentiariae utrumque impedimentum, et postea Datariae. Siquidem contingere potest, ut Poenitentiaria cognita difficultate dispensandi impedimenta, non dispenset; et tunc frustranea esset dispensatio obtenta a Dataria, et inde cassa iret summa erogata. Vide D. Lig. lib. 6. n. 1139.

(3) Ex communi certum est, tunc esse exprimendam intentionem hujusmodi, quando ex parte utriusque habita fuit copula cum hac iniqua intentione.

(4) Non dicitur contraxisse matrimonium mala fide,

rint spe facilius impetrandi dispensationem; 3. an etiam matrimonium consummaverint; 4. an Partes ignorantes impedimentum clandestine, vel sine praemissis denuntiationibus contraxerint (1).

12. *Quidnam in particulari exprimendum sit circa unumquodque impedimentum?*

Circa consanguinitatem exprimendum est: an consanguinitas sit in linea recta, vel transversali, et in quo gradu utriusque; an Partes conjunctae sint duplici consanguinitatis vinculo (2); exprimenda est copula inter ipsos consanguineos vel affines habita cum intentione, vel sine intentione facilius obtinendi dispensationem; etiam in casu, quo alia legitima dispensationis causa affertur. Ita ex communiori sententia, et a D. Ligorio citatur Bulla Bened. XIV. *Pastor bonus* (3). Rursus exprimendum est: an copula isthaec incestuosa habita fuerit cum cognitione; an cum ignorantia impedimenti.

13. *Quid si Partes post dispensationem Romae obtentam, antequam dispensatio executioni mandatur,*

---

qui, etsi meminerit factum, nempe copulam habitam cum consanguinea illius, quam in uxorem accepit, ignorabat tamen ex hac copula ortum fuisse impedimentum dirimens matrimonium.

(1) Qui clandestine proprie, vel improprie contraxerunt matrimonium, carent omni gratia dispensationis ex Tridentino sess. 24. cap. 5. Non tamen absolute negatur dispensatio, sed multo difficilius conceditur.

(2) Vide in n. 2. ad notam 1.

(3) Si vero copula fuerit occulta, non exprimenda est; ne publicetur delictum. Utrum hoc in casu ad S. Poenitentiariam sit recurrendum, et simul exprimendum impedimentum publicum consanguinitatis, de quo jam dispensat, vel dispensaturus est Summus Pontifex; et etiam copula occulta sit exprimenda, quaestio inter DD. Ex Sanchez et M. Paulo Leone in Praxi 11. c. 17. n. 2. omnino recurrendum est ad Poenitentiariam. Horum sententiam docet D. Ligorius L. VI. n. 1135. tenendam esse: uti plane constat ex citata Bulla Bened. XIV. *Pastor bonus*. §. 41. Secundum Corradum hic incestus est exprimendus, etiamsi petatur dispensatio impedimenti de cognatione spirituali, vel publica honestate.

habeant inter se carnalem copulam? (1)

Dicendum est non valere hanc dispensationem: uti constat ex praxi Curiae Romanae, et ex declaratione S. C. Congr. (2). Hoc in casu debent obtineri litterae, quae vocantur *perinde valere*. An vero indigeant nova dispensatione affines, vel consanguinei, qui praeter copulam habitam ante petitionem dispensationis, et in petitione expressam, iterum habeant copulam ante, vel post executionem dispensationis; communius docent DD. non indigere: quod decisum a S. Congr. refert laudatus Corradus.

14. *Quaenam sint aperienda circa caetera impedimenta, de quibus petenda est dispensatio?*

Circa affinitatem designandus est gradus; multiplicitas vinculi, si adsit (3); gradus propinquior, si inaequalis sit graduum distantia. Praeterea significari debet: an affinitas oriatur ex copula licita, vel illicita; quando petitur dispensatio supra primo, vel secundo gradu (4). Insuper exprimendum est: an affinitatas sit in linea recta, vel transversali; saltem si affinitas oriatur ex copula licita. Circa publicam honestatem exprimendum est: an haec oriatur ex sponsalibus, vel ex matrimonio; et in quo gradu sint, qui matrimonium volunt contrahere. Circa cognationem spiritualem exprimendum est: 1. an haec sit paternitas, vel maternitas; et proinde filiatio ex altera: an sit tantum compaternitas (5). 2. An cogna-

---

(1) Quando scilicet copula non praecessit; et ideo illam non expresserunt.

(2) Vide apud D. Lig. Lib. 6. n. 1141.

(3) Puta si quis copulam habuerit cum duabus consanguineis ejus, quam ducere vult: uti constat declaratum a Benedicto XIV. in Brevi *Etsi Matrimonialis*. D. Lig. lib. cit. n. 1138. Quod idem tenendum quoad cognationem spiritualem, et publicam honestatem.

(4) Tum quia difficilius dispensatur affinitas ex copula licita; tum quia in copula licita habetur etiam impedimentum publicae honestatis: quod utique tacite dispensatur.

(5) Nam indecentius est, matrimonium inter patrem, et filiam spiritualem, quam inter compatrem, et matrem

tio spiritualis sit duplex: ex gr. an qui tenuit Franciscum in Baptismo, eundem, vel ejus sororem, fratrem in confirmatione tenuerit: an ipse tenuerit filios illius, qui suos filios quoque tenuit (1). Circa impedimentum criminis exponendum est: an ex machinatione, seu conspiratione utriusque; an ex adulterio tantum sine conspiratione; an ex utroque simul (2).

Exemplaria seu formulae, quibus conformandae sunt supplicationes ad impetrandas a Sacra Poenitentiaria dispensationes de impedimentis pro contrahendo, aut convalidando matrimonio.

Intus ponatur.

Eminentiss. e Reverendiss. Signore.

NN. avendo avuto copula con una donna, si trova aver data parola di matrimonio a NN. sorella di quella; e perchè l' impedimento è occulto, e non facendosi questo matrimonio ne avverrebbe molto scandalo (3). *Supplica perciò l' Em. S. a volergli concedere la dispensa.*

---

filioli, vel filiolae. Unde vix unquam in paternitate spirituali dispensat Sedes Apostolica.

(1) Non est exprimendum: si quis plures filios ejusdem in Confirmatione, vel in Baptismo susceperit; prout declaravit Clemens VIII. Item non exprimendum an cognatio orta sit ex Baptismo, vel ex Confirmatione.

(2) Ex conspiratione impedimentum criminis ortum nunquam dispensat Pontifex pro foro externo, raro pro foro interno.

Ex dictis colligi potest, quando non est petenda dispensatio; cum Summus Pontifex dispensare non soleat. Siquidem praecise non dispensat in secundo, tertio, et quarto gradu consanguinitatis in linea recta: item in primo consanguinitatis gradu in linea transversali: in cognatione legali in linea recta.

(3) Si alia causa adsit, illa exprimatur ad instar istius causae in hoc exemplari exscriptae.

La risposta si degnerà di mandarla in Napoli (o pure per la posta di Napoli a Nola, aut quo velit quis dirigatur) *in testa di* . . . . (hic exprimitur nomen et cognomen illius, ad quem rescribendum erit).

Si autem petitur dispensatio voti castitatis, dicatur : *NN. si trova aver fatto voto di castità, ma perchè sta in grave pericolo d' incontinenza, prega l' Eminenza S. a dispensare nel suddetto voto, affine di potere contrarre matrimonio ec.* Ita si matrimonium non est contractum ; si vero matrimonium jam est contractum, sic scribi potest. *NN. ignaro (o consapevole) dell' impedimento ha contratto matrimonio con una donna, la cui madre (o sorella) aveva prima carnalmente conosciuta ; onde, essendo impedimento occulto, e perciò non potendosi separare senza scandalo, supplica l' Em. S. per l' assoluzione, e dispensa. La risposta ecc.*

Foris autem inscribatur : *All' Eminentissimo, e Reverendissimo Signore, Signore e Pne Collmo*

Il sig. Cardinale Penitenziere Maggiore
Roma

De executione dispensationis.

15. *Quinam debeant exequi dispensationem ab Apostolica Sede impetratam ?*

Si debeat executioni demandari dispensatio a S. Poenitentiaria impetrata, Confessarius debet eam exequi ; quia tantum in foro conscientiae dispensat Poenitentiaria. Si vero impetrata fuerit a Dataria, executio dispensationis Episcopis, eorumque Vicariis Generalibus committitur.

16. *Quomodo sint intelligendae, atque explicandae* Clausulae *a Poenitentiaria dispensationum Rescriptis appositae ?*

Clausulae hujusmodi sunt sequentes. Exterius inscribitur hisce verbis : *Discreto viro NN. Confessario, Theologiae Magistro (vel Decretorum Doctori) ex approbatis ab Ordinario per latorem, aut latricem praesentium eligendo ad infrascripta specialiter de-*

putato. Intus vero explicando impedimento, ejusque relaxandi rationi inserviunt diversae formulae. Quando agitur de impedimento affinitatis ex copula illicita, puta habita cum matre, vel sorore ejus, cum qua matrimonium est contrahendum, haec est formula: *Nos discretioni tuae committimus, qualenus, si ita est, dictum latorem audita prius Sacramentali Confessione, ac sublata occasione amplius peccandi, cum dicta mulieris matre (aut cum alia consanguinea dictae mulieris) ab incestu, et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiae consueta . . . Demum dummodo impedimentum ex praemissis proveniens occultum sit, et aliud canonicum non obstet cum eodem latore, quod praemissis non obstantibus, matrimonium cum praedicta muliere, et uterque inter se publice, et servata forma Concilii Tridentini contrahere, et in eo postmodum remanere licite valeat, misericorditer dispenses, prolem suscipiendam exinde legitimam pronuntiando in foro conscientiae, et in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, et non aliter, neque ullo alio modo; ita quod hujusmodi absolutio, et dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragentur.*

Quando de dispensatione pro matrimonio jam contracto res est, habetur isthaec alia formula: *Ut separatio inter ipsos fieri non possit absque scandalo, et ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum sit; ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata etc.*

In dispensatione, aut commutatione votorum simplicium castitatis, aut Religionis, quae violarentur, aut violata sunt per matrimonium contrahendum vel contractum, haec formula adhibetur: *Ut votum hujusmodi, ad hoc tantum, ut matrimonium legitime contrahere, et in eodem licite debitum conjugale exigere, atque reddere valeat Orator, dispensando commutetur in Sacramentalem Confessionem semel quolibet mense, et in alia poenitentiae opera perpetua injungenda; inter quae sint etiam aliqua (Religionis quam ingressurus fuisset Orator) quae quotidie face-*

re teneatur ad eum finem , ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis , qua ad hujusmodi vota adstringebatur , prout , secundum Deum , ipsius animae saluti expedire judicatum fuerit.

Quibus positis , relatas singillatim clausulas enucleabimus. Prima autem clausula est , ut supra diximus : *Discreto viro Theologiae Magistro , vel Decretorum Doctori.* Ut isthaec clausula verificetur , requiritur , ut reapse iste Confessarius , cui committitur executio , sit evectus in aliqua Universitate ad Magisterii , seu Doctoratus gradum. Hinc non sufficit , ut sit licentiatus in Theologia , aut in Jure Canonico , vel sit utriusque juris Professor , vel Doctor, vel revera doctus sit , aut ex errore communi doctus existimetur ; nec sufficit , si Magister in sua Religione appelletur (1). Ab hac regula excipiuntur illi simplices Confessarii , qui executionem dispensationis sibi delegatam expostulant : immo vero testatur Bened. XIV. in Inst. 9. usum invaluisse apud Poenitentiariam , ut simplicibus Confessariis harum dispensationum executiones committerentur. Quod autem eidem clausulae additur : *Ex approbatis ab Ordinario* , id eo sensu accipiendum est, quatenus scilicet non possit executioni demandare Rescriptum dispensationis Doctor , qui actu non est approbatus ab Ordinario loci, in quo Rescriptum habere debet executionem; quamvis alias , vel alibi approbatus fuerit (2). Immo vero si agatur de Monialibus , Monialis debet eligere Confessarium ex approbatis pro Monialibus (3). Quod au-

---

(1) Sanchez advertit , quod si litterae aperiantur ab eo, qui non est insignitus gradu Magisterii , non ideo carent effectu : dummodo a Doctore , etiamsi indocto , executioni mandentur. Vide Bened. XIV. Inst. 32. et 33.

(2) Si Rescriptum sit in favorem Religiosi , sufficit , ut Confessarius ab eo electus sit approbatus a Praelato sui Ordinis : qui quoad suos Religiosos est Ordinarius.

(3) Duo advertit Navarrus : 1. quod non requiritur , ut Confessarius approbatus sit pro monasterio , in quo degit Monialis : 2. quod hujusmodi commissiones aliquando demandentur Confessariis ex approbatis ab Ordinario ; etsi sint appro-

tem dicitur: *quatenus si ita est*: Plura ex hac formula consequuntur: 1. nempe quod si Confessarius, cui committitur executio, non examinaverit veritatem, cum ei facti veritas ipsa constet, valide dispensat; 2. si Confessarius minime veritatis conscius sine praevio hujus veritatis examine dispenset, juxta Sanchez, etiamsi facti veritas reapse existat, invalide dispensat: quando in dispensatione adhibentur haec verba: *si ita esse per diligentem examinationem inveneris*. Secus vero si formula esset: *dispensa, si ita est*: quia tunc tantum sufficit, ut preces veritate nitantur ex ipso Sanchez lib. 8. Disp. 34. n. 26. At semper graviter peccat hujusmodi Confessarius, qui culpabiliter omitteret facti veritatis examen (1). Dicitur prae-

---

bati pro Monialibus: si nimirum conceditur facultas Moniali, ut possit confiteri cuilibet Confessario ex approbatis ab Ordinario.

(1) Huic formulae olim addebatur: *per diligentem Oratoris examinationem, ac post monita, et consilia opportuna illi praestita inveneris*, (haec adjectio, quamvis non exprimatur, semper subintelligenda est). Hujusmodi monita, et consilia hac expressione jussa consistunt in hoc, quod Confessarius, cui commissa fuerit executio, admonere debeat poenitentem, ut veritatem sincere, et coram Deo, prout est ei conscientia, explicet. Si vero Confessarius sit certus de probitate ac religione poenitentis, hoc non esse omnino necessarium videtur. Deinde tenetur in conscientia Confessarius, et quidem sub gravi, investigare, et scrutari naturam et circumstantiam rei seu facti: investigando nempe an impedimentum propositum Poenitentiariae sit occultum, et an oritura reapse sint incommoda, quae declaravit Orator ex denegatione dispensationis fore sequutura. Adi Bened. XIV. Inst. cit. n. 34. Attamen semper fides habenda est poenitenti, nisi Confessarius certe sciat oppositum ex notitia extra confessionem accepta. Apud D. Lig. lib. 6. n. 1143. Quomodo hoc in casu se gerere debeat Confessarius, disce in Inst. cit. Bened. XIV. n. 34. Hoc examen, quo investigatur causa dispensationis acutius est peragendum, adeoque funditus inquirenda est veritas, et sufficientia expositae causae. Hinc qui ad obtinendam ex. gr. dispensationem a voto castitatis exposuit: *se stimulis carnis agitari, adeo ut continenter vivere non posse desperet*: de eo penitus interrogandus est. Nec enim sufficit vel sola

terea : *Audita prius Sacramentali Confessione.* Itaque requiritur ad validitatem dispensationis, ut Orator confiteatur apud Confessarium executorem dispensationis peccata mortalia, si habeat, aut venialia; etiamsi concedatur dispensatio in materia, quae nullum poenitentis delictum supponat, puta in irregularitate ex defectu natalium (1). Rursus additur *sublata occasione peccandi etc.* Quae quidem verba indicant poenitentem nec absolvendum, nec dispensandum, antequam occasionem voluntariam revera amoverit; occasionem autem necessariam adeo sincero animo, ac voluntate amoveat, ut adhibitis mediis, e proxima moraliter fiat remota (2). Tandem, quod dicitur : *Injuncta ei gravi poenitentia* : id importat obligationem executoris imponendi scilicet poenitentiam, quam prudentia suggesserit injungere pro criminum qualitate, et poenitentium conditione, seu facultate. Quod si poenitens propter crimen, de quo petitur dispensatio, jam satisfecerat poenitentiae, ejusmodi praeviae satisfactionis bene habenda est ratio; adeo ut Confessarius debeat tunc poenitentiam in Rescripto impositam moderari. At vero si a Poenitentiaria concessioni dispensationis adnexa sit

---

tentatio, vel periculum unius, vel alterius transgressionis; sed juxta Sanchez requiritur, ut periculum oriatur ex ipso voventis statu vitae : quatenus sit nempe conjugio ligatus, vel ob habitum contractum vel ob vehementiam tentationis probabiliter desperet se continenter vivere posse.

(1) Potest poenitens ab uno Confessario ad alium recurrere, dummodo hoc non fiat pravo fine, idest ut reperiatur Confessarius laxior, vel minus doctus causa suae voluptati favendi : (hoc intelligitur, quando datur poenitenti facultas eligendi Confessarium). Item Confessarius potest re maturius perpensa a sua opinione recedere. At utrumque non licet juxta Sanchez Officialibus commissis, seu illis, quibus commissa fuit dispensationis executio, quando agitur de dispensatione concessa a Dataria. Non enim licet primum; quia ubi semel coeptum est judicium, ibi terminari debet : ex L. *Ubi coeptum* : 30 §. de judiciis. Non alterum, quia cessat jurisdictio judicis delegati statim, ac judex sententiam definitivam tulit, etiamsi ferendo erravit.

(2) Legesis D. Lig. loc. cit.

obligatio quaedam, quae speciem habeat commutationis: puta si concessioni obtentae subsit obligatio Confessionis semel in mense etc.; haec a Confessario omnino est imponenda (1).

Quibus sic explicatis caeteras formulas, quae circa dispensationem voti a S. Poenitentiaria usurpantur, percurramus. Itaque cum agitur de dispensatione voti Poenitentiaria adjungit haec verba: *ut commutet votum in Sacramentalem Confessionem semel in mense: vel insuper praeter confessionem mensilem in alia opera poenitentiae facienda sit commutatio voti.* Cujus quidem praescriptionis sat manifestus sensus est: ut Confessarius debeat imponere praeter confessionem mensilem etiam alia opera, nempe jejunium, aut abstinentiam ab ovis, lacticiniis feria sexta vel Sabbato; aut officium vel Rosarii B. Mariae Virginis tertia pars etc. (2). Quod autem additur: *Aliis adjunctis, quae*

---

(1) D. Lig. ibidem.

(2) Lege Benedict. XIV. Inst. 87. n. 40. Si poenitentia non est taxata a Poenitentiaria, potest sibi Confessarius pro regula proponere sequentes poenitentias: ex. gr. per sex menses jejunium semel in hebdomada; aut frequens confessio (saltem semel in mense); orationes, recitatio tertiae partis S. Rosarii per tres menses ter in hebdomada; meditationis usus: quae quidem omnibus utilior erit etc.

Advertendum est, quod si dicatur: *alia haec poenitentiae opera*; ad minus duo opera poenitentiae imponenda essent; quodque si dicatur: *tamdiu duratura sunt, quamdiu praedictae commutationi locus erit*, tunc intelligitur praedictorum obligationem operum ab ea die, qua contrahitur, et consummatur matrimonium, incipere usque ad durationem matrimonii. Hoc vero dictum intelligitur in dispensatione voti castitatis, non autem voti Religionis amplectendae, quia votum ejusmodi Religionis nunquam reviviscit per mortem conjugis, cum extinguatur per matrimonium; et ideo poenitentia semper durat. Auctores apud Vella Append. de Dispens. matrim. p. 47.

Rursus si praecipiatur, ut inter opera pietatis, *quaedam sint, quae poenitens quotidie facere teneatur*, ut semper relaxati voti meminerit, praeter exposita pietatis opera imponenda sunt alia opera in perpetuum, et in singulis diebus: ex gr. pia quaedam lectio et brevis; breve conscientiae exa-

de jure fuerint jungenda. Haec formula eo sensu intelligenda est, quatenus poenitens, si qua obligatione teneatur, uti restitutione rei ablatae, famae, vel aliorum similium, reparare praecipiatur. Rigorose autem observanda est isthaec conditio, quae imponitur: *dummodo impedimentum sit occultum*; adeo quidem ut, si Confessarius cognoscat factum esse famosum, vel manifestum, aut notorium publicitate facti, vel juris, debeat se abstinere ab executione dispensationis. Quodnam vero, et quatenus impedimentum sit occultum, relege quod dictum est in hac appendice n. 4. et in Appendice tertia n. 5. Quod autem dicitur: *Aliudque Canonicum impedimentum non obstet*; vi hujus clausulae tenentur Partes, si alio impedimento sive occulto, sive publico sint ligatae, recurrere ad Sacram Poenitentiariam pro occulto, facta mentione prioris impedimenti, ut nova dispensatio impetretur; pro publico autem facere certiorem S. Poenitentiariam de hoc impedimento, quod a Dataria dispensari exposcitur (1). Dicitur praeterea: *cum eodem latore, quod praemissis non obstantibus.* Quibus verbis indicatur, Confessarium non obstante dicto impedimento, et aliis, quae S. Poenitentiariae exposita sunt, posse gratiam seu dispensationem exequi. Porro illa verba: *Matrimonium servata forma Concilii Tridentini contrahere, et in eo remanere, licite valeant*, satis indicant, quod

---

men; oratio mentalis, aliudve charitatis opus erga proximum etc. Si dispensatio detur in voto Religionis ingrediendae, inter alia opera debet imponi aliquod opus, quo recordatur poenitens voti relaxationis: uti gestatio chordulae illius Ordinis, recitatio quotidiana aliquot precum, litaniarum, quae in Ordine recitantur, etc.

Denique moneatur poenitens: quod si a Poenitentiaria adjungantur haec verba: *sibique votum praefatum ad hoc tantum etc.* dispensatio voti concessa sit tantum, ut matrimonio utatur. Hinc si quis extra matrimonium, contra castitatem, vel in matrimonio contra conjugalem castitatem agendo, violet votum, peccat quidem contra Religionem.

(1) Superius adnotavi in n. 11, et inferius latius erit dicendum.

praeviis, aut de licentia Ordinarii omissis denuntiationibus, coram Parocho et testibus valeant Partes contrahere matrimonium, et illo uti, ac si nullo impedimento ligatae fuissent; et inde prolem nascituram legitimam habere (1). Quod autem dicitur: *In foro conscientiae, et ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum etc.*: Confessarius ex hoc potest in Sacramentali Confessione seu in foro Sacramentali, et non extra, expedire hujusmodi gratiam. Circa autem verba: *Ita quod hujusmodi absolutio, et dispensatio in foro judiciali nullatenus suffragentur*, ex hoc intelligitur, quod si fortasse hoc impedimentum dispensatum ex occulto fiat publicum, et ad forum contentiosum deducatur, gratia Poenitentiariae in foro externo non suffragetur; ideoque tunc ad Datariam recurrendum esset (2). Additur propterea: *sed praesentibus laceratis*; scilicet quamprimum fieri potest Rescriptum Poenitentiariae ea diligentia lacerandum est, ne Rescriptum, et delictum poenitentis cognosci possit (3). Tandem: *ne latori restituas*; *quod si*

---

(1) Isthacc clausula apponitur a Poenitentiaria in Rescriptis de dispensationibus pro matrimonio contrahendo. Legesis Inst. 87. Bened. XIV. n. 65.

(2) Attamen ex Benedic. XIV. in cit. Inst. n. 50. si poenitens uteretur matrimonio sine scandalo, non peccaret; quia revera coram Deo dispensatus fuit. Ex eodem Bened. in Inst. cit. n. 51. pro comperto habetur: quod si jam in foro conscientiae dispensatum fuerit impedimentum, et inde matrimonium rite contractum, et postea impedimentum evadet publicum; cum conjuges hoc in casu minime possint probare obtentam dispensationem ejusmodi impedimenti, tunc Episcopus, Parochus, judex debent acquiescere testimoniis Confessarii fidem facientis de dispensatione impetrata. Vide D. Lig. lib. 6. n. 1140.

(3) Secundum D. Lig. lib. cit. n 1143 quamvis statim facienda sit laceratio, illud tamen *statim* moraliter intelligendum est: idest saltem per triduum post dispensationis executionem. Si in Rescripto non sit apposita clausula lacerationis, sicut accidit, quando matrimonium nondum est contractum, seu quando non dispensatur ad convalidandum matrimonium, tunc non urget obligatio lacerandi Rescriptum; sed

restitueris, nihil ei praesentes litterae suffragentur: quod indicat istas litteras nunquam alicui suffragari posse in foro externo.

Attamen etsi Confessarius graviter peccaret, et in excommunicationem latae sententiae incurreret restituendo, seu dando poenitenti hujusmodi litteras (quando in Rescriptis haec poena apponitur) semper valebit dispensatio rite semel, et legitime executioni demandata: ex citata Inst. Bened. XIV. n. 53.

17. *An aliis clausulis a recensitis utatur Poenitentiaria in dispensatione pro matrimonio reconvalidando?*

Maxime. Poenitentiaria praeter clausulas nuper expositas alias quoque hac de re diversas usurpat: 1. autem circa ea verba: *a quibus sententiis, censuris, et poenis*; intelligendum est, Confessarium absolvere posse illas sententias, poenas, censuras, quas poenitens sive de jure communi, sive ex specialibus locorum statutis ob crimen incestus incurrit, vel incurrere potuit. 2. Circa ea: *injuncta ei confessio Sacramentalis semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum*, dicendum est praedictam Confessionem praecipiendam esse ad minus per duos menses, aut secundum alios ad sex menses: 3. Addi solent ea verba: *Et separatio fieri non possit absque scandalo, aut ex cohabitatione de incontinentia timendum sit.* Hoc autem ut plurimum semper verificatur. Nam evidens est, personas pro legitimis conjugibus palam habitis nec posse separari sine scandalo, nec secum invicem cohabitare sine periculo proximo incontinentiae. 4. *Ut dicta mulier de nullitate prioris consensus certiorata etc.* Itaque debet certior fieri pars inscia impedimenti de nullitate prioris consensus in matrimonio nullo praestiti; et eo quidem modo debet hoc peragi, ut cum certior fiat de nullitate prioris consensus, notitia tamen impedimenti, quod illi priori matrimonio obstitit, non habeatur. Quinam

---

ejusmodi dispensatio caute est adnotanda a Parocho in libro, qui non possit ab alio aspici; idque agere debet, ut possit requisitus postmodum, si opus erit, fidem facere de dispensatione impetrata. Ibidem D. Lig.

vero sit modus tenendus, ut nempe finis optatus habeatur, desudant DD. Plures quidem modos suggerunt, quorum duos sequimur ex D. Lig. cum aliis receptos. Primus est, si dicat sponsus: *quando nupsi, non habui verum consensum, nunc praestare volo, vis et tu praestare?* Secundus modus est, si sponsus dicat: *angor scrupulis de nostri matrimonii valore; ideoque renovemus consensum* (1).

Ultima adjecta clausula est: *matrimonium inter se de novo secrete . . . praemissis non obstantibus.* Itaque debent contrahentes sine Parocho, et testibus renovare consensum eo modo, quo supra explicavimus.

Ut rite ac recte Confessarius, cui committitur dispensationis executio, possit illam exequi, proponuntur formulae, quibus pro varietate dispensationum uti debeat post absolutionem a censuris, et peccatis collatam. En per extensum exscriptae. Post absolutionis a peccatis formam expletam subjungit: *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispen-*

---

(1) Lib. 6. n. 1117. Alii modi ab aliis aliquibus Doctoribus traditi sunt. *Dic quaeso, si nullum fuisset matrimonium, nonne me iterum accipere intendis? Si mihi non nupsisses, nonne nuberes nunc? Pro mea consolatione volo de novo contrahere, eja contrahamus.* Hi modi jure, ac merito a D. Ligorio cum aliis rejiciuntur: quia consensum ponunt dependentem a primo consensu, nec important consensum positive voluntarium. Denique alii volunt sufficere copulam animo maritali habitam ex parte illius contrahentis, seu sponsi, qui est inscius impedimenti per dispensationem jam sublati. Hunc modum docet D. Ligorius juxta plures DD. tunc tantum esse admittendum, quando non esset locus modis supra expressis, et simul imminet periculum gravis damni. Lege Bened. XIV. in Inst. 87. n. 74.

Ex Constitutione Bened. XIV. emanata die 27. Sept. 1755. (in tom. 4. Bullarii) potest matrimonium ex impedimento a lege canonica proveniente dispensari a Pontifice *in radice*, aliquo urgentissimo casu occurrente. Dispensatur autem *in radice*, nimirum parte altera inscia impedimenti minime certiorata, nec novo consensu apposito; sed sic retrotrahendo contractum ac si ab initio impedimentum abfuisset. Legesis D. Lig. lib. 6. n. 1115.

so tecum super impedimento primi (seu secundi , seu primi et secundi) gradus affinitatis ex copula illicita a te habita cum sorore mulieris , cum qua contrahere intendis , proveniente : ut praefato impedimento non obstante , matrimonium cum dicta muliere , publice servata forma Concilii Tridentini , contrahere , consummare , et in eo remanere licite possis et valeas. In nomine Patris etc. Insuper eadem auctoritate Apostolica prolem , quam ex matrimonio susceperis , legitimam fore pronuntio et declaro. In nomine Patris , etc. : Passio Domini nostri : quod post finem consuetae confessionis adjungi solet.

Si dispensatio detur ad remanendum in matrimonio jam contracto , forma haec erit : *Et insuper dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradus ex copula illicita , quam cum sorore tuae putatae conjungis antea habuisti , ut illo non obstante , renovato consensu cum praefata conjuge , matrimonium cum illa contrahere possis. Et pariter eadem auctoritate Apostolica prolem , si quam suscepisti , et susceperis , legitimam fore decerno et declaro.* Si dispensatio sit a voto castitatis, dicitur : *Insuper tibi votum castitatis quod emisisti , ad effectum , ut matrimonium contrahere , et debitum conjugale reddere , et petere licite possis et valeas , in opera , quae tibi praescripsi , dispensando commuto. In nomine etc.* Eadem pene est forma dispensationis a Religionis voto , in ordine ad matrimonium. Quod si quis dispensatus sit, dummodo caelibem vitam ducat , non dicitur *ad effectum contrahendi matrimonium* , bene vero *ad effectum remanendi in seculo in vita caelibi.*

Si quis non obstante castitatis voto matrimonium inierit , dicitur : *Item te , non obstante castitatis voto, quod emisisti , et transgressus fuisti , in dicto matrimonio remanere , et debitum conjugale reddere posse et debere declaro : et ut idem debitum etiam exigere licite possis , et valeas tecum eadem auctoritate Apostolica dispenso. In nomine Patris , etc.*

Quaedam Regulae, quibus dignoscitur, quando Rescripta Dispensationum sint invalida ex causa Subreptionis, vel Obreptionis.

18. *Quandonam Rescripta dispensationum possint esse invalida seu carere suo effectu?*

Quando dispensatio est subreptitia, vel obreptitia: idest obtenta per subreptionem vel obreptionem. Hoc clarum fiet ex sequentibus regulis (1).

Regula I. Reticentia qualitatis, quae specialiter est exprimenda ex juris dispositione, efficit dispensationem, quae ad petitionem Partis conceditur, subreptitiam; ideoque invalidam: etiamsi per ignorantiam inculpabilem fiat. Idem dicendum est, quando certo constaret, quod etiam expressa illa eadem qualitate, quae non est manifestata, pariter et eadem facilitate concessa fuisset dispensatio (2). Dixi ad petitionem Partis; quia si habeatur in Rescripto clausula illa: *motu proprio*, tunc haec regulariter loquendo purgabit quodvis vitium subreptionis ortum ex reticentia veritatis necessario exprimendae (3).

Regula II. Reticentia qualitatis, quae ex stylo Curiae est exprimenda, pariter efficit dispensationem subreptitiam, proindeque invalidam. Nam stylus Curiae facit jus: uti constat ex cap. *Quam gravi* de crimine falsi. Hinc dispensatio obtenta ad contrahendum matrimonium cum consanguinea, vel affine in-

---

(1) Dicitur dispensatio esse subreptitia, quando in petitione dispensationis reticetur, seu non exprimitur aliqua veritas, vel ea veritas adhibitis verborum involucris data opera absconditur, quae manifestanda est ex dispositione juris, aut ex stylo Curiae. Obreptitia vero dicitur dispensatio, quando falsum exponitur in petitione.

(2) Legesis Sanchez lib. 8. de dispens. Disp. 21. n. 13. qui ex Cap. *si motu proprio* de Praebendis desumit. Et Glossa in laudato Cap. verbo *taceatur.*

(3) Ex cap. cit. Si *motu* apud Sanchez lib. et disput. cit. n. 47.

ter gradus prohibitos, non expresso incestu, seu copula habita inter ipsos, subreptitia, et invalida est; cum stylus Curiae jubeat ejusmodi copulam manifestari in petitione dispensationis (1). Sequitur inde, esse nullam dispensationem impetratam non expresso quoto gradu distant Partes petentes dispensationem: sive gradus sit consanguinitatis, sive affinitatis, sive publicae honestatis ex matrimonio rato; quia ejusmodi est stylus Curiae exigens hanc expressionem gradus (2).

Regula III. Reticentia illius tantum circumstantiae, propter quam in ipso jure interdicta est dispensatio, efficit invalidam dispensationem ex hujusmodi subreptione (3). Hinc exprimendum est: an matrimonium inter consanguineos vel affines, vel inter ligatos quocumque alio canonico impedimento dirimente, fuerit contractum, aut copula fuerit habita, animo seu intentione facilius obtinendi dispensationem (4).

Regula IV. Reticentia illius veritatis, quae si fuerit expressa, aut nullo modo dispensatio concessa fuisset; aut non absolute, sed adjectis quibusdam mo-

---

(1) Quomodo se gerere debent Oratores, seu petentes hujusmodi dispensationem hoc in casu, nimirum quando debent exprimere copulam incestuosam: relege quod dictum est n. 11. et n. 12. ad notam 5.

(2) Sanchez loc. supra cit. disput. 24. n. 2.

(3) Haec regula oritur ex Tridentino sess. 24. cap. 5. de Reform. Matr.: ubi expresse decernitur, eos, qui inter gradus prohibitos ausi sunt matrimonium contrahere, eo magis consummare, separandos esse, et carere spe dispensationem obtinendi. Nam cum ex hoc Tridentini decreto sit interdicta dispensatio hoc in casu, inde sequitur, ut circumstantia ejusmodi matrimonii contracti efficiat impedimentum speciale ad assequendam dispensationem; ideoque necessario debet exprimi haec circumstantia in petitione: qua omissa redditur subreptitia, et invalida dispensatio. Vide Sanchez loco cit. n. 3.

(4) Ita Sanchez, et alii apud D. Lig. lib. cit. n. 1134. et clare eruitur ex Bullis Inn. XII., et Bened. XIV. *Pastor bonus*.

derationibus, invalidam efficit dispensationem. Et hoc quidem dicendum est, etiamsi eveniat absque culpa ejus, qui petiit: nempe si omissa fuerit haec expressio veritatis ex ignorantia, vel ex simplicitate petentis (1). Hinc Rescriptum erit subrectitium, si plura impedimenta matrimonio obstantia adsint, et tantum unius impedimenti relaxatio petitur, et obtinetur, nulla facta mentione alterius impedimenti existentis: e. g. si adsit impedimentum duplicis consanguinitatis, ex parte scilicet parentis viri, et ex parte parentis mulieris; aut impedimentum consanguinitatis simul, et affinitatis; et tamen de uno fit mentio, altero praetermisso. Item quando plura impedimenta inter se uniuntur, et impedimentum tacitum seu non expressum, auget expressum, de quo dispensatio petitur; reticentia isthaec alicujus impedimenti reddit subreptitiam, et invalidam dispensationem. Hinc sequitur Religiosum, in sacris constitutum, debere exprimere utrumque in petitione dispensationis ad contrahendum matrimonium: nimirum obstare matrimonio tum professionem, tum Ordinem sacrum (2). Item subreptitia erit, et invalida dispensatio, si in petitione dispensationis de aliquo crimine obstante matrimonio, nempe in impedimento uxoricidii, non exprimeretur alias simile impedimentum ob ejusmodi crimen alia vice commissum, relaxatum fuisse (3), Ita etiam qui habet votum castitatis, et simul votum Religionis ingrediendae, debet utrumque exponere in petenda dispensatione ad contrahendum matrimonium; cum minime sufficeret petitio de dispensatione solius voti castitatis. Item obstrictus voto impediente matrimonium petendo dispensationem ad contrahendum matrimonium inter gradus prohibitos debet exponere illud aliud votum matrimonium impediens.

---

(1) Ex cap. *Super litteris* de Rescriptis docet Sanchez lib. 8. Disput. 21. n. 56.

(2) Sanchez lib. cit. disp. 24. n. 21.

(3) Patet ex L. *Nemo* 3. c. *de Episcopo Audien.* apud Sanchez loco cit. disput. 22. n. 20. Vide D. Lig. lib. 6. n. 1137.

Regula V. Reticentia illius veritatis, quae non pertinet ad causam motivam, seu finalem, concessionis, sed solum ad causam impulsivam: si nimirum cognita hac veritate non manifestata in petitione Pontifex etiam concederet dispensationem, non efficit subreptitiam, ac invalidam dispensationem (1).

Regula VI. Reticentia qualitatis ac circumstantiae, quae tantum extrinsece pertinet ad rem postulatam, non efficit subreptitiam dispensationem: quamvis Superior, si cognovisset, omnino non concessisset dispensationem (2). Ex. gr. Si quis ligatus voto castitatis post obtentam dispensationem hujusmodi voti causa contrahendi matrimonium volens postea contrahere matrimonium cum sua consanguinea peteret dispensationem istiusmodi alius impedimenti, nulla facta mentione de voto relaxato ex alia dispensatione; non fit subreptitia, et invalida isthaec dispensatio. Secus vero, si esset quis impeditus ad contrahendum duplici vinculo, nempe voto castitatis, et vinculo consanguinitatis vel affinitatis; et dumtaxat peteret dispensationem impedimenti consanguinitatis vel affinitatis, minime exposito alio impedimento, nempe voti: etiamsi divisim data opera petatur utriusque impedimenti dispensatio. Praeterea si quis ex. gr. obtenta alias dispensatione ad contrahendum matrimonium cum sua consanguinea vel affine, ac priori conjuge mortua dispensari peteret ad matrimonium contrahendum cum alia sua consanguinea, non officit validitati dispensationis, si in petitione hujusce posterioris impedimenti non faciat mentionem de priori illa dispensatione obtenta: etiamsi cognita a Pontifice prioris dispensationis gratia non concederetur haec alia.

Regula VII. Expressio falsitatis circa causam im-

---

(1) Hoc constat ex cap. *Dudum* de Praebendis in 6. et cap. finali de Presbyt. in 6. apud Sanchez lib. 8. Disput. 21. n. 11. 17. Judicio prudentum remittendum erit, quomodo dignosci possit causa impulsiva a causa finali, idest motiva; quoties neque ex jure, neque stylo Curiae id intelligi potest.

(2) Vide Apud Sanchez ibidem n. 18.

pulsivam, ex Sanchez, et Laymann probabilius non vitiat Rescriptum, seu non efficit nullam dispensationem; imo in praxi tuta censetur. Et hoc tenendum esse astruunt laud. DD., quamvis dolo, aut fraude haec expressio falsitatis circa causam impulsivam fiat: dummodo hujusmodi causa impulsiva non sit unica et sola causa, qua movetur Dispensator ad gratiam concedendam; quia hoc in casu sive haec falsitas ingesta sit per simplicitatem, sive per dolum, semper obreptitia, et invalida erit dispensatio; cum deficiat omnino causa, qua innititur dispensatio (1). Hinc merito censenda est nulla dispensatio, si petatur, ut dispensetur in impedimento matrimonii, et unica tantùm causa in petitione exponatur, quae falsa est; qualiscumque illa sit sive finalis, sive impulsiva, sive ex simplicitate sive ex fraude proveniat, irrita quidem, atque invalida dicenda erit dispensatio: tum quia Pontifex sine causa non dispensat; tum quia omnino deest illa apposita conditio *si ita est*. Tandem si in petitione duae exponantur causae, quarum una est vera, et altera falsa; sed quae vera est minime sufficit ad impetrandam dispensationem, invalida tunc erit dispensatio. Pontifex enim ex illa unica causa vera, etiamsi licite posset, saltem dispensare minime vellet.

19. *Quid si exponantur duae causae, quarum unaquaeque esset sufficiens per se ad obtinendam dispensationem, sed earum una sit falsa?*

---

(1) Ratiò, qua utuntur laudati DD., est: clausula illa *si ita est* in defectu veritatis causae impulsivae non potest officere validitati dispensationis; eo quod isthaec clausula est intelligenda de causa principali, vel de substantialibus: de iis nempe, ex quibus gratia pendet; adeo ut, illis non expressis, omnino ea non concederetur. Adi Sanchez lib. 8. Disput. 21. n. 33. 41. 73. 74. desumpto argumento ex cap. *Super litteris* de Rescriptis.

Insuper si dubitetur: an causa falso allegata fuerit finalis, aut impulsiva: vel causa fuerit vera, aut falsa, D. Lig. cum Sanchez et aliis tenet in hisce dubiis validam censendam esse dispensationem. Nam in dubio standum est pro validitate actus. Lib. 6. 1133.

Satis est, ut una earum sit vera; dummodo ejusmodi sit, ut ob illam, etiamsi sola esset, Pontifex dispensaret, aut dispensare soleat (1). Ex. gr. si ad assequendam dispensationem exponatur pro causis copula habita, infamia mulieris, et scandalum inde eventurum; et tamen falsa sit expositio copulae; tunc quidem cum verae sint aliae causae expositae, validam esse dispensationem docet Sanchez. Attamen Pontas post Pyrrum in casu XI. contrarium tenet; eo quod agitur de validitate dispensationis, ac proinde matrimonii.

20. *Quid si in petitione dispensationis, aut in Rescriptis dispensationis erratum sit in nomine ipsius, pro quo petita fuit dispensatio; aut sit erratum in designanda Dioecesi ejusdem dispensandi, seu ejus, qui debet dispensari?*

Si error sit in nomine illius, pro quo petita est dispensatio, hujusmodi error non officit validitati dipensationis; dummodo ex adjunctis satis constet de persona. Idem dicendum est, si Pontifex in concedenda dispensatione erret in nomine veri petentis; dummodo ex circumstantiis non constet, spectatam esse a Pontifice personam sibi notam; et habitam esse specialem rationem illius personae ad concedendum. Secus vero, si error incurrat in designandam Dioecesim petentis: ex. gr. si dicatur petentem esse Dioecesis Neapolitanae, cum sit Aversanae; ac proinde a Pontifice dispensandi commissio fiat Officiali Dioecesis Neapolitanae, non Aversanae; tunc enim docet Sanchez vitiari Rescriptum, seu gratiam dispensationis (2).

21. *Officitne validitati dispensationis, si error in-*

---

(1) Sequitur inde ex allata Sanchez sententia, quod si plures sint propositae causae disjunctive, sufficit, ut una sit vera. Si vero proponantur copulative, quae omnes non sunt de jure necessariae, sufficit, ut una earum vera sit, quae effectum operari potest; vel saltem juxta Sanchez perpendendum est, cuinam ipsarum innitatur Rescriptum, adeo ut illa existente, ceterarum falsitas non obstet dispensationis validitati.

(2) Vide apud Vella cit. App. p 75.

cidat in designandos gradus consanguinitatis, aut in proponendum illud impedimentum, quod indiget ejusmodi dispensationis?

Si in petitione expressus sit per errorem gradus propinquior pro remotiore; idest si expressus sit gradus secundus, cum esset exprimendus tertius; et tamen concessa sit pro hoc secundo gradu dispensatio, tunc valet dispensatio pro tertio. Nam dispensatio simpliciter est concessa pro impedimento consanguinitatis cum errore circa qualitatem accidentalem inclusam a fortiori gradu, in quo dispensatur. Si vero in petitione per errorem expressus sit gradus remotior pro propinquiori: ex. gr. quartus pro tertio, non valet dispensatio e contraria ratione. Si denique contingat error in petenda dispensatione pro impedimento proponendo: uti si proponeretur ad dispensandum aliud impedimentum, quamvis majus, pro illo, quod revera obstat matrimonio: ex. gr. si dicatur: Partes in tertio consanguinitatis gradu inter se esse conjunctas, cum sint conjunctae in tertio, aut quarto gradu affinitatis, non consanguinitatis, tum dispensatio obreptitia, ac proinde invalida erit. Nam cum impedimenta sint diversa, nec unum includatur in alio, dispensatio de uno illorum concessa, intelligi non potest de alio (1).

Regula VIII. Expressio falsitatis vitiat gratiam dispensationis, quando sine ea non esset dispensatum eo modo, sed additis aliis commutationibus, vel conditionibus; cum expressio ejusmodi versetur circa causam finalem. Nam causa finalis non solum dicitur, quando ea ablata omnino non esset dispensatum; sed etiam quando ea deficiente alio modo, ac forma fuisset dispensatum (2).

22. *Quid si dispensatio duas partes inter se divisibiles contineat, an una ipsarum per obreptionem, seu falsi expositionem, vitiata, altera immunis a vitio obreptionis simul invalida sit?*

---

(1) Sanchez loc. cit.
(2) Vide supra in n. 18.

Distinguendum: si obreptio isthaec circa causam finalem fiat ex simplicitate, aut ignorantia, tunc ea tantum pars dispensationis vitiabitur, seu efficietur invalida, in quam incidit obreptio; altera valida remanente (1). Si vero obreptio fiat ex fraude, vel malitia, tunc tota dispensatio vitiabitur (2). Exemplo sit: Sempronius, qui petit sibi dispensationem a voto castitatis ob periculum incontinentiae ex vehementia tentationum: quae causa vera est; simul petat dispensationem circa impedimentum consanguinitatis ad ducendam consanguineam ob paupertatem ejusdem consanguineae: quae quidem causa paupertatis falsa est. Si hoc ille ex simplicitate, aut ex ignorantia agat, utique ex dispensatione sibi concessa remanet liber a voto, pro cujus dispensatione vera est causa; minime autem valebit dispensatio pro impedimento consanguinitatis. Si autem ex fraude, aut malitia hoc faciat, tota dispensatio quoad votum et impedimentum consanguinitatis irrita erit.

Regula IX. Error qualitatis adjunctae per modum demonstrationis, non adversatur validitati dispensationis; secus vero, si per modum taxationis fuerit adjecta qualitas (3).

23. *Unde colligatur aliquid adjunctum fuisse per modum demonstrationis, aut taxationis?*

Respondetur cum Sanchez: quando aliquid additur tamquam qualitas rei, additum censetur per modum *demonstrationis*, non *taxationis*: nisi aliunde colligatur ex mente concedentis, illud fuisse additum per modum taxationis (4).

---

(1) Juxta regulam juris 17. in 6. *Utile per inutile non vitiatur*; si utile ab inutili separari possit.

(2) Illa dispensationis pars, quae est immunis a vitio obreptionis, vitiabitur saltem post sententiam judicis in poenam admissae falsitatis. Dixi saltem post sententiam; quia Sanchez docet, partem illam dispensationis, quae obreptitia non est, non effici invalidam ipso jure, sed post sententiam judicis declaratoriam: quod desumit ex cap. *Super litteris* de Rescriptis. Consule eum in lib. 8. Disput. 21. n. 63.

(3) Relege Auctores, et juris sanctiones apud Vella Ap. cit. p. 79.

(4) Recole, quae dicta sunt in Regula VIII. de errore

Proponuntur quaedam quaestiunculae ad rem propositam maxime facientes.

24. *Quandonam necessario facienda sit mentio prioris dispensationis, ut vitio subreptionis sit immunis posterior dispensatio?*

Quando dispensationes sunt de diversis rebus, nec per posteriorem prior obtenta augeatur, non est ne-

---

circa nomen impetrantis, et circa gradus consanguinitatis.

Hac in re proponitur casus a doctissimo Laymann in lib. I. tract. 4. cap. 22. n. 26. Casus fere hisce in terminis se habet: Titius, et Caja tertio affinitatis gradu inter se conjuncti, cum vellent inter se nuptias celebrare, hujusce memorati impedimenti dispensationem a Pontifice re tota sincere, ac perspicuis verbis posita petierunt. Pontifex Officiali commisit, ut si illorum preces veritate niti cognoverit, cum eisdem Titio, et Caja in dicto impedimento Apostolica auctoritate dispensaret. At vero error irrepsit in Bullam Pontificis; ac pro tertio gradu affinitatis positus est tertius consanguinitatis. Quaeritur utrum nihilominus officialis dispensare possit, ut memoratae personae matrimonium contrahant.

Ex sequentibus rationibus videtur minime posse Officialis exequi dispensationem sibi commissam: 1. quia error iste est circa qualitatem adjunctam per modum taxationis; cum ipse modus substantiam rei designet, ac contineat; 2. quia affinitas, ac consanguinitas sunt prorsus diversa impedimenta, quorum unum in alio nulla ratione continetur; ideoque dispensatio pro tertio gradu consanguinitatis concessa non potest valere pro tertio affinitatis gradu; 3. forma Rescripti diligenter servanda est; ac proinde ad alios casus praeterquam expressos extendi nequit: ex cap. *Cui de non Sacerdotali* de Praebendis in 6. Verum laudatus Laymann non improbabiliter tenet oppositam sententiam. Censet enim quod si Titius, et Caja idoneis testimoniis Officiali Commissario probaverint, errorem ab ipsis non fuisse commissum, ac se sincere, et claris verbis petiisse dispensationem in tertio affinitatis gradu, Officialem Commissarium posse dispensationem exequi. Nam ex cap. *Susceptum* de Rescriptis in 6. habetur: nisi *de intentione mandantis aliud appareret expressum.* Porro nemo dubitare potest, quin Pontifex voluerit dispensare in eo ipso matrimonii impedimento, quod sibi propositum fuerat. Atqui propositum fuit impedimentum affinitatis dispensandum. In illo igitur Pontifex dispensare, sive il-

cessaria mentio de priori dispensatione. Hinc patet si quis dispensationem obtinuerit ad ducendam consanguineam, vel affinem, et postea mutata voluntate velit aliam consanguineam vel affinem ducere, et aliam proinde petat dispensationem pro contrahendo hoc matrimonio, necesse non est, ut mentionem faciat in hac posterioris dispensationis petitione de priori obtenta dispensatione (1). Nam istae dispensationes differunt inter se, nec prior augetur per posteriorem. Quando vero prior, ac posterior circa eamdem rem versantur, ac inter utramque quaedam appareat dissonantia, aut repugnantia, adeo ut per posteriorem prior, quae contractior erat, augeatur, ac dilatetur, tunc vitiabitur posterior, si nulla fiat mentio de priori. Hinc si prior fuerit concessa cum quodam moderamine, posterior quidem nulla evadet, si in ipsa posteriori nulla mentio facta fuerit prioris. Nam Pontifex certior factus de limitatione, qua priorem concesserat, haud tam facile, aut fortasse nulla prorsus ratione induceretur ad illam immutandam per posteriorem. Hinc merito Sanchez deducit, in impedimentis criminis facta semel dispensatione circa aliquod ipsorum, posteriorem dispensationem esse subreptitiam, adeoque invalidam, si iterum in consimili petatur, nulla facta mentione prioris: sicut diximus in Reg. IV. Nam oritur ex hac secunda dispensatione quaedam repugnantia cum priori: cum repetita crimina non sint remittenda juxta juris praescripta.

25. *An in impetratione dispensationis pro gradibus inaequalibus, non expresso gradu propinquiori, sit valida dispensatio?*

Si gradus propinquior sit primus, quicumque vero sit gradus remotior usque ad quartum, obreptitia,

---

lius dispensationem Officiali committere voluit. Cum enim error, qui praeter mandantis intentionem ex incuria amanuensis in Rescriptum irrepserit, sit materialis; nulla proinde ratio hujusce erroris habenda est.

(1) Attamen advertendum est cum Sanchez, per posteriorem dispensationem jam evanuisse priorem obtentam dispensationem.

ac proinde invalida erit dispensatio, quae fuit obtenta: uti statuitur in Constit. Pii V. *Sanctissimus* (1). Si gradus propinquior sit praeter primum, et remotior quicumque, non ultra quartum (2), tunc ad validitatem dispensationis sufficiet in petitione expressum esse tantum gradum remotiorem omissa expressione gradus propinquioris: obtentis tamen postea litteris Apostolicis declaratoriis ab ipsa S. Sede super gradu propinquiori (3): quibus scilicet declaretur, quod gradus propinquior non obstet matrimonio.

---

(1) En verba laud. Const. editae anno 1566. *Dummodo primum quovis modo non attingant; cum in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat.*

(2) Dixi quemcumque gradum remotiorem usque ad quartum, quia si sit ultra quartum, nempe quintus gradus, tunc non indiget hujusmodi matrimonium dispensatione, cum juxta axioma quartus gradus reputetur in quintum; quicumque gradus ultra quartum remotior extra gradus prohibitos est, et inde nullum impedimentum est inter ejusmodi gradum cum quocumque propinquiori in hujusmodi linea.

(3) Ex Brevi *Etsi matrimonialis* Benediot. XIV. in Bullario t. 4. p. 346. in §. 6. constat: si gradus propinquior omissus, seu non expressus, sit primus, vel secundus, est nulla dispensatio obtenta, nisi postea litterae declaratoriae habeantur super gradu propinquiori; hoc discrimine scilicet: si sit primus, est nulla dispensatio; etiam habitis hisce litteris: quia ex Const. Pii V. non intenditur dispensare; si sit secundus, quia sine declaratoriis istiusmodi litteris ex praxi Curiae Romanae irrita habetur dispensatio. Si gradus sit tertius, omissis hisce litteris valida erit, sed illicita dispensatio obtenta. Legesis D. Ligorium lib. 6. n. 1136. Hae litterae declaratoriae requiruntur pro solo foro externo, ut scilicet scandalum, quod fortasse eventurum foret, omnino caveatur; puta si res sit ejusmodi, ut facile censeri possit in hujusmodi matrimonium invalide dispensatum fuisse; cum non fuerit dispensatum super gradu propinquiori, minime expresso. Requiruntur autem pro foro externo hujusmodi litterae declaratoriae, quando nempe dispensatio fiat a Dataria; si vero a Poenitentiaria concedatur dispensatio, quae pro foro quidem interno tantum expeditur, cum hoc in casu impedimentum sit occultum, absque hisce litteris declaratoriis valida erit dispensatio; dummodo gradus propinquior non sit primus. Hoc contingere potest in dispensatione affinitatis ex copula forni-

26. *Quid si Ordinarius, cui commissa est dispensatio abusus suo officio, quamvis cognoscat adesse gradum propinquiorem non expressum in petitione, nihilominus dispensationem exequatur, nullis sibi allatis declaratoriis litteris?*

Nulla erit dispensatio: contra Sanchez. Nam isthaec dispensatio tum menti Pontificis dispensantis opponitur, tum etiam praxi communi. Hinc Partes certiores factae de nullitate praedictae dispensationis tenentur petere novam dispensationem in forma *perinde ac valere* super expressione praedicti gradus propinquioris, cum illius declaratoria in forma solita, et in hac nova gratia Pontifex declarat, copulam interim habitam esse incestuosam, filios susceptos illegitimos, et ipsos contrahentes esse proinde excommunicatos vi Clementinae *Eos qui* de Consang. et affin. (1): quia

---

caria occulta. Sanchez lib. 8. Disput. 24. n. 33. Vide apud Vella pag. 87. in cit. Appendice.

Advertas quaeso: 1. quod hoc statutum intelligatur de sola dispensatione impedimenti consanguinitatis, vel affinitatis tum ex copula licita, quam illicita; non vero de dispensatione impedimenti publicae honestatis: cum in hujusce impedimenti dispensationis validitate sufficiat expressio gradus remotioris, nec opus sit litteris declaratoriis: uti constat ex Const. laud. *Sanctissimus*. 2. Quod in gradu inaequali seu mixto, exprimendus sit quinam sexus sit in primo gradu, vir scilicet, an mulier; quia difficilius conceditur dispensatio, ut filius sororis, vel fratris in uxorem ducat amitam, vel materteram, quam patruus, vel avunculus filiam fratris, vel sororis. 3. Quod in exprimendo gradu isto, scilicet inaequali, semper est incipiendum a gradu maris, sive sit propinquior, sive remotior. Ita ex. gr. Ut exprimatur gradus nepotis relate ad materteram, dici debet a secundo ad primum; et contra ut gradus neptis relate ad patruum, a primo ad secundum. Semper vero ad ambages evitandas, atque conscientiae tranquillitatem assequendam in petitione perutile erit, etiam gradum propinquiorem exprimere.

(1) Adi Pyrrum Corradum lib. 7. cap. 7. n. 72. ubi invenies exemplar harum novarum litterarum. Huc revocari possunt duo Pontificia Brevia, unum Urbani VIII. et alterum Innoc. X., quibus declaratum fuit: Officiales quosdam invalide dispensasse cum Partibus, quae remotiori tantum ex-

respectu praedicti gradus propinquioris matrimonium contraxerunt in gradu prohibito.

27. *An ille, qui post obtentam dispensationem super impedimento occulto affinitatis ex copula cum consanguinea sponsae, denuo habuerit copulam cum eadem consanguinea antequam matrimonium contraxerat, indigeat nova dispensatione?*

Si hanc copulam habuerit, antequam dispensatio executionem sortita fuerat, omnes DD. conveniunt non indigere hac nova dispensatione. Nam docent DD., has dispensationes non sortiri effectum a die expeditionis, sed a tempore executionis. Si autem dispensatio executioni demandata fuerat, et deinceps ejusmodi copula habeatur, tunc DD. litigant; sed probabilius ex D. Ligorio cum Sanchez, et aliis non requiritur nova dispensatio, et in praxi docet laudatus D. Ligorius, Sacram Poenitentiariam hanc sententiam sequi: uti constare notat ex declaratione S. Poenitentiariae edita die 21. Septembris 1752. Vide apud eumdem cit. Auctorem in lib. 6. n. 1140. ubi extensam invenies S. Poenit. allatam declarationem.

28. *Num dispensationes matrimonii, et commissiones dispensandi, expirent re integra per mortem concedentis?*

Dispensationes concedi possunt duplici modo: nimirum vel in forma *gratiosa*, vel in forma *commissoria*. Primo modo dicitur dispensare Summus Pontifex, quando absolute, immediate et per se ipsum dispensat. Secundo modo, quando Pontifex, sui Rescripti executionem, et dispensandi potestatem Episcopo petentium, seu Partium postulantium, et ejus Officiali committit (1). His praemissis, certum est, dispensationes in forma *gratiosa* concessas non expirare per mortem concedentis, etiam re integra rema-

presso gradu, neglexerunt obtinere litteras declaratorias super propinquiori.

(1) Uti colligi potest ex Tridentino: *dispensationes quacumque auctoritate concedendae, si extra Curiam Romanam etc.* in sess. 22. de Reform. Matrim. cap. 5.

nente (1); quia sunt gratiae factae, sive consummatae. Dispensationes in forma *commissoria* concessae non expirant per obitum concedentis, quando res non est adhuc integra (2). Denique dispensationes in forma *commissoria* concessae an expirent per mortem concedentis, re adhuc integra, quaestio. At clarissimus Cajetanus Canonicus Vella compertum habet, non expirare in dispensatione matrimonii, quia est gratia jam concessa, seu *facta* (3).

---

(1) Ex cap. *Si cui nulla* de Praebendis in 6. *Hujusmodi enim concessio, quam, cum specialem gratium contineat, decet esse mansuram, non expirat etiam re integra per obitum concedentis.*

Utrum cessante causa finali cesset dispensatio; relege quaesitum n. 70. in tract. de Legibus et D. Lig. lib. 6. n. 1131.

(2) Commissiones dispensationis concessae Cardinali Poenitentiario Majori non expirant per mortem Pontificis, etiam re integra; quia officium Poenitentiarii non expirat per mortem Pontificis.

(3) Consule laudatum Auctorem Vella in saepe citata Appendice de dispensationibus Matrimonialibus p. 93. edit. Neap. an. 1792.

Pro coronidis loco praetereundum non arbitror litigium DD. utrum nempe quando dispensatio petitur a Partibus diversae Dioecesis, sit executioni demandanda ab unoquoque Episcopo, an sufficiat, ut alteruter illarum Partium Episcopus exequatur dispensationem. D. Ligorius cum Continu. Turnely. et Episcopo Tutelensi sentit, posse alterutrum Episcopum, nempe unum illarum Partium contrahentium Episcopum, lib. 6. n. 1142.

APPENDIX SEPTIMA

DE BENEFICIIS (1).

Q. 1. *Quinam est Supremus Collator Beneficiorum?*

Est Summus Pontifex ex cap. 2. de Praeben. in 6.

2. *Quibus modis Pontifex confert Beneficia?*

Tribus modis potissimum: scilicet jure praeventionis, concursus, ac devolutionis. Jure praeventionis, cum nempe Pontifex alicui confert gratiam recipiendi Beneficium prius vacaturum. Jure concursus, concurrendo scilicet cum quolibet Ordinario, cui potestas facta est conferendi Beneficium. Cum enim Pontifex potestatem dederit ejusmodi, non abdicavit a se majorem potestatem; ac proinde datur inter Pontificem et Ordinarium quasi locus praeventionis, ita ut qui prior tempore contulerit, rata ejus sit collatio (2). Verum quoad hoc jus attendendum est juribus et Concordatis Regnorum, ac eorum consuetudinibus a S. Sede adprobatis (3). Jure devolutionis, cum

---

(1) Cum in secunda parte hujus Epitomes brevem tractationem de Beneficiis instituerim; heic autem latius ea de re verba facere aggrediar: ideoque, quae ibi pertractata sunt, nunc omissa invenies. Confer itaque tractationem ejusmodi de definitione, ac divisione Beneficii.

(2) Si vero non constat, cujus collatio fuerit prius facta, collatio illius, qui jam est in possessione beneficii, potior erit; si vero neuter beneficium possideat, standum est pro eo, cui Pontifex contulerit.

(3) Dixi standum est Regnorum Concordatis; uti in nostro Regno ex Concordato Pium VII. inter, et Ferdinandum I., in quo diverse statutum est.

Heic mihi plurimi referre videtur, si verbum de verbo transcribam quod sancitum est in laudato Concordato quoad collationem beneficiorum.

scilicet tempore definito pro collatione elapso ob negligentiam collatoris, vel propter delictum, sive aliam causam, aut collato beneficio contra jus, ea vice collatio ad Pontificem devolvitur (1).

« Art. 8. La collazione delle abbadie concistoriali, che » non sono di regio patronato, spetterà sempre alla Santa Se» de, che le conferirà ad ecclesiastici sudditi di Sua Maestà.

« I benefizj semplici di libera collazione con fondazione » ed erezione in titolo ecclesiastico, saranno conferiti dalla » Santa Sede, e da' Vescovi, secondo la distinzione de' mesi, » ne' quali la vacanza succede: cioè da gennajo a giugno dal» la Santa Sede, e da luglio a dicembre da' Vescovi. La prov» vista sarà sempre in persone di sudditi di sua Maestà.

« Art. 10. I canonicati di libera collazione, tanto de' Ca» pitoli cattedrali, che de' collegiati, si conferiranno rispetti» vamente dalla Santa Sede, e da' Vescovi: cioè ne' primi sei » mesi dell'anno dalla Santa Sede, e ne' secondi sei mesi da' Ve» scovi.

« La prima dignità sarà sempre di libera collazione del» la Santa Sede.

» Art. 11. La Santità Sua accorda a' Vescovi del regno il » diritto di conferire le parrocchie, che verranno a vacare in » ogni tempo. Previo il concorso nelle parrocchie di libera » collazione, i Vescovi le conferiranno a' soggetti fra gli ap» provati, ch' eglino giudicheranno i più degni. Nelle parroc» chie poi di giuspatronato ecclesiastico, premesso pure il » concorso, daranno l' istituzione a quelli, che il patrono » ecclesiastico presenterà come i più degni tra gli approvati » dagli esaminatori. Finalmente nelle parrocchie di giuspatro» nato regio, e laicale, il Vescovo istituirà il presentato, pur» chè nell' esame sia rinvenuto idoneo.

» Si eccettuano le parrocchie che vacheranno in Curia, » o per promozione a qualche dignità Ecclesiastica, o cano» nicato conferito dalla Santa Sede, le quali saranno di col» lazione pontificia ».

(1) Omnia beneficia praeter Episcopatum, et Praelaturam Regularium debent provideri intra sex menses a notitia vacationis; Episcopatus autem et Praelatura Regularium intra tres menses. Patroni laici debent praesentare intra spatium quatuor mensium; Ecclesiastici, vel si patronatus est mixtus, scilicet pertinens ad Ecclesiam, et ad laicum, intra tempus sex mensium. Quo tempore elapso devolvitur jus ad Pontificem, vel Episcopum, sicut statutum est. At aliquo justo impedimento juris, vel facti intercedente tempus non currit.

3. *Quinam sit ordinarius Beneficiorum Collator?*
Episcopus pro beneficiis tum collativis, tum patronatis in sua Dioecesi existentibus. Item Praelatus quasi Episcopalem jurisdictionem habens pro suo restrictu (1).

4. *Num Capitulum Sede vacante possit conferre beneficia?*

Capitulum, seu Vicarius Capitularis, solum potest conferre beneficia, quae ad Episcopum et Capitulum simul conferre pertinebant; quia per sedis vacationem jus Episcopi accrescit Capitulo. Insuper potest confirmare electos, et instituere praesentatos ex cap. 14. de Majorit. et obedient. et cap. 1. de Instit. in 6. Alia vero beneficia ad liberam Episcopi collationem spectantia non potest conferre (2).

De jure Beneficiorum, et obligationibus.

5. *An Beneficiarii dominium plenum acquirant de rebus, aut bonis Ecclesiasticis, seu beneficialibus?*
Redditus bonorum Ecclesiasticorum pleno jure pertinent ad Beneficiatum, quantum sufficiunt judicio prudentum ad sui honestam et decentem vitae susten-

---

(1) Ex jure communi olim beneficia non poterat Episcopus conferre sine Capituli consensu ex cap. *Novit* de his, quae fiunt a Praelatis. Nunc standum est privilegiis, et consuetudinibus, quae contrarium in aliquibus Ecclesiis, et locis important.

(2) Vicarius Generalis non potest sine speciali mandato beneficia conferre, nisi tantum electos confirmare, et instituere praesentatos ex cap. 3. de Instit. in 6.

Advertendum est, beneficium electivum esse illud, quod alicui conceditur per suffragia electorum, et confirmationem Superioris; aut per vocationem canonicam alicujus personae ad Ecclesiae vacantis pastoralem dignitatem. Potest autem quis exercere jus eligendi vel per scrutinium, seu collationem suffragiorum, quorum major numerus exigitur pro electione; vel per compromissum, quando scilicet omnes electores potestatem eligendi uni, vel pluribus viris (qui debent esse Ecclesiastici) committunt; vel tandem per vivam vocem, cum omnes nempe, nemine discrepante, consentiunt.

tationem; ita ut si ex victu, aliisque competentibus impendiis aliquid propria parsimonia detrahat, possit suo arbitrio de eo disponere, etiam ad profanos usus, sed licitos, (qui dicuntur Parsimonialia) non secus ac de patrimonialibus, et industrialibus disponere potest (1).

6. *Quid venit nomine stipendii necessarii ad honestam, ac decentem vitae sustentationem Beneficiarii?*

Veniunt non solum ea, quae sunt necessaria ad Beneficiarii vitae honestam, ac decentem ecclesiasticam sustentationem, sed etiam quae ad domesticam sui ipsius familiam convenienter secundum Canonum regulam alendam requiruntur, atque ad hospitalitatem erga consanguineos, amicos, peregrinos exercendam: cujus stipendii quantitas aestimanda est tum ex personae, ac officii dignitate, tum ex reddituum amplitudine, tum ex Beneficiarii meritis, et laboribus: quoad tamen canones, et concilia permittunt.

7. *Potestne Beneficiarius ex beneficii redditibus suam sustentationem habere, cum possit aliunde ex propriis vivere?*

Contra paucos omnes DD. tenent posse; imo si habeat bona propria, pro suo arbitratu ad alios usus posse illa reservare, et ex beneficii bonis vitae honestam sustentationem accipere. D. Lig. Lib. cit. n. 491. I. quaer. V.

8. *An beneficiarius ex justitia teneatur fructus superfluos suae sustentatione in aliquem pium usum erogare, ita ut ad restitutionem adigatur, si secus expenderet?*

Magnum dissidium inter Doctores: utrum scilicet Beneficiarius fructus superfluos ad usus pios erogare teneatur ex justitia, an tantum ex virtute Religionis. Sententiae eorum, qui tantum ex virtute Religionis teneri affirmant, suffragatur auctoritas D. Thomae. Qui autem beneficiatum ex justitia teneri docent, ac proinde ad restitutionem obligari, si secus faciant, innitun-

---

(1) Apud D. Ligor. lib. 3. n. 491. III. juxta sentent. D. Thomae.

tur verbis D. Bernardi Epist. 2. ad Falconium: *Quidquid praeter necessarium victum, et vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, sagrilegium est.* Et item S. Ambrosius Epist. 2. ait: *Nihil Ecclesia, nisi fidem possidet. Possessio Ecclesiae sumptus est egenorum.* Hinc illud vulgatum effatum: Bona Ecclesiae sunt patrimonium pauperum, vota Fidelium, et pretia peccatorum (1).

9. *An Beneficiarius ex bonis superfluis Beneficii possit alere suos consanguineos pauperes?*

Maxime, si sint pauperes: uti patet ex Trid. Sess. 25. cap. 1. de Reformat.; etiam si indigeant ad proprium statum honeste, non vero laute sustinendum (2).

---

(1) Certum est Beneficiarios teneri superfluos redditus in usum pium expendere, vel in pauperes elargiri. (Pauperum autem nomine habentur non solum, qui ostiatim mendicant, sed etiam qui indigent ad conservandum honestum statum). Quaenam vero quantitas requiratur superfluorum fructuum piis usibus non applicatorum ad constituendum grave peccatum, est etiam quaestio inter DD. Alii dicunt requiri quartam vel quintam partem superfluorum; alii vero, et saniori sententia, cui adhaeret D. Ligorius, tenent esse vigesimam partem. Apud eumdem Lig. lib. 3. n. 491. IV.

Insuper advertendum est, quod litigant DD. utrum distributiones quotidianae Canonicorum sint bona industrialia; an beneficialia; ac proinde an possint ad alios usus expendi necne. Sed communius et probabilius inter patrimonialia, et industrialia computanda sunt. Apud Lig. lib. cit. n. cit. III.

(2) Ex D. Lig. probabilius potest Beneficiarius sustentare suos consanguineos, eosque praeferre aliis pauperioribus; et gravius egentibus. Demum ex Laymann cum aliis si Beneficiarius mutat statum ex assumptione ad Beneficium, ut si assumatur ad Episcopatum, tunc potest subvenire consanguineis, saltem proximioribus, ut ipsi decenter vivant juxta dignitatem assumptam. Alii tamen sentiunt succurrendum esse extraneis pauperibus, si sint in longe graviori necessitate constituti. An superflua sint eroganda pauperibus loci, ubi adest Beneficium quaestio. At probabilius negatur, dummodo id non exigat bonum commune: puta ad Collegio subveniendum, Monasterio; Clero etc. Sicut etiam ex probabiliori sententia, quam tenet D. Thomas, potest Beneficiarius superflua reservare in

10. *Num Beneficiarii possint testari de redditibus Beneficii ?*

De jure secundum canones prohibitum est Beneficiatis testamentum conficere de superfluis Beneficii, etiam ad causas pias: uti eruitur ex cap. *Ad haec*, et *Relatum* de Testamentis. At ad causas pias conceditur testari, si adsit in illis locis consuetudo. Patet enim hoc ex cap. cit. *Relatum*. Ad usus profanos nequaquam eis licet; adeoque consuetudo contraria est abusus et corruptela, quippe quae adversatur juri naturae (1).

---

futurum ad pios usus; dummodo nulla necessitas adsit erogandi statim. At caute servanda, ita ut haeredes Beneficiati non possint diripere et auferre usibus piis. D. Lig. lib. cit. n. cit. IV. Quaerit. II. III. IV.

(1) Ita DD. communissima sententia contra Barbosam, et nonnullos alios. Relege Ferraris verbo Beneficiatus art. 3. n. 1. usque 7.

Permittitur autem relinquere ex testamento de fructibus superfluis alicui aliquid parum, tamquam remunerationis debitum ob servitia praestita, ita ut aliter incurreret Beneficiatus vitium ingratitudinis: ex eodem cap. *Relatum*.

Bona, et redditus superflui, qui remanent post mortem Beneficiati cedunt Ecclesiae, si defunctus sit de Congregatione, seu Collegio Clericorum, uti Canonicus; vel ad ejus successorem, si fuit Parochus, vel simplex Beneficiatus.

Inde consequitur haeredes, legatarios etc.: istorum superfluorum ex causa profana acceptorum teneri ad restitutionem. An etiam teneantur ad restitutionem, qui hujusmodi donationes acceperint, dum in vivis agit Beneficiatus; quaestio resolvenda juxta opinionem DD. expositam in n. 8. At D. Ligorius, qui tenet ex justitia obligari ad superflua pro operibus piis expendenda, sic distinguit: Si Beneficiatus donando non fit impotens ad quotam superfluam elargiendam usibus piis, nempe supplendo ex suo, donatarii non tenentur ad restitutionem, quia Beneficiatus habens dominium etiam superfluorum cum onere tamen expendendi ad usus pios, potest illa in alios transferre, satisfaciendo tali oneri. Secus vero, probabilius tenentur. lib. 3. n. 492. quaer. VIII.

Postremo quaeritur: an fructus pendentes tempore mortis Beneficiarii spectent ad successorem, anne ad haeredes? Ex aequitate probabilius dicendum, esse dividendos ejusmodi fructus juxta portionem decursus anni. Apud Fulcq tract. IX. cap. 3.

11. *Ad quid tenentur Beneficiarii?*

Tenentur quotidie ad recitationem Divini officii (1). Tenentur etiam ad habitum, et tonsuram

(1) Beneficiatus omittens officium peccat contra Religionem; si vero nolit restituere fructus, peccat etiam contra justitiam. An peccet contra justitiam, quamvis habeat animum restituendi fructus, quaestio. At probabilius non peccat contra justitiam. Adi D. Lig. lib. 4. n. 145. Canonícus, qui absque justa causa notabiliter non interest Choro, graviter peccat. D. Lig. lib. 3. n. 675.

Beneficiatus culpabiliter omittens officium tenetur ad restitutionem fructuum omissioni respondentium, seu pro rata omissionis officii; prout decrevit Concilium Lateranense V. Sess. 9. §. *Statuimus*, et Bulla Pii V. *Ex proxima Lateranensi:* et quidem ad hanc restitutionem tenentur ante sententiam judicis: uti ex Prop. damn. 20. ab Alexandro VII. Nec potest supplere hanc restitutionem per quascumque eleemosynas de fructibus Beneficii antea factas; et oppositum est damnatum ab Alexandro VII. n. 33. At si beneficio praeter officii Divini recitationem alía onera sint imposita, uti in Beneficio Curato, Episcopali, etc.: illam ratam fructuum restituendam esse docet communior sententia, quae respondet omissioni istiusmodi oneris, nempe Divini officii recitationis, retenta parte fructuum pro aliis oneribus praestitis. Hinc ex hac sententia consequitur, Parochum vel Episcopum obligari ad restitutionem tertiae, vel quartae partis: Canonicos ad restitutionem dimidiae partis illorum fructuum, qui omissioni recitationis officii respondent.

Omittens officii recitationem incurrit poenam privationis Beneficii, saltem si bis admonitus, post sex menses officium omittat intra 15 dies.

Praeterea advertendum est, quod Beneficiatus, qui non percipit fructus Beneficii, non tenetur ad officii recitationem; dummodo careat spe eos recuperandi, et non se gerat negligenter in illis exigendis. At tenetur, si juste privatur fructibus in poenam alicujus criminis; vel si spes certa sit ei exigendi fructus sequentibus annis.

Ex communi et vera sententia non tenetur Beneficiarius ad Horas si ante possessionem Beneficii lis vertatur. Post possessionem, quando spes moraliter certa est litem vincendi, tenetur.

Commune est non teneri ad restitutionem fructuum, ne sub veniali quidem, qui omittit in officio partem minorem, quam integrae horae; modo istae partes omissae in una, et

clericalem deferendam (1) et ad residentiam, si hanc exigat Beneficium.

12. *Quid est residentia?*

Est assiduitas commorationis in loco beneficii causa servitii Ecclesiastici personaliter prestandi. Hinc qui commoratur in loco beneficii, sed officium nunquam praestat, non censetur residere: uti esset si Canonicus ad Chorum, vel ad Capitulum nunquam accederet; quia frustranea esset ejus residentia.

13. *Quaenam Beneficia exigant residentiam?*

Ex jure communi omnia Beneficia requirebant residentiam: sed ex universali nunc Ecclesiae consue•

---

eadem officii recitatione materiam gravem non constituant. Docet D. Lig. cum Salmanticensibus, et aliis etiam teneri, qui partem notabilem alicujus horae parvae omittit. L. 3. n. 668.

Item Beneficiatus excommunicatus fructus, quos percepit tempore collationis Beneficii, tenetur restituere; quia collatio fuit nulla. Secus, si post collationem inciderit in excommunicationem; dummodo oneribus Beneficii satisfecerit per se vel per alios: ita Laymann cum pluribus.

Quaestio est, an teneatur ad Horas, qui tenue Beneficium habet; sed communius non tenetur. Attamen Lessius sentit teneri saltem Dominicis, et diebus festivis.

Ex communi sententia Beneficium illud censetur tenue, quod non pertingat ad tertiam partem Beneficiati sustentationis. Excipe si sit factum tenue ob ipsius culpam; vel si adsit spes in posterum uberiores fructus exigendi. Tandem advertas quaeso, quod Canonici Choro assistentes, et non canentes non lucrantur fructus de Praebendis, et distributiones quotidianas, ac ad restitutionem tenentur: potiori ratione si Choro non intersint: ex Const. Bened. XIV. *Cum super oblatus*, et ex Brevi *Dilecte Filii* Adi D. Lig. L. 3. n. 675.

Requisita ad rite Officium persolvendum, ut Beneficiatus faceret fructus suos vide in Tractatu de obligationibus in calce tertiae hujus Partis adposito.

(1) Si post monitionem non deferunt habitum et tonsuram, privari possunt Beneficio. Ex Constit. Xysti V. *Cum Sacrosanctum*. Beneficiatus incedens sine habitu et tonsura ipso facto incidit in privationem cujuscumque dignitatis, beneficii, aut pensionis Ecclesiasticae: quam poenam DD. intelligunt incurri non prima vice controventionis, sed si aliquo temporis spatio persistatur.

tudine beneficia simplicia hujusmodi residentiam non requirunt, cum sufficiat per Vicarium servitium praestare, dummodo aliud non expresserint Fundatores. Tenentur autem ad residentiam, qui habent Beneficium curatum, scilicet Parochus, Episcopus, et etiam qui habent in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis dignitates, Canonicatus, Praebendas: ex Trident. Sess. 24. cap. 12. de Reform.

14. *Estne haec residentia de jure Divino?*

In Beneficiis saltem curatis est de jure Divino: ut videre est apud Bellarminum, Fagnanum, D. Ligor. lib. IV. n. 121.

15. *Quaenam causae excusant a residentia?*

Causas hasce recensuit Tridentinum sess. 23. cap. I. de Reform. his verbis: *Cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae, et Rei publicae utilitas, nonnumquam abesse postulat.* Adi D. Ligor. lib. IV. n. 125. et 130. ubi diffusam invenies harum causarum explanationem (1).

16. *Num Canonici Episcopo inservientes habeantur tamquam residentes?*

Duo Canonici Episcopo inservientes habentur tamquam residentes, et fructus licite percipere possunt: ex Cap. *Ad Audientiam* de Clericis non resid. Item

---

(1) Episcopi, vel Parochi sine justa et legitima causa ultra tempus concessum absentes non faciunt suos fructus pro rata temporis absentiae: quos debent ante judicis sententiam restituere, et applicare in fabricam Ecclesiae, vel ad pauperes loci Beneficii ex Trid. Sess. 23. cap. 1. Canonici quoque primo anno privandi sunt dimidia parte fructuum praebendae, secundo anno omnibus fructibus. Ex eodem Trid. Sess. 24. cap. 12. de Reform. Apud D. Lig. cit. lib. n. 129.

Insuper ex Trid. cit. Sess. et cap. singulis annis Episcopis conceditur trimestre; Parochis autem bimestre ob justam causam, sine gregis detrimento, et de licentia Episcopi substituto Vicario ab Episcopo approbato, ut possint abesse a residentia. Canonicis tres menses: vide apud D. Lig. lib. 4. 129. quomodo sit intelligendum hoc privilegium. Simplicibus Beneficiatis ad residentiam obligatis sex menses conceduntur.

unus Canonicus Ecclesiae Collegiatae inserviens Praelato ejusdem Collegiatae, uti Abbati: ex Cap. *De Caetero* eodem tit.

17. *Quid de distributionibus quotidianis?*

Distributiones quotidianae sunt portiones Ecclesiasticarum reddituum, quae quotidie solent distribui iis Beneficiatis, qui statis horis divino officio intersunt. Inter istas solent adnumerari anniversaria, et alia ejusmodi, quae ex certa fundatione Clericis interessentibus tantum distribui debent (1).

De pluralitate Beneficiorum.

18. *Licetne habere plura Beneficia, quaecumque sint, quorum unum sufficit ad honestam vitae sustentationem?*

---

(1) Nomine fructuum beneficii non veniunt distributiones quotidianae; dummodo redditus Beneficii ex solis distributionibus non constent: uti ex Cap. *de caetero* citato. Qui legitime abest a residentia, puta ad inserviendum Episcopo, quamvis consequetur fructus Beneficii, non tamen gaudet istis distributionibus.

Insuper sciendum, quod ex Trid. statutum est, ut si in aliqua Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata non sint distributiones, vel parvae sint, assignetur tertia pars fructuum pro hisce distributionibus.

Demum videtur Bonifacius VIII. in Cap. unico de Clericis non resid. in 6. adversari alteri suae Decretali *Cum non deceat* de electione in 6. Nam in illa statuit posse gaudere distributionibus quotidianis illos, qui non intersunt causa infirmitatis justa necessitate corporali, vel evidenti Ecclesiae utilitate; et in ista decrevit, ut Beneficiarius absens pro Ecclesiae utilitate fructus percipiat, non vero distributiones. Respondetur: Decretale *Cum non deceat*, loquitur de Clerico, qui abest non solum a Choro, sed etiam a loco Beneficii ratione utilitatis Ecclesiae. Decretali vero unica de Cleric. non resid. in 6. Pontificem loqui de Clericis absentibus a Choro, sed inservientibus eidem Ecclesiae, Sacramentorum administratione, praedicatione etc.

De causis excusantibus Canonicos a Choro, lege apud D. Lig. lib. IV. n. 130. et seqq., et in hac Tertia parte in Tract. de Obligationibus aliquorum statuum.

Minime: quia repugnat juri naturae, et est graviter illicitum; cum male et inutiliter redditus Ecclesiae dispensentur, imminuatur cultus Divinus, et defraudetur voluntas testatorum. Licet autem, si justa causa vel circumstantia cohonestatur: uti necessitas Ecclesiae, et utilitas, ac grande meritum Beneficiarii (1).

19. *Potestne quis plura Beneficia retinere, quando sunt incompatibilia?*

Si sunt incompatibilia primi generis non potest retinere; ita ut secundo obtento, ipso facto vacet primum; et si utrumque retinere praesumat, pariter ipso jure utroque Beneficio privatur: uti ex Trident. Sess. 7. cap. 2., et Sess. 24. cap. 17. Si sunt secundi generis incompatibilia, quaestio inter DD.; sed etiam secundum D. Ligorium standum est sententiae affirmativae, quae praeter rationes innititur declaratione S. C. Concilii relata a Fagnano. An idem sit tenendum de Beneficiis simplicibus, quorum unum sufficit ad honestam vitae sustentationem, quaestio; sed ex D. Ligorio cum Fagnano, et aliis affirmandum est (2).

---

(1) Sciendum, quod beneficia incompatibilia sunt primi generis: quae sunt beneficia curata, vel uniformia sub eodem tecto, nempe, quae ad eamdem functionem concurrunt eodem loco, et tempore; item dignitates, personatus, et officia. *Dignitates* sunt, quibus est adnexa aliqua jurisdictio supra Clerum, aut populum: uti sunt Episcopatus, Abbatiae, Decanatus, Praeposituræ, Archipresbyteratus, Archidiaconatus. *Personatus* sunt qui habent praeeminentiam aliquam supra Clerum, sed sine jurisdictione: uti munera Primicerii, Praecentoris, seu Cantoris, et Sacristae Primarii. *Officia* sunt munera Thesaurarii, Praeceptoris, Custodis, seu Sacristae inferioris, OEconomi, et alia; quorum aliquibus est adnexa administratio, sine tamen jurisdictione, vel praeeminentia. Secundi generis sunt omnia, quae residentiam requirunt, uti Canonicatus. D. Lig. lib. IV. n. 116.

(2) Apud D. Lig. lib. cit. n. 116. 118. ex quadam S. C. declar. a Fagnano relata. Beneficia compatibilia sunt, quae non exigunt residentiam, aut sunt difformia in eadem Ecclesia; uti Curatum Beneficium, et Canonicatus simplex in eadem Ecclesia; vel Dignitas et simplex Canonicatus; dummodo Ecclesiae illius non obstet consuetudo.

20. *Ascendens ad Episcopatum potestne retinere alia Beneficia, aut accipere alia in posterum?*

Minime: quia jura positive resistunt, ita ut per electionem ad Episcopatum, et illius possessionem vacent Beneficia accepta, et nova collata jure ipso sunt nulla: uti ex Cap. *Cum in cunctis* §. *Cum vero* de elect. et ex Cap. *Cum nostris* eodem tit. Secus vero, si Episcopus sit titularis, vel renuntiaverit Episcopatui; vel fuerit pauper, accedente tamen licentia Summi Pontificis.

De qualitatibus requisitis ad Beneficia acquirenda.

21. *Quid si illegitimus fuit a Papa dispensatus pro sacris Ordinibus, censeturne dispensatus ad Beneficia?* (1)

Minime, nisi fuerit expressum in obtenta dispensatione (2).

22. *Illegitimus dispensatus simpliciter ad beneficia, quomodo intelligitur dispensatus?*

Intelligitur dispensatus ad sola beneficia simplicia, non vero ad curata, neque ad dignitates, et personatus; neque ad Ecclesiae Canonicatum. Item dispensatus ad Canonicatum, non censetur ad canonicatum Ecclesiae Cathedralis dispensatus; sicut etiam si dispensatur ad dignitatem, non venit dispensatus ad dignitatem Cardinalitiam. Hoc constat ex cap. *Cum illis* de Praeb. in 6. et ex argumento desumpto a cap. *Quamvis* eod. tit. (3).

---

(1) De qualitate, et de aetate requisita ad Beneficia vide in brevi tractatione adposita tractatui de Religione n. 118. ad notam 2.

(2) Legitimatus a Summo Pontifice potest admitti ad beneficium: ex cap. 1. De Filiis Presbyterorum.

(3) Filius illegitimus Clerici non potest in eadem Ecclesia, ubi ejus pater beneficium obtinet, vel obtinuit aliquod beneficium, licet dissimile; obtinere, aut in eadem Ecclesia ex officio ministrare, vel pensionem habere super fructibus beneficiorum, quae pater ejus obtinet, vel obtinuit ex Trid. Sess.

23. *Clericus conjugatus potestne obtinere beneficium?*

Minime; quia ad beneficium requiritur caelibatus: tantummodo obtinere potest, si castitatem perpetuam voveat, et uxorem unicam et virginem duxit. Cap. 2. de Clericis Conjung. (1).

24. *Potestne retinere beneficium, qui profitetur Religionem, seu emittit professionem in aliquo monasterio approbato?*

Minime, et ipso jure vacant beneficia ante habita. At tempore novitiatus beneficia reservantur Novitio, et nonnisi intra duos menses professioni proximos renuntiari possunt. Ex Trident. Sess. 25. cap. 16. de Regul.

25. *Qui recipit beneficium, teneturne in conscien-*

---

25. cap. 15. de Reform. Quinimo excluduntur filii Clericorum naturales, qui ante clericalem statum ex fornicatione fuerunt procreati. Nepotes vero non excluduntur, quia in odiosis nomine filiorum non veniunt nepotes; nec filii illegitimi, qui recipiunt beneficium in Ecclesia, in qua pater non ministravit titulo beneficii, sed alio titulo: sicut etiam possunt ministrare tantum ex devotione in Ecclesia, in qua pater habet beneficium.

Filii legitimi possunt obtinere beneficium in eadem Ecclesia cum patre, dummodo patri in eodem beneficio non succedant ex cap. *Ad haec* de filiis Presbyterorum, et ex Trid. Sess. cit. Cap. 7.

Attamen pater potest filio suo legitimo, vel illegitimo mediate, aut immediate in beneficio succedere; quia nullo jure est prohibitum. Non potest vero pater obtinere beneficium in ea Ecclesia, in qua ejus filius illegitimus de facto ministrat ratione officii vel beneficii, aut est tantum beneficiarius.

(1) Si Clericus beneficiatus contraheret matrimonium validum, ipso jure amittit beneficium. Hoc etiam statutum est, quamvis uxor matrimonio nondum consummato ingrediatur Religionem; quia jus semel extinctum non reviviscit, etiam causa postea cessante: ex cap. *Diversis* de Clericis conjugatis, et argum. ex Clement. *Gratias* de Rescript. Si vero matrimonium sit invalidum, puta ob aliquod impedimentum dirimens; et tunc si Clericus est in Sacris, privandus est beneficio; si non in Sacris jure ipso privatur; quia videtur juri suo renuntiasse.

tia habere propositum permanendi in statu Clericali, et sacros Ordines suscipiendi?

Maxime: sive beneficium sit curatum, sive simplex; saltem sub conditione: *nisi aliqua circumstantia accesserit mutandi propositum* (1).

26. *Quibus modis vacat Beneficium?*

Pluribus modis: nempe per mortem naturalem beneficiarii, per liberam renuntiationem, per dispositionem juris; ex. gr. si aliud beneficium incompatibile recipiatur, si matrimonium contrahatur, vel

(1) Qui accipit beneficium curatum sine animo ascendendi infra annum ad Sacerdotium juxta praescriptum a jure; nec habet animum, si nolit ascendere, Parochialem Ecclesiam dimittendi, peccat, et tenetur fructus perceptos restituere ante judicis sententiam: ex Cap. *Commisso* de elect. in 6. Qui vero postea mutavit intentionem; nempe a principio habebat animum ascendendi, et infra annum secus statuit, tenetur restituere fructus a die, qua mutavit propositum. Attamen non idem omnibus DD. certo liquet. Item qui habet beneficium simplex; cui adnexum est Ordo sacer, ad quem debet ascendere, graviter peccat, si intentionem habeat dimittendi ejusmodi beneficium, et ducendi uxorem. Probabilius etiam graviter peccat, si beneficium nullum habeat adnexum Ordinem sacrum. Apud D. Ligor. lib. citato n. 113. 114.

Ad beneficia sunt inhabiles omnes irretiti aliquo impedimento canonico: uti irregulares, censurati, infames, haeretici, nati in haeresi usque ad primum gradum ex linea materna, usque ad secundum ex linea paterna; et dummodo parentes in haeresi decesserint. Tandem caeci, et non valentes recitare horas canonicas.

Heic abs re non erit advertere, quod Paroecia, et alia beneficia curata sint conferenda per concursum, etiamsi sint de jure Patronatus Ecclesiastici, secundum praescriptum a Trid. confirmatum a Constit. Pii V. *In conferendis*, et a Benedicto XIV. *Cum illud.* Ex quibus conceditur facultas concurrentibus appellandi a judicio irrationabili Episcopi ad Metropolitanum; vel si iste defuerit, aut Episcopus, a cujus judicio appellatur, sit exemptus, ad Episcopum viciniorem, tamquam delegatum Sedis Apostolicae.

Quaestio est inter DD., an eligens minus dignum excluso digniore in concursu, teneatur ad damna illata digniori omisso. Sed communis sententia, cui adhaeret D. Ligorius, tenet obligari ad damna. Apud eumdem Lig. lib. citato n. 109.

Religionem profiteatur, vel crimen committatur, cui ipso facto privatio beneficii adnexa sit: uti haeresis, simonia etc.; per judicis sententiam ob crimen, cui haec poena adnexa sit, puta per sagrilegium, perjurium, per falsi crimen apostolicis litteris commissum.

27. *Quaenam est renuntiatio?*

Est spontanea beneficii dimissio justa de causa, et Superioris auctoritate facta (1).

28. *Quinam Beneficiarii possunt renuntiare beneficium?*

Ordinarie loquendo omnes Beneficiarii possunt renuntiare, sive pure, sive cum conditione; dummodo justa de causa fiat (2).

De Jurepatronatus, et Pensione.

29. *Quotuplex est jus Patronatus?*

Duplex est Ecclesiasticum, et Laicale. Ecclesiasticum est illud, quod Ecclesiae vel personae Ecclesiasticae competit, vel ratione dignitatis, vel ratione officii, vel ratione fundationis, consuetudinis, vel donationis factae ex bonis Ecclesiae. Laicale autem est, quod convenit personae laicae, vel etiam Ecclesiasticae, quatenus factum est ex propriis bonis, sive patrimonialibus, sive quasi patrimonialibus. Jus patronatus tam Ecclesiasticum, quam laicum dividitur in personale, et reale. Personale est illud, quod

---

(1) Causae renuntiationis sunt: conscientia criminis, quod post peractam poenitentiam impedit executionem officii; debilitas corporis, defectus scientiae, malitia plebis, grave scandalum, irregularitas contracta: uti ex Cap. *Cum provide* de Renunt.

(2) Beneficiarius, qui commiserat crimen, ob quod beneficio privatur, potest illud renuntiare, pure, vel conditionate dummodo sententia privationis nondum lata sit. Qui vero commiserit delictum, ob quod ipso jure privatur beneficio, potest valide permutare, vel resignare; licet possit utraque rescindi. Parochus tandem, qui completo anno Sacerdotium non susceperit, non potest beneficium permutare, vel resignare.

personae inhaeret, vel familiae sine ullo respectu ad rem. Reale, quod est adnexum fundo, feudo (1).

30. *Quinam potest imponere pensionem in Beneficiis?*

Summus Pontifex justa de causa. Attamen Episcopus potest in casibus specialibus, et necessitatis: uti ob senectutem, aut paupertatem resignantis, ob litis compositionem etc.; dummodo non fiat in perpetuum, vel cum facultate transferendi in alium pensionem, sed solum ad vitam pensionarii (2).

---

(1) Quid sit jus patronatus, et quot modis acquiritur diximus in Tractat. de Relig. n. 120., et in nota 3. Hic additur, quod acquiri juspatronatus fundatione intelligitur, quando conceditur locus, seu illud spatium terrae, in quo Ecclesia instruitur, seu fabricatur.

Insuper sciendum, quod Patronus laicus potest plures praesentare, sive simul, sive successive. Si praesentet indignum, non amittit jus, seu cogitur, ut idoneus praesentet. Patronus Ecclesiasticus unum tantum potest praesentare; at si praesentet indignum, amittit jus ea vice, et libera efficitur collatio; cap. 1. de Jurepatronatus in 6.

(2) Semper pensio debet imponi in allatis, et similibus casibus ab Episcopo sua spontanea voluntate; non debet proponi a resignante, vel a litem cedente; tunc enim non potest Episcopus, et recurrendum est ad Pontificem; imo nec Episcopus potest recipere hujusmodi resignationem: cap. 7. et 21. Transactionibus.

De definitione, et caeteris ad pensionem pertinentibus dictum est in cit. Tract. de Relig. n. 101. 119. Adde tantum, quod pensioni Clericali adnexum est onus recitandi quotidie officium B. V. ex Bulla Pii V. *Cum sacrosancta*.

Postremo dicendum est, pensionem debere moderate imponi juxta proportionem redditcuum. Hinc ex Trid. Sess. 24. cap. 13. de Reform. Cathedrales Ecclesiae, quae redditus ducatorum millium, et Parochiales, ducatorum centum non excedunt summam; non possunt gravari pensionibus, et reservationibus fructuum. Hae summae sunt computandae ex fructibus certis, non vero incertis: et pensio non excedat tertiam partem.



APPENDIX OCTAVA

DE ABSTINENTIA AB OPERIBUS SERVILIBUS: DE JEJUNIO ECCLESIASTICO: DE JEJUNIO PRÆREQUISITO AD COMMUNIONEM: DE PECCATIS CAPITALIBUS.

De abstinentia ab operibus servilibus.

Q. 1. *Quonam jure est praeceptum abstinendi ab operibus servilibus in Festis?*

Jure naturae, et Divino; quia debet saltem aliqua portio nostri temporis Deo dicari per religionis officia: idque eruitur ex Levitico cap. 23. *Omne opus servile non facietis in eo.* Quoad determinationem autem temporis hoc praeceptum est de jure Ecclesiastico, quod pro sabbato deputavit diem Dominicam (1). Hinc hoc praeceptum obligat sub gravi ratione materiae, et ratione finis: ut patet ex prop. ab Inn. XI. damnata (2).

2. *Quandiu perdurat dies festus, et proinde obligatio?*

Ex universali Ecclesiae praxi a media nocte diei antecedentis usque ad mediam noctem diei festi. Si vero consuetudo in aliquibus locis sit a primis vesperis usque ad vesperas diei, sic est computandus.

(1) Prout meminit Joannes in Apocalipsi cap. 1. Hoc fusius docetur in Catechismo Romano in tertio Decalogi praecepto, et ex D. Thoma 2. 2. q. 22. a. 4. ad 1. Praeter diem Dominicum in aliis diebus hoc praeceptum servandum est: nempe in illis diebus, quos Ecclesia destinavit recolendis praecipuis mysteriis Redemptionis nostrae, vel memoriae SS. Mariae Viriginis, vel Sanctorum.

(2) Prop. 52. *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo; si absit contemptus.*

3. *Quinam tenentur observare hoc praeceptum?*

Omnes Christifideles usum rationis habentes.

4. *Quaenam sint opera servilia, a quibus abstinendum hoc paeceptum imponitur?*

Opera artis mechanicae, quae majori indigent corporis ministerio, quam mentis, quaeque immediate corporis commoditatibus inserviunt; ideoque plerumque a servis, et mercenariis praestantur (1). Hinc opera artis liberalis non sunt prohibita hoc praecepto; quia majori, vel maxima ex parte procedunt a mente, et immediate ad eam excolendam diriguntur (2). Contra vero prohibentur *actiones forenses*: scilicet actus judiciales, mercatus, et similia; quae, etsi non sint servilia, tamen eo quod exercentur cum strepitu, non conveniunt sanctitati diei festi (3).

5. *Quaenam sint in specie opera artis mechanicae?*

Praecipua sunt, quae continentur in hoc versiculo:

Rus, *nemus*, *arma*, *rates*, *vulnera*, *lana*, *faber*. Scilicet agricoltura, venatio, et piscatio (4); exercitationes militares (5), et gladiatoriae; navis con-

---

(1) Ab his autem abstinendum est, quamvis ob animi recreationem sine lucro fiant; quia sunt prohibita, utpote servilia.

(2) Hinc licitum est ludere, instrumenta musica pulsare, docere, studere, scribere, delineare; judicem privatim instruere de causa, advocatum consulere.

(3) Hoc patet ex titulo de Festis. Illae actiones, quae strepitum judicialem non requirunt, licitae sunt: uti excommunicare, dispensare, eligere, beneficia Ecclesiastica conferre, jurisdictionem exercere, testamenta condere. Nundinae ex consuetudine, et Superioris permissu obfirmatae, permittuntur. Venditio, et emptio comestibilium ad illum diem necessariorum, etiam ad gulositatem; et aliorum contractuum celebratio ex aliqua rationabili causa, non vetatur.

(4) Ex consuetudine venatio moderata, vel retibus, ac laqueis exercita ob animi levamen; item piscatio, permissa est.

(5) Ex consuetudine etiam licitae sunt exercitationes militares, et praesertim directio militiae; quia magis accedunt ad opus liberale. Pugna etiam permissa est ex aliqua necessitate; quià victoriae opportunitas multum pendet a circumstantiis temporis: ut patet ex cap. *Liceat* de Feriis.

structio, et aliorum ad istam pertinentium; opus incitandi canes in tauros, vel similia animalia; sectio corporum ad eorum notomiam; nere, vel texere, vel suere, sutrinum exercere, vel acu pingere, vulgo *ricamare*, vel quidquid aliud simile arte factum (1); et demum omne opus fabrile.

6. *Licetne iter agere, vel bestias onustas, aut vehicula ducere?*

Probabilius licet iter agere, cum non sit opus servile, neque est reprehensum ab aliquo Superiore. Bestias onustas, aut vehicula ducere non est permissum; dummodo consuetudo non excuset. Hinc aurigis, et navicolariis homines vehere ob solatium ex consuetudine invecta licet; ubi vero haec consuetudo deest, non licet.

7. *Estne licitum amanuensibus transcribere?*

Quaestio est; sed rationabilius licet, etiamsi lucri causa; quia ad opus liberale pertinet: dummodo isti totum diem festum in eo opere non agant, nullo relicto temporis spatio, quo vacant rebus divinis (2).

8. *Quaenam est parvitas materiae seu temporis, quae excusat a gravi in hoc praecepto?*

Non conveniunt inter se Theologi. Alii docent, esse duas horas; aliqui vero unam; alii denique opinantur esse unam horam cum aliquo addito, attentis circumstantiis personae, laborum, et finis (3).

9. *Excusaturne a gravi, qui plures parvo tempore*

---

(1) Pingere figuras probabilius ad artem liberalem pertinet. Sicut etiam acu retrahere imagines, et exemplaria.

Ita etiam licitum est ex communi sententia cibos praeparare, coquere, etsi ad voluptatem; fructus recentes colligere, lectos sternere; domum moderate everrere, lavare utensilia cuclinaria. At quae possunt die antecedenti praeparari, magis convenit hoc facere ob majorem diei festi reverentiam. Ut plurimum non licet panem conficere, si in publico vendatur, vel die antecedenti commode confici, et coqui poterat.

(2) Non licet tamen ex communi praxi, et usu Typographis characteres ordinare.

(3) Quoad materiarum levium coalescentiam recole, quae dicta sunt in Tract. de Legibus n. 40. et 41.

facit laborare simul, aut successive in aliquo opere?

Litigium inter DD. At ex D. Ligorio cum Salmanticensibus si id faciat secluso scandalo, vel contemptu, excusatur a gravi culpa. Siquidem eodem peccato iste illigari dicendus est, quo operarii. Cum ergo venialiter peccent operarii, similiter et praecipiens venialiter peccare censendus est.

10. *Quaenam causae excusant ab hoc praecepto?*

Sequentes: necessitas, pietas, utilitas publica, consuetudo, et dispensatio.

11. *Quaenam necessitas requiritur ad excusandum ab hoc praecepto?*

Omnis necessitas tam spiritualis, quam corporalis, quae efficiat, ut observantia praecepti grave incommodum afferat (1).

12. *Quaenam pietas et charitas est causa excusans ab hoc praecepto?*

Servitium immediate spectans ad cultum Dei (2),

---

(1) Hinc 1. excusat necessitas alendae familiae; defendendae vitae propriae, vel alienae; ideoque possunt pauperes sine scandalo privatim laborare, quando alio modo non possunt illa die se, et familiam alere: sicut etiam laborare potest uxor ad id a marito compulsa; quae si secus faciat, jurgia praevidet oritura. 2. Excusat necessitas custodiendi salutem spiritualem, vel corporalem sui, vel proximi. 3. Necessitas servandi bona a temporis injuriis, aut a furibus; ideoque agricola congregans segetes, vel colligens fructus ob diuturnas pluvias orituras; operarius perficiens opus inceptum, quod sine gravi damno non potest intermittere: dummodo non sit inceptum in fraudem, ab hoc praecepto excusantur. Ex necessitate excusantur barbitonsores tondentes rusticos, et alios, qui tantum diebus festi possunt tonderi, et etiam si gravem jacturam sint passuri non exercendo tale officium. At circa id consuetudo Neapoli invaluit, ut possint barbitonsores officium praestare. Qui autem quocumque modo excusati, tenentur vacare per aliquam diei festi partem operibus divinis. Advertendum tandem, quod non sit permissum exercere opera servilia ad otium vitandum. Solummodo posset hoc esse necessarium ad vitandum periculum peccati, quando aliud medium non adest. Expedit tamen ad vitandum scandalum, ut semper ac servilia opera exerceri debeant, de licentia proprii Parochi exerceantur.

(2) Uti esset verrere templum, ornare altaria, vel alia

et servitium necessarium praestandum infirmis, vel pauperibus (1).

13. *Quandonam publica utilitas excusare dicitur ab hoc praecepto?*

Quando commodum commune expostulat aliquid servile praestandum: uti quando parandum est ob adventum magni Principis; vel ob victoriam, nativitatem, nuptias Principum; vel ob alicujus ex his personis mortem. Item quando fontes, pontes, viae publicae reficiendae sunt, quae dilationem non patiuntur.

14. *Consuetudo ponendi opus servile in die festo quando excusat?*

Quando est legitime praescripta: quia tunc abrogat legem praecipientem in illa die abstinentiam ab operibus servilibus.

15. *Quinam potest dispensare a praecepto abstinendi ab operibus servilibus?*

Summus Pontifex pro universa Ecclesia. Episcopus pro sua Dioecesi, in festis a Sinodo Dioeeesana statutis; et etiam in festis a jure communi statutis stante causa, et difficili accessu ad Pontificem. Quod potest etiam Parochus, quando urgente necessitate, et stante difficili accessu ad Episcopum debet dispensari. At tam Episcopi, quam Parochi stante justa causa possunt ex consuetudine pro aliquo eorum subdito particulariter ad tempus dispensare (2).

16. *Praeter abstinentiam ab operibus servilibus quid faciendum, ut festus dies sanctificetur?*

Debet Christianus Missae sacrificio devote, et attente assistere, et aliis piis operibus vacare ad cultum Deo debitum exhibendum per actus Religionis exteriores (3). An Christianus, qui tantum Missam

---

apponere ad festivitatem necessaria; vehere lapides, construere templum; et alia, si Ecclesia sit indigens. At expedit dispensationem a Superiore petere.

(1) Uti reficere vestes pauperum, vendere, vel emere ab his, quando alio die non possunt haec eis praestari.

(2) D. Ligorius lib. 1. n. 190.

(3) Uti Sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae susci-

devote audit, reliquum diem festum sanctificare negligens, mortaliter peccet, nemo Theologorum ausus est definire, ne ipse quidem Concina. At de hujus aeterna salute non parum timendum est.

De Jejunio Ecclesiastico.

Q. 1. Quid est jejunium?

Jejunium multiplex esse potest. Aliud enim est spirituale; quod consistit in abstinentia a vitiis. Aliud naturale; quod situm est in abstinentia ab omni cibo, et potu. Morale, quod est moderata sumptio cibi, et potus secundum regulas temperantiae. Ecclesiasticum denique, de quo hic tractamus, est abstinentia a carnibus, et ab aliis a carne originem trahentibus, unica tantum comestione tempore statuto facta secundum regulas ab Ecclesia praescriptas.

2. *Daturne in Ecclesia potestas praecipiendi jejunium?*

Maxime: siquidem jejunium ad animarum profectum plurimum confert; ideoque ad Ecclesiae potestatem pertinet. Hinc sub gravi obligat hoc praeceptum: uti constat ex traditione Patrum Ecclesiae, ex Conciliis, et ex propositione damnata ab Alexandro VII. (1).

3. *Quandonam hoc praeceptum obligat Fideles?*

Quoad abstinentiam a cibis vetitis tenentur Fideles ab aetate usus rationis, qui solet apparere circa septennium. Quoad observantiam totius praecepti, ex consuetudine Ecclesiae, et ex unanimi Doctorum sententia tenentur ab aetate vigesimi primi anni completi (2).

---

pere: concionem audire, functionibus Ecclesiasticis assistere, actus virtutum Theologalium elicere; eleemosynam impertiri, infirmos visitare, rudes instruere in rudimentis fidei.

(1) Prop. 23. *Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat, mortaliter; nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta qui non vult se subjicere praecepto.*

(2) Ex D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 1. Dies jejunii computatur a media nocte diei antecedentis usque ad mediam noctem diei subsequentis.

4. *Quid requiritur ad servandam formam jejunii Ecclesiastici ex praecepto Ecclesiae?*

Requiritur: 1. abstinentia a carnibus, et ab omni, quod ex carne trahit originem (1); 2. unica comestio; 3. et tempus statutum pro hac comestione. Cap. *De usu carnium* distin. 3. de consecrat.

5. *In die jejunii estne prohibitum vesci lacticiniis, et ovis, et anne sub gravi?*

In diebus Quadragesimae, etiam in Dominicis, sicut est prohibitum vesci carnibus, etiam lacticiniis, et ovis est vetitum: quod constat ex can. *Denique*. Dist. 4., ex can. *de usu carnium* dist. 3. de Consecrat., ex Concilio Constantiensi can. 6., et et ex proposit. ab Alexandro VII. damnata (2). In diebus jejunii extra Quadragesimam attendenda est locorum consuetudo. Sed verius dicendum, ex consuetudine legitime introducta prohibitum esse (3). Certum est in Neapolitana Dioecesi esse prohibitum (4).

6. *Vigetne haec prohibitio carnis in diebus feriae sextae, et Sabbati cujuscumque hebdomadae?*

Maxime; et sub gravi ex consuetudine universali Ecclesiae (5). Quoad adipem, quo condiuntur dapes, est attendenda locorum consuetudo. At in Dioecesi

---

(1) Nomine carnis venit caro animalium, et alia, quae ex communi usu Fidelium, et Medicorum judicio a piscibus, et ab aliis hujusmodi cibis distinguuntur: uti sanguis, nervi, medulla, pinguedo, sagimen, laridum, intestina, caseum, ova. Ita ex Cap. *Denique* Distin. 4. *Par est, ut quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quae sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte scilicet, caseo, ovis.* Hinc non veniunt nomine carnis testudines, ranae, limaces, viperae; quia sunt parum nutritivae; ideoque ex usu communi non habentur tamquam carnes.

(2) Prop. 32. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obligat.*

(3) Patet etiam ex decreto S. Congreg., quod refert Albitius. Vide Fulco tract. 3. cap. de tertio Ecclesiae praecepto pag. 145.

(4) Ex Synodo Pignatelli Neapoli habita pars 1. cap. 9. n. 5. in notis.

(5) Ex Can. *Quia dies* 31. Distin. 3. de Consecrat.

Neapolitana adest prohibitio ex consuetudine (1).

7. *Quae parvitas materiae excusat a gravi violatione jejunii?*

In cibis prohibitis est octava pars unciae, vel quarta. In cibis licitis una uncia cum dimidio, vel duae unciae.

8. *Electuariorum sumptio excusatne a gravi violatione jejunii?*

Maxime; qui sumuntur per modum medicinae: dummodo tamen in moderata quantitate ista sumantur.

9. *Liquida, uti vinum, aqua, theum, vulgo tè, caffeum, violatne jejunium?*

Minime; quia sumuntur ad sitim extinguendam, vel ad digestionem. Contra vero prohibentur potiones lactis, jusculi; sumptiones pomi, mali citrei, uvae, peponis, et similium; etiamsi tantum succus absorbeatur. Potiones sorbeti, aquae mixtae cum saccharo, vel cum alia simili materia, non frangunt, quando sunt in parva quantitate hujusmodi materiae commixtae. Quoad chocolatem, ex consuetudine uncia illius cum aqua distracta parva materia censetur.

10. *Qui per diem frangit jejunium, peccatne toties, quoties frangit?*

Si per cibos vetitos frangit, peccat toties, quoties frangit, seu comedit; quia abstinentia a cibis vetitis est praeceptum negativum. Si violat per cibos non prohibitos in quantitate non parva, an toties peccet, quoties violat, quaestio inter Doctores. Qui affirmant toties peccare, dicunt: praeceptum de unica comestione esse etiam negativum: quod obligat semper, et quoad semper. Qui negant, docent substantiam jejunii in unica comestione consistere; et ideo per fractionem non parvae materiae destrui substantiam jejunii, et semel tantum peccatum committi.

11. *Unica comestio potestne interrumpi?*

Ex justa causa potest; sine justa causa potest ad tempus non notabile, nempe ad dimidium horae: quia moraliter censetur unica comestio.

(1) Patet ex Synodo Pignatelli supracitata.

12. *Unica comestio potestne in longum tempus protrahi?*

Plus, quam ad unam, vel duas horas, non licet sine rationabili causa; ex rationabili causa potest, puta ob adventum hospitum, solemnitates nuptiarum.

13. *Qui sine culpa, vel ex ignorantia, aut ob inadvertentiam die jejunii mane comedit, teneturne se abstinere ab alia comestione, seu refectione?*

Maxime; dummodo possit sine suo gravi incommodo.

14. *Violatne jejunium, qui in unica comestione comedit usque ad ingluviem?*

Minime; quia servat unicam comestionem. Peccat tamen contra temperantiam graviter, vel leviter prout illam laedit.

15. *Qui surgit a mensa plene refectus sine intentione resumendi cibum, violatne jejunium, si iterum comedat?*

Maxime; etiamsi statim iterum comedit: quia censetur nova comestio. At secundum aliquos Theologos non peccat, si spatium sit breve, vel intentione sua non determinavit complere comestionem. Certum vero est, non peccare, qui non sufficienter refectus ex justa causa surgit e mensa animo revertendi; quia moraliter censetur unica comestio.

16. *Estne licita in die jejunii serotina collatiuncula, seu coenula?*

Maxime: ex generali enim consuetudine est introducta ad reficiendum, et ad somnum capiendum.

17. *Quaenam quantitas cibi in ea sumenda est?*

In hoc disconveniunt Theologi; sed ex communiori sententia in usum reducta, et approbata, octo unciarum quantitas cibi permittitur (1).

---

(1) Haec quantitas semper debet determinari secundum complexiones, labores, et regiones jejunantium. Excedentes has octo uncias in parva quantitate, uti in una, vel duabus unciis non violant graviter jejunium: dummodo aliud in die non comederint; apud D. Ligorium lib. 3. cap. 3. n. 1025. Coenula in pervigilio Nativitatis Domini potest duplicari ratione solemnitatis; etiamsi venerit festum Nativitatis Domini

18. *Licetne quantitatem crudam pro coenula permissam coquere, sale, oleo, aqua permixtam, et pro coenula sumere?*

Minime; sed cocta debet esse ponderis permissi; quia per fermentationem quantitas cibi augetur, et magis stomachum implet, et in majorem substantiam nutritivam convertitur (1).

19. *Quaenam qualitas ciborum permittitur sumere in coenula?*

Illa qualitas, qua utuntur homines meticulosae conscientiae (2).

20. *Quanam hora diei faciendo est unica comestio?*

Circa meridiem: ideoque licite potest comestio differri; quia magis veteri Ecclesiae disciplinae congruum est. An possit sine culpa gravi notabiliter anticipari, quaestio inter DD. Aliqui dicunt esse grave peccatum ad unam horam, alii ad duas horas anticipare. D. Ligorius cum aliis dicit, non esse peccatum grave notabiliter anticipare comestionem; quia hora non est de essentia jejunii. At omnes conveniunt sine culpa posse, aliqua rationabili, et justa causa concurrente.

21. *Licetne antevertere coenulam in meridie?*

Sine causa est veniale peccatum contra ordinem in jejunio observandum (3).

22. *Quaenam causae excusant a jejunio?*

---

in feria secunda: apud Salmanticenses Tract. 23. c. 1. p. 4. n. 74. At qui in hoc pervigilio meridie sumit coenulam, non potest duplicare.

(1) Ex D. Ligorio quatuor unciae panis coqui cum aqua permittuntur.

(2) Ita Bened. XIV. in Const. *Si fraternitas.* Uti essent nuces, pisciculi, castaneae, legumina tosta, et etiam moderata portio piscis magni ex communi piorum praxi.

(3) Interrogata fuit S. Poenitentiaria: utrum possit coenula anteverti hora decima vel undecima ante meridiem, et comedi inde hora quarta vel quinta post meridiem. S. Poenitentiaria die decima Januarii 1834. respondere censuit: *Si inversionis supradictae rationabilis aliqua extat causa poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.*

Sequentes: scilicet dispensatio, impotentia, labor, et pietas.

23. *Quisnam potest jejunium dispensare?*

Summus Pontifex pro tota Ecclesia. Episcopus pro sua Dioecesi, et Praelatus regularis pro suis subditis stante justa causa, et difficili accessu ad Pontificem. Parochus ex consuetudine pro suis ovibus particulariter potest dispensare ad actum determinatum (1).

24. *Dispensatus a jejunio quoad aliquam partem teneturne servare reliquas partes?*

Maxime. Tantum enim ad illam partem dispensatur, non vero ad reliquas: quas servare debet sub gravi (2).

25. *Dispensatus ad carnes, ad lacticinia, ova, etc., potestne his uti in serotina coenula?*

Minime; sicut declaravit Bened. XIV. in Encyclica *Si fraternitas* quaest. 2., et ex Encyclica Clem. XIII. *Appetente.*

26. *An liceat dispensatis ad carnes in eadem mensa edere carnem, et pisces?*

Minime: ut patet ex Encyclica Bened. XIV. *Non ambigimus*, et ex illa *Si fraternitas* quaesit. 1. et 4. Et hoc prohibitum etiam in jejuniis extra Quadragesimam; et etiam diebus Dominicis in Quadragesima ex citata Encyclica *Si fraternitas*, quaes. 5. et 7. (3). Non prohibetur vero permixtio lacticiniorum,

---

(1) Ex D. Ligorio cum aliis Episcopi possunt dispensare in rebus, quae communiter eveniunt in jejunio. Lib. I. n. 190.

(2) Hinc dispensatus ad carnes tenetur ad unicam comestionem tempore praefixo. Dispensatus ab unica comestione non potest vesci cibis prohibitis. Uti clare constat ex Encyclica Clementis XIII. *Appetente*, et ex illa Bened. XIV. *Non ambigimus.* Haec omnia tenenda sunt in cunctis diebus jejunii, etiam extra Quadragesimam, ex eiisdem Epistolis Encyclicis. Nomine medici spiritualis in Encyclica *Non ambigimus* memorati, ac requisiti pro dispensatione carnium una cum medico corporali, Neapoli ex consuetudine in Quadragesima intelligitur proprius Parochus.

(3) An haec prohibitio urgeat diebus feriae sextae, et Sabbati cujuscumque hebdomadae, quaestio; sed valde proba-

ovorum, sagiminis cum piscibus ex citata Encycl. quaes. 6.: probabilius autem nec etiam prohibetur permixtio jusculi carnis cum piscibus, nec jusculi piscis cum carne (1).

27. *Dispensati ad carnes, vel ad lacticinia, ova, adipem, possuntne his uti in quacumque hora diei Dominicae Quadragesimalis?*

Maxime: quia in aliis diebus non licet ratione jejunii, quod in Dominica non servatur quoad unicam comestionem. Et idem dicendum de illis, qui ad jejunium non tenentur ratione aetatis quacumque die (2).

---

bile est, non urgere. Vide Epitomen in Bullam Cruciatae par. 3. n. 16. in calce hujus tertiae Partis, ubi latius omnia enucleantur.

(1) Advertas quaeso, quae S. Poenit. declaravit die 16. Jan. 1834. Quaesitum fuit.

Cui licitus est esus carnium, licetne miscere testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur: idest, ostriche, telline, patelle, canolicchi, granchi ec. S. Poenit. respondit: vetari miscere cum carnibus, quoties carnis, et piscis mixtio vetita sit.

Utrum lege vetitae permixtionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccati, vulgo salumi: cioè alici, caviale, baccalare, aringa, tarantello ec.

Respondit S. Poenit. vitari miscere cum carnibus, quoties carnis, et piscis mixtio vetita est.

(2) Hoc quoad lacticinia, ova, adipem declaratum fuit ab Eminentissimo Zurolo Commissario Apostolico Bullae pro dispensatis ex Bulla S. Cruciatae Regno Neapolitano concessa. Vide Epitomen citatam. Ex quodam Opere novissime edito de jejunio cognovi recentem declarationem S. Poenitentiariae ex mandato fel. mem. Pii VII., quae ita se habet: *Sacra Poenitentiaria de mandato fel. mem. Papae Pii VII. respondet: Fideles, qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus, aut lacticiniis per idem indultum permissis quoties per diem edunt. Datum Romae in Sac. Poenit. die* 16. *Jan.* 1834. E. Card. De Greg. M. Poen.

Dispensati ad lacticinia, et ova, non dispensantur ad adipem adhibendum pro condiendis dapibus. In Regno autem Neapolitano ex diplomate S. Cruciatae dispensatum intelligitur. Omnia privilegia supradictae Bullae explicata inveniuntur in citata Epitomi in hac tert. Part.

28. *Quinam excusantur ratione impotentiae?*

Omnes, qui physice, vel moraliter jejunium adimplere non possunt sine gravi incommodo. Hinc excusantur infirmi, convalescentes, patientes vertiginem capitis ex vacuo stomacho. Item excusantur mulieres praegnantes, et lactantes: uti communissime docent Theologi apud D. Ligor. lib. 3. n. 1033., et ex Anacleto. Tract. X. Dist. 2. n. 60.: necnon senes, quia indigent frequenti cibo (1). Ita etiam excusantur pauperes, qui non possunt una vice cibo sufficienti expleri: possunt isti etiam carne vesci, si illam accipiant, nec aliud possint habere. In his omnibus semper servandum est, quod diximus supra numero 24.

29. *Quinam excusantur ratione laboris?*

Qui exercent laborem incompatibilem cum jejunio, vel ex eorum debilitate laborem exercere nequeunt. Hinc excusantur agricolae, textores, fabri ferrarii, lignarii, murarii, nautae remigantes, secantes lapides, vel ligna magna, typographi praelum versantes; item pedester itinerantes, (qui autem iter faciunt equitando, si id efficiant pro una die, non excusantur, et oppositum est damnatum (2)). Contra vero probabilius non excusantur mulitores, fabri argentarii, sculptores, barbitonsores, sartores, pictores, scribae, horolorgiarii. Non excusantur medici, advocati, judices, cantores, concionatores, magistri; et oppositum est damnatum (3).

---

(1) An Sexagenarii validi possint excusari a jejunio, quaestio; sed D. Ligorius docet, posse ob periculum amittendi vires: a cujusmodi statu in illa aetate difficilius postea recuperari possunt. Mulieres quinquagenarias ordinario urget lex jejunii, quia minori cibo indigent mulieres, quam viri.

(2) Prop. 31. damnata ab Alexandro VII. *Excusantur absolute a jejunii praecepto omnes illi, qui iter equitando, utcumque iter agant; etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.*

(3) Prop. 30. ab eodem Pontifice. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit incompatibilis cum jejunio.*

His excusatis ratione laboris consilium dandum est, ut alia opera pia in compensatione jejunii impendant.

30. *Quinam excusantur ratione pietatis?*

Omnes, qui exercent opera pietatis, charitatis, misericordiae, justitiae, quae sunt incompatibilia cum jejunio. Hinc excusantur assistentes, et inservientes diu, noctuque infirmis; et omnes non valentes servare jejunium in his operibus; excusantur quidem, ne jejunium sit impedimentum majoris boni.

De Jejunio praerequisito ad Communionem.

1. *Quodnam jejunium requiritur ante Communionem?*

Jejunium naturale: scilicet abstinentia ab omni cibo, et potu. Hinc hoc jejunium nullam admittit parvitatem materiae; quia praecipitur omnimoda abstinentia a cibo, et potu; ideoque qui communicat post quamcumque minimam partem cibi, vel potus, jam communicat post cibum, aut potum.

2. *De quonam jure est hujus jejunii praeceptum?*

De jure Ecclesiastico: uti constat ex cap. *Ex parte* de celebrat. Missarum, et ex variis Conciliis, praecipue ex Concilio Constantiensi sess. 13.

3. *Quaenam debent concurrere, ut hujusmodi jejunium frangatur?*

1. Ut id, quod sumitur, sumatur ab extrinseco; 2. ut sumatur per modum comestionis, vel potationis; 3. ut res sumpta habeat rationem cibi, vel potus. Hinc ex primo dato non frangitur jejunium per involuntariam trajectionem reliquiarum cibi dentibus haerentium (1); per involuntariam deglutionem guttularum aquae, aut per vini, aut jusculi degustationem cum saliva permixti, ita ut deglutio isthaec habeatur per modum salivae: dummodo tamen non sit in magna quantitate; per voluntarium suctum sanguinis, saniei, et alicujus similis ex ore, capite, gingivis, lingua

---

(1) Quod si id fiat ex industria, quaestio. At ex Lugone secuto a Bened. XIV. De Sacrific. Missae, nemo tenetur diligenter expuere has reliquias, sed tantum illas, quae a dentibus divulsae sensibiliter percipiuntur in lingua. Ex communiori sententia frangit jejunium trajectio sacchari immissi in ore ante mediam noctem.

manantis (1). Ex secundo dato non frangitur jejunium per sumptionem pulveris tabaci, et per casualem trajectionem aquae per nares; etsi involontarie aliquid transmittatur in stomachum; quia hoc accidit per attractionem. Ita etiam non frangitur per casualem deglutionem pulveris, pluviae, flocci, nivis, culicis, muscae, et quidquid per respirationem deglutitur; quia hoc accidit per respirationem: item etiam per fumum tabaci, vel alius similis; etiamsi ex industria hic fumus immitatur in stomachum; quia non est cibus, neque potus. Ex tertio dato non frangitur jejunium per sumptionem rerum indigestibilium: uti ex communiori sententia sunt capilli, ungues, metallum, vitrum, filum sericum, vel laneum, ossicula fructuum omnino depurata; sunt vero digestibilia, quae a stomacho alterari, et in substantiam hominis converti possunt: scilicet charta, palea, filum lineum, pulvis medicinalis, cera; et probabilius creta (2).

4. *An liceat inter plura horologia dissonantia ultimum sequi ad servandum jejunium pro Communione praerequisitum?*

Quaestio inter DD. Sed communius licet; dummodo de errore non constet, et horologium non sit de illis, quae ordinario errant (3).

5. *Potestne quis statim communicatus expuere, vel manducare?*

---

(1) E contrario frangitur jejunium per sumptionem aquae, licet involuntaria, vi in os infusae, vel quia quis delapsus in flumen aquam deglutit: aut per suctum sanguinis ex digito, vel lacrymarum ex oculis manantium.

(2) Ex indigestione cibi debet quis ob devotionem se abstinere a Communione, quando magna perturbatio mentis esset; dummodo haec indigestio non proveniat ex rationabili causa, vel naturali, aut quando perturbatio non sit magna. Apud D. Lig. L. 6. n. 279.

(3) An possit communicare dubitans de sumptione post mediam noctem, quaestio. Lege D. Lig. Lib. 6. Tract. 3. n. 282. At rationabilius non potest communicare, qui aliquid in ore sumptum post primum ictum horologii, ante ultimum deglutit; quia physice accipiendum est tempus mediae noctis, non moraliter, ex D. Ligorio loco cit.

Omnes sentiunt, congruum esse, ut per aliquod temporis intervallum communicati abstineant ab expuendo. Sicut etiam non excusatur a veniali contra reverentiam Sacramenti, qui antequam consummantur species, sine causa manducat, vel bibit. *Debet esse aliqua mora inter sumptionem hujus Sacramenti, et reliquos cibos*: ex D. Th. p. 3. q. 80. a. 8. ad 6.

6. *Danturne casus, in quibus quis non jejunus potest communicare?*

Maxime: et 1. in periculo mortis ob praeceptum Divinum, et bonum infirmi (1); 2. in periculo, ne Eucharistia pereat, vel male tractetur (2); 3. in sumptione Eucharistiae necessaria ad perficiendum, vel complendum Sacrificium; 4. in periculo gravis scandali orituri ex omissione sacrificandi, vel communicandi (3); 5. in evitando periculo mortis: dummo-

---

(1) Dummodo non possit jejunus sumere; et urget periculum mortis.

Ex communiori sententia secundum Bened. XIV. de Synodo Dioecesana L. 7. cap. 12. potest iterum ministrari Viaticum infirmo non jejuno, qui jam Viatico munitus est; quia datur Viaticum praecise contra tentationes in periculo magis urgentes. Et potest repeti Viaticum post octo dies: quod alii cum D. Ligorio admittunt etiam singulis diebus, si aegrotus sit assuetus se communicare. An, qui mane communicavit ex devotione, teneatur, vel possit sumere Viaticum urgente periculo mortis; quaestio inter DD.; sed rationabilius distinguit D. Ligorius cum Lugone: si morbus fuerit violentus, posse, et teneri communicare; si morbus fuerit naturalis, etiamsi repentinus, non teneri, neque posse communicare; quia morbus erat jam in suis causis dispositus; ideoque mane communicatus hujusmodi morbo latenter affectus, bene dici potest moraliter in periculo mortis communicasse. Quod si facile possit infirmus isthic jejunus in sequenti die communicare, tenetur expectare. Semper vero non est scrupulose procedendum in hoc casu. Advertas quaeso verba Bened. XIV. hac in re: *in tanta opinionum DD. discrepantia, integrum erit Parocho eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit.* D. Ligorius L. 6. n. 283. dub. 3.

(2) Licet etiam Laico.

(3) Quod quidam vix fieri posse putant; cum facile possit manifestari sine scandalo: quod Sacerdos aliquid sumpserit.

do non fiat ex contemptu, et sine vestibus sacris in Missa.

7. *An possit Sacerdos non jejunus Missam celebrare ad ministrandum Viaticum?*

Quaestio inter DD. Sed rationabilius ex D. Ligorio cum aliis negatur; quia Viaticum non est Sacramentum necessarium necessitate medii. At si Viaticum fiat Sacramentum necessarium necessitate medii (1), potest Sacerdos non jejunus celebrare. Idem dicendum, si Sacerdos deberet sibimet Viaticum ministrare; quia praeceptum Divinum in ipsa persona praeferendum est praecepto Ecclesiastico.

De Peccatis Capitalibus.

Q. 1. *Quot sunt peccata capitalia?*

Sunt septem: scilicet superbia, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia, et acedia. Dicuntur capitalia, quia non solum sunt per se peccatum, sed etiam sunt radix, et causa multorum peccatorum.

De Superbia.

2. *Quid est superbia?*

Est appetitus inordinatus propriae excellentiae: ex D. Thoma 2. 2. q. 162. a. 2. (2).

3. *Quotuplex est superbia?*

Duplex est: perfecta, et imperfecta. Prima est, quando quis a se omne bonum existimat habere, vel a Deo ob sui meritum; aut ultimum finem ponit in propria excellentia, seu praelatione aliis; aut ita excellere appetit, ut nolit se subjicere praeceptis Di-

---

(1) Uti esset, si aegrotus non posset suscipere Sacramentum Poenitentiae, neque Extremae Unctionis; cum Sacerdos ex impotentia non possit accedere ad infirmum, et posset Eucharistia ab eo confecta per aliquem Diaconum ministrari.

(2) *Appetitus*, idest desiderium, complacentia, amor. *Inordinatus*, seu contra ordinem rectae rationis; quatenus superbus non vult se subjicere, quibus debet; vel altiora quaerit.

vinis, vel justis statutis Superiorum. Altera, quando quis jactat se habere, quod non habet; aut singularis in aliquo videri desiderat despectis aliis; aut dolet, irascitur, nisi laudetur, honeretur; vel quando judicio proprio pertinaciter, et injuste adhaeret. Hinc superbia perfecta semper est peccatum grave; quia animus tribuendi sibi, quod Deo debetur, graviter opponitur honori, et amori Dei; necnon charitati proximi; quia vult depressionem ejus. Imperfecta est peccatum grave, quando conjungitur cum gravi proximi detrimento, vel despectu.

4. *Quot sunt vitia derivantia ex superbia?*

Sunt praesumptio, ambitio, et vanagloria. Praesumptio est appetitus inordinatus aggrediendi id, quod superat proprias vires. Peccatum mortale est, quando infert gravem injuriam Deo, aut damnum grave sibi vel proximo. Item si usurpetur dignitas, vel officium, et ejus intuitu agatur (1). Ambitio est inordinatus appetitus dominandi, vel se extollendi per dignitatem, honorem, potentiam super ceteros, vel aequales. Haec grave peccatum est, si appetatur dignitas, honor, unice propter se, non propter gloriam Dei, et proximi utilitatem; aut modis graviter illicitis; aut sine merito, titulo, aptitudine; aut si habeatur dispositio committendi potius peccatum mortale, quam dignitatem, honorem amittendi (2). Vanagloria est appetitus inordinatus manifestandi propriam excellentiam sive sit vera, sive praesumpta, ut ab aliis laudetur. Peccatum mortale est, quando in gloria appetenda ultimus finis constituitur; quando gloria appetitur acquirenda etiam per mortale peccatum, et media illicita; quando gloria tribuenda sit Deo ex Divinis bonis concessis, et tamen sibimet arrogatur debita.

---

(1) E. g. Si quis praesumat jurisdictionem Ecclesiasticam, potestatem Ordinis sacri: item officium medici, advocati, Confessarii, etc. sine debita peritia.

(2) Ex Laymann est actus magnanimitatis, si moderate honor appetatur ob honestum finem.

5. *Quaenam sint species vanaegloriae?*

Sunt inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, inventio novitatum, et discordia. Inobedientia est violatio legis, vel praecepti ex contemptu; quae est peccatum grave, nisi excuset imperfecta advertentia. Jactantia est, cum praedicatur ultra debitum propria excellentia ad honorem acquirendum, vel gloria concipiatur de peccato. Peccatum grave est, quando graviter derogat gloriae Dei, cum producat grave scandalum, vel grave damnum proximi, vel contemptus; vel quando dicatur laus de actione mortaliter peccaminosa. Hypocrisis est, quando simulatur virtus, sanctitas, quae non habetur, aut quae saltem est minor ea, quae simulatur. Est peccatum mortale, quando ea simulatione vera sanctitas, virtus, spernatur; quando fit ad finem graviter illicitum; quando fit ea dispositione, ut potius quis Deum offendere velit, quam amittere bonum nomen per simulationem acquisitum. Contentio habetur, quando indebita verborum altercatione veritati fiat oppositio. Discordia, quando oppositio fiat voluntati alterius, cui ex charitate tenemur consentiri. Utraque est peccatum prout est materia. Pertinacia est, quando quis adhaeret propriae sententiae plusquam oportet, et in ea sententia persistit post cognitam veritatem. Haec culpa gravis est, quando affert gravem injustitiam proximo, vel detrimentum communitati. Inventio novitatum habetur, quando studio se praeferendi nova excogitantur. Haec potest esse peccatum grave, vel leve juxta qualitatem materiae, seu objecti. Hoc peccatum grave est, si opponatur bonis moribus, pudicitiae, Fidei, etc.

De Avaritia.

6. *Quid est avaritia?*

Est inordinatus appetitus divitiarum; vel cujuscumque rei, dummodo sit nimis.

7. *Quodnam peccatum est avaritia?*

Est peccatum grave, quando divitiae acquiri vo-

lunt ea animi dispositione, ut per quemcumque modum sive licitum, sive illicitum, acquirantur; quando in divitiis ultimus finis constituitur, quatenus nempe sic cupide retinentur divitiae, etiam juste acquisitae, ut omnia amitti potius velint, quam divitiae; quando habetur insatiabilis cupiditas acquirendi eas; denique quando emitur aliquid ad victum proximo necessarium, et absconditur cum desiderio revendendi tunc, quando ad summum pretium annona augetur. Non est peccatum grave, quando divitiae superflue amantur servata amoris erga Deum praeferentia, et sine detrimento proximi (1).

De Ira.

8. *Quid est ira?*

Ira generice sumpta est appetitus vindictae: qui potest esse bonus, vel malus, prout est objectum vindictae. Specifice vero sumpta, quatenus est peccatum capitale: est inordinata cupiditas vindictae aut in personam, aut in rem (2). Inordinata potest esse ex parte objecti, si optetur injuste, vel illegitime, vel sine zelo justitiae, et boni communis, sed ex pravo animo satisfaciendi propriae, vel alienae injuriae vel dedecori: inordinata autem ex parte modi, quando juste, et licite ira habetur, sed ultra modum debitum.

9. *Estne peccatum grave ira inordinata?*

Ex parte objecti est peccatum grave contra charitatem, nisi excuset parvitas materiae. Ex parte modi per se est peccatum veniale ex D. Thoma 2. 2. q. 158.

---

(1) De Luxuria disserui in appendice ad tractatum de Peccatis p. 79.

(2) In rem, uti quando aliquis artifex in aliam rem non bene factam juxta sui libitum irascitur, frangit etc.

De Gula.

10. *Quid est gula?*

Est inordinatus usus cibi, et potus (1). Quae quidem dicitur comessatio, et crapula, si versetur circa immoderatum usum cibi, et potus; si vero circa immoderatum usum potus tantum, usque ad violentam usus rationis privationem, dicitur ebrietas.

11. *Quibus modis potest peccatum hujusmodi committi?*

Quinque modis hoc versiculo contentis:

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Praepropere: quando scilicet sine necessitate, sed ex solo nimio desiderio manducandi tempus comestionis notabiliter praevenitur. *Laute*: quando quis utatur cibis delicatis, et exquisitis vinis ultra propriam conditionem, in quibus nimis studiose se delectat. *Nimis*: quando nempe committitur excessus cibi, et potus praeter mensuram moderatae refectionis. *Ardenter*: quando avidum, et studiosum habetur desiderium ad cibos, et potum sumendum. *Studiose* demum: quando quis ex industria excitari studet ad comedendum per plura ciborum genera, vel per artificiosam praeparationem eorum.

12. *Quandonam gula est peccatum grave?*

In sequentibus casibus: nempe quando in gula ultimus finis constituitur; ita ut propter ventrem omnia fiant ad quaerendas delicias in cibo, et potu; etiamsi peccatum mortale debeat committi. Rursus quando propter gulam aliquod medium mortaliter peccaminosum adhibetur, vel notabiliter sanitati detrimentum affertur, vel alia gravia mala familiae, muneri proprio. Item quando quis comedit usque ad vomitum; aut vomitum procurat ad iterum manducandum (2). Damnata est enim propositio ab Inno-

---

(1) Unde dicitur gulosus, qui utitur cibo, et potu principaliter ad voluptati satisfaciendum, non necessitati.

(2) Ex Salmanticensibus cum aliis apud D. Ligorium lib. 5. n. 73. 2. non est peccatum grave ex genere suo comedere, vel bibere usque ad vomitum, nisi adsit scandalum, vel notabile nocumentum valetudinis.

cent. XI.: *comedere, et bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non esse peccatum; modo non obstet valetudini.* Denique est peccatum grave extra extremam necessitatem, et usum medicaminis necessarii comedere carnem humanam.

13. *In quo consistit gravis malitia ebrietatis, seu quandonam est peccatum grave ebrietas?*

Quando quis sciens, et volens, se usque ad privationem usus rationis perfecte inebriat, peccatum mortale est. Nam censetur Deo injuriosum, ejus imaginem sic deturpare; et graviter opponi rectae rationi. Hinc non est peccatum mortale, si ex potu vini non amittitur totaliter usus rationis, quamvis mens perturbetur; non adeo tamen, ut ebrius discernere non valeat inter bonum, et malum. Vide D. Ligorium loc. cit. num. 75. 1. (1). Item peccatum mortale non est si nulla sit praevisio ebrietatis, quatenus scilicet potio, praevideatur quidem esse immoderata, at existimatur non esse potens ad ebrietatem ex Divo Thoma 2. 2. q. 150. a. 2.

De Invidia.

14. *Quid sit invidia?*

Est tristitia de bono alterius, prout concipitur illud bonum tamquam diminutivum propriae excellen-

---

(1) Ex D. Ligorio loc. cit. n. 76. probabilius est, licere se inebriare ex consilio medicorum, si potio vini praebeatur ad expellendos morbos, licet indirecte eveniat inebriatio; non vero si directe praebeatur ad inebriandum, quia tunc est intrinsece malum. Sic etiam ex eodem Ligorio n. 77. licet inducere aliquem ad ebrietatem ob impeditionem gravioris mali, puta sacrilegii, homicidii, etc. Sedulo advertendum est ex eodem D. Ligorio, quod si sumatur tanta vini quantitas, quae est apta ad inebriandum, et hoc praevidetur; peccatum mortale est; quamvis privatio usus rationis per somnum praeveniatur. Signa perfectae ebrietatis sunt: si quis non valet discernere quid licitum, quid illicitum; si experrectus ab ebrietate non meminerit dictorum, factorum; si commiserit, ea, quae nunquam sana mente solet.

tiae. Est directe contra charitatem; siquidem invidia bonum proximi destructum optat, vel non destructum dolet (1).

15. *Quale peccatum est invidia?*

Ex genere suo est peccatum grave.

De Acedia.

16. *Quid est acedia?*

Acedia, sive desivia late sumpta, est taedium, seu animi remissio in exercitio virtutum, quatenus laboriosum, et corpori molestum. Stricte sumpta, est taedium de Divina amicitia, quatenus per laboriosum exercitium virtutum quis illam servare fastidiat, et ideo non curat Dei amicitiam. Hinc acedia stricte sumpta semper est peccatum grave, quia repugnat charitati Dei; late sumpta est peccatum grave, vel leve, prout ad illud exercitium tenemur.

17. *Quaenam remedia assignari solent contra peccata capitalia?*

Omnibus peccatis remedium potissimum est meditari hominum novissima, juxta illud Ecclesiastici cap. 7. 40. *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Pro superbia meditatio nostrae indignitatis ob peccata, et miserias nostras; recordatio brevitatis vitae praesentis; conversatio cum humilibus; exemplum humilitatis Jesu Christi, B. Virginis, et Sanctorum. Pro avaritia, exercitatio liberalitatis, eleemosynae, cogitatio caducitatis rerum terrenarum, et existimatio thesauri aeternae felicitatis. Pro luxuria meditatio passionis Jesu Christi, et dolorum B. Virginis Mariae; recordatio divinae praesentiae, et

---

(1) Invidia differt ab aemulatione, quae est moeror ex bono alterius, quo caremus, et potiri optamus sine desiderio, quod alteri desit. Quae aemulatio non est peccatum, si sit de licitis. Differt etiam ab indignatione, et timore; quia indignatio est displicentia de bono ab indigno possesso; et timor est tristitia animi de bono alterius, ex quo aliquod malum nobis, vel nostris timemus.

ultionis Divinae interminatae contra luxuriosos; oratio ad Beatam Virginem, praecise per salutationem Angelicam, seu *Ave Maria*, et canticum *Magnificat* facie ad terram; mortificatio corporis per jejunium, et alias asperitates; fuga otii, et occasionum, et familiaritatis cum sexu diverso; humilitas, frequentia Sacramentorum etc. Pro ira meditatio patientiae, et mansuetudinis; meditatio malorum provenientium ex ira; silentium in ira, et sedula precatio ad Deum, B. Virginem ad impetrandum donum patientiae etc. Pro gula fuga sociorum gulam quaerentium, et prandiorum, in quibus nimis ventri indulgeatur; poenae Inferni repraesentatio. Pro invidia cogitatio inutilitatis invidiae, assimilationis Diabolo; et meditatio charitatis Dei erga proximos nostros. Pro acedia excellentia mercedis aeternae, brevitas poenarum et laborum; affectus, et amor Dei erga nos: qui adeo dilexit nos, ut nullam poenam, et laborem amantissimus, ut erat, praetermiserit ad vitam aeternam nobis comparandam.



EPITOME seu COMPENDIUM

EXPLANATIONUM

IN BULLAM S. CRUCIATÆ

CONCESSAM REGNO NEAPOLITANO,

Confectum ex insigni Opere elucubrato

A CAJETANO VELLA

METROPOLITANÆ ECCLESIÆ NEAPOLITANÆ CANONICO.



Hoc compendium, quod paucis ab hinc annis confeci, et typis mandavi ad commodiorem Confessariorum usum, tertiae hujus Theologiae Moralis Epitomes Parti addere censui, ut consilio amicorum, atque utilitati Confessariorum satisfacerem.

Primum autem animadvertas, quaeso, me in hoc opusculo inter plures Doctorum opiniones tantum sententiam Auctoris Vella collegisse, atque exposuisse, nihilque ferme mei adjecisse, ne a compendii ratione excederem. Id autem mihi praecipue agendum esse arbitratus sum, ut nempe singulas per diversos hujusce Bullae Apostolicos Commissarios declarationes factas, minime praetermitterem. Quamobrem declarationes primum ab Eminentissimo Archiepiscopo Josepho Capycio Zurolo, primo istius Bullae Regno Neapolitano concessae Apostolico Commissario, prolatas, partim suis in locis quaesitorum responsionibus adposui, partim in calce adnotavi. Deinde vero alias declarationes ab Eminentiss. Commissario Apostolico ipsius Bullae, Aloysio Ruffo Scylla fel. rec. editas, eidem operi adnexui. Tandem omni cura, et studio nuperam servavi declarationem ab Eminentiss. Ar-

chiepiscopo Philippo Judice Caracciolo factam; qui Neapolitanam Ecclesiam nunc fauste regit, atque Bullae Cruciatae Commissarius Apostolicus existit, (quem Deus sospitet semper, ac servet incolumem); ejusque jussu, et auctoritate in calce hujus Epitomes retuli. Quae quidem declarationes Commissarii Apostolici S. Cruciatae Bullae quanti sint, neminem Theologorum latet; quippe quae authenticam interpretationem habent. Nam ex speciali Summi Pontificis commissione generalis Commissarius Bullae S. Cruciatae in definiendis quaestionibus circa illam tanta facultate, et jure perinde potitur, ac si ipse Summus Pontifex definiret, ac declararet (1).

---

(1) Lege in Opere laudati Vella T. 2. pag. 72. quaesit. 4.

Declarationes, quas heic adposui Commissarii Bullae S. Cruciatae concessae Regno Neapolitano authenticae interpretationis vim habent tantum in Bulla Regno Neapolitano, seu citra Pharum concessa, quia pro ipsa tantum Bulla commissio demandata fuit.

PARS PRIMA

§. I.

Ubi et nominis etymon, nonnullaeque quaestiones ad Bullam ipsam pertinentes in antecessum elucidantur.

Quid sibi velit Bulla Cruciatae, et quid praeseferat Bulla isthaec nobis concessa?

Nomen istud derivare certum est ab illis Christifidelibus, qui se ascribebant militiae contra Turcas in expeditione pro liberatione Hierosolymorum. Cum enim isti pro tessera militari signum crucis in scapula dextera adsutum vestibus gestarent, ideo dicti sunt cruce signati, et expeditio illa *Cruciata* appellata est. Inde igitur Bulla nostro Regno a Pontifice concessa rogante Rege nomen accepit, cum multa privilegia, et indulgentias concedit conferenti stipem aliquam determinatam in subsidium belli contra Infideles, vel in aliud opus pium a Pontifice concedente intentum (1).

Q. 1. *Utrum necesse sit, ut Bulla haec recipiatur, atque a recipiente retineatur, ut Bullae privilegiis quis perfruatur?*

Minime. Sufficit enim stipem, sive eleemosynam in hujusmodi opus conferri apud Depositarium.

Hinc quaeritur: Sufficitne ad hujus Bullae privilegiis perfruendum, haberi intentionem accipiendi Bullam, seu conferendi eleemosynam?

Minime. Nam hoc in casu exigitur factum ipsum tamquam conditio sine qua non; ut patet ex verbis Bullae: *Dummodo aliquam eleemosynam . . . sponte contulerint*; et ex responsione, seu declaratione Commissa-

---

(1) *Uti videre est ex hisce verbis Bullae a Leone XII. concessae*: Habita etiam ratione impensae tum in navigantium, tum in istius Regni portuum tranquillitatem necessario agendae. *Ex quibus intelligitur, praeter alias rationes a Pontifice intentas etiam haberi rationem impensae pro navigantium, et portuum tranquillitate.*

rii Eminentissimi Archiepiscopi Josephi Capicii Zurolo: *Quaesitum fuit: num qualiscumque Minister, aut Officialis destinatus ad aliquod officium pertinens ad Cruciatam, uti Notarius, Cursor, gaudeat immunitate per Bullam concessam; et num illam h. e. Bullam, accipere sibi debeat, aut etiam illam non accipiendo perfruatur omnibus, et singulis concessionibus in praedicta Bulla contentis?* « Responsum est: omnes Ministri, » atque Officiales destinati ad officium Cruciatae, uti » esset Vicecommissarius, Concionator, Distributor, Notarius, Cursor cujuscumque terrae, et regionis, perfruuntur Bulla gratis. At nisi ipsam Bullam sibi suscipiant, aut gratis, aut per erogationem definitae » eleemosynae, nemo perfrui potest concessione privilegiorum, quae sunt ei adnexa (1) ». Ex qua quidem declaratione satis superque ratio responsionis apparet. Si enim de illis personis, quibus gratis conceditur Bulla, quaeque idcirco quodammodo uti jam recepta habetur, declaratum fuit, quod non perfruantur privilegiis, nisi de facto Bullam recipiant: ergo majori ratione idem declaratum deducitur pro ceteris, qui perfrui volunt hujusmodi privilegiis. Proindeque erronea, et futilis opinio est eorum, qui docent: posse quemque frui privilegiis Bullae, antequam illa recipiatur, aut eleemosyna definita erogetur, modo habeatur intentio Bullam recipiendi, aut eleemosynam definitam erogandi.

Hinc quaeritur: Peccaretne si quis sola intentione accipiendi Bullam frueretur privilegiis ipsius Bullae?

Maxime; et graviter peccaret.

Hinc quaeritur: Quid si quis putans bona fide recipere Bullam collata eleemosyna, acciperet aliam chartam, anne uti poterit privilegiis Bullae?

Maxime. Nam concessio privilegiorum ex nostra Bulla non pendet a receptione, et conservatione ipsius Bullae, sed a sola collatione eleemosynae in opus a Bulla praescriptum; vel ad summum dependet a notatione nominis recipientis apud depositarium: quia depositarius habens

---

(1) Eiusdem Operis Vella Tom. 2. Append. 1. §. 12 pag. 46. Dub. XII. quaes. 2.

fidem de eleemosyna eroganda, jam penes se tenet eleemosynam, tamquam collatam, et depositam, ita ut ipse fidejubeat.

Hinc quaeritur: Quid, si cognoscatur error, potestne iste deceptus frui Bullae privilegiis.

Maxime; ideoque non censetur cogi veram Bullam accipere.

2. *Num Bulla pro uno accepta, qui forsitan ea non indigebat, possit alteri applicari?*

Maxime. Nam Bulla ante acceptationem illius, pro quo est accepta, manet in pendenti; ideoque potest alteri applicari.

3. *Num Bulla accepta pro absente, eidem prodesse valeat?*

Maxime: modo ille inter nostri Regni confinia reperiatur.

Hinc quaeritur: Num sola moralis praesumptio acceptae Bullae alicui prodesse possit?

Minime. Nam quisque debet esse certus, saltem morali certitudine, Bullam pro ipso acceptam esse. Nec sufficit id praesumere ex eo, quod quotannis pro ipso accipiunt parentes, vel amici, vel alii; agitur enim de re gravis momenti.

4. *An praedicta Bulla prosit etiam exteris hominibus heic apud nos commorantibus, aut huc accedentibus?*

Maxime: uti patet ex ipsis verbis Bullae. At si in fraudem accederent, ut accipiant scilicet Bullam, et statim revertuntur ad sua, probabilius est, illis non prodesse.

5. *An etiam exeuntibus a Regni nostri finibus prosit isthaec Bulla heic accepta?*

Maxime, excepto privilegio vescendi ovis, lacticiniis, et utendi adipe ad condimentum: ut ex verbis Bullae patet. Nam alia privilegia adhaerent personae; hoc autem privilegium vescendi ovis etc. affixum est loco.

6. *Num etiam Excommunicati possint frui privilegiis Bullae?*

Excepto privilegio Indulgentiarum possunt excommunicati frui privilegiis Bullae: dummodo non sint haeretici, et schismatici; quia haeretici et schismatici

non sunt amplius Christifideles, quibus Bulla expressis verbis concedit haec privilegia.

7. *Num ex prava confidentia Bullae quis reservata committens perfruatur privilegio ejusdem Bullae, ut ab eisdem absolvi possit per Confessarium electum?*

Non potest frui hujusmodi privilegio, nec absolvi; cum ex ipsis Bullae verbis luculenter id constet (1).

Hinc quaeritur: Quid si quis confidentia ejusdem Bullae ductus, vota nuncupet Deo, num idcirco privandus sit privilegio dispensationis per eamdem Bullam concesso?

Minime. Id enim ex verbis Bullae non constat.

8. *Num isthaec Sanctae Cruciatae Bulla censeatur revocata, aut suspensa per Bullam Jubilaei?*

Minime, ex probabiliori sententia, ut docet Colet (2).

9. *Num privilegia Bullae morte Pontificis expirent?*

Minime. Nam gratia facta non expirat per mortem concedentis, etiam re integra; ejusmodi autem sunt privilegia ex Bulla Cruciatae nobis concessa.

10. *Quale sit tempus durationis hujusce nostrae Bullae, et unde sit computandum; et in quem diem desinat?*

Tempus durationis hujus Bullae est sexennium. Pro recipientibus autem est integrum anni spatium. Bullae hujus initium est computandum a die promulgationis ipsius Bullae: hoc autem interposito discrimine: quod initium numerationis sexennii ducendum sit a prima promulgatione hujus Bullae; pro recipientibus vero annus computandus est a die promulgationis, quae singulis annis fit. Desinit Bullae vigor in diem, in quo completur sexennium; pro recipientibus vero desinit annus in diem novae promulgationis ejusdem Bullae. Ideoque annus computatur Ecclesiasticus, non naturalis; proindeque potest esse alias longius, alias brevius; uti accidit in computatione anni pro praecepto annuae Communionis, quando computatur a Paschate ad Pascha.

(1) Ex confidentia Bullae peccare, est quando confidentia in Bullam inducit ad perpetrandum peccatum, sine qua peccatum non committeretur.

(2) Et ut diffusius apparebit, cum sermo erit de indulgentiis.

Hinc quaeritur: Quid, si contingat, Bullam non esse amplius promulgandam, quia forte revocata, vel quia in longum tempus differenda est ejusdem promulgatio; in quem diem desinat tempus durationis ejusdem?

Eo in casu annus durationis computandus est tamquam annus solaris, seu naturalis; prout consentaneum est rationi, et menti Pontificis; secus in longius protraheretur: quod est contra communem computationem anni.

11. *Num Bullae privilegia stricte, aut late interpretari liceat?*

Litigant Doctores, sed probabilius dicendum est ex Auctore, stricte esse interpretanda: tum quia sunt contra jus commune, ideoque odiosa; tum quia sunt privilegia passiva quoad dispensationem, et absolutionem; seu non in gratiam concessa dispensantis, seu absolventis, sed dispensati, seu recipientis Bullam. Quod etiam colligi potest ex responsione Benedicti XIV. ad Episcopum Compostellae: *tenorem Bullae Cruciatae stricte, et considerate est perpendendum.*

§. II.

De facultate dispensandi in votis per Bullam concessa.

Q. 1. *Quid facultatis circa vota nobis per Bullam S. Cruciatae deferatur, commutandine, an dispensandi?*

Neque mere dispensandi, neque mere commutandi est facultas, sed dispensandi adjuncta commutatione, seu mixte dispensandi, scilicet commutandi in minus: uti patet ex verbis Bullae.

2. *Quid juris deferat hujusmodi concessa facultas, mixte dispensandi?*

Ex strictiori intelligentia defert, ut votum saltem in aliquod bonum aliquantulo minus commutari possit. At ex ipso Auctore proponitur doctrina Theologorum, ex qua constat, posse votum in aliquod bonum etiam multo minus commutari; tum quia per Bullam hujusmodi defertur facultas dispensandi commutando, non commutandi dispensando; tum quia ex Bulla Italice exarata

dicitur: *potrete essere dispensati dai voti semplici, che si dovranno commutare secondo le regole della Chiesa, e la prudenza del Confessore in altre opere pie proporzionate.* Porro proportio non dicit aequalitatem, sed quamdam proportionatam commensurationem.

3. *Num in facultate dispensandi in votis contineatur etiam facultas commutandi?*

Lis inter DD., cum sermo sit de facultate delegata; attamen ex Auct., uti est rationi consentaneum, continetur facultas commutandi in facultate dispensandi. Nam in eo, quod plus sit, semper inest minus. Ex lege *In eo* 9. §. *De Divers. Reg. Juris*; et juxta regulam *Cui licet plus* 53. in 6.

4. *Ad dispensandum, sive commutandum in votis requiriturne causa?*

Maxime: quia Praelatus ex causa determinat votum non obligare.

Hinc quaeritur in genere: Quid dicendum de hujusmodi potestate commutandi; et an legitima deficiente causa irrita fiat commutatio?

Si commutatio fiat in minus bonum, et legitima desit causa, irrita erit commutatio; si in aequale auctoritate Praelati facta, nulla intercedente causa, quaestio inter DD. Ex Auctore probabilius dicitur esse invalida, si absque ulla omnino causa fiat.

5. *Cujusmodi sit oporteat causa, quae requiritur sive ad dispensandum, sive ad commutandum?*

Si sermo sit de dispensatione, requiritur causa obstans executioni ipsius voti ex D. Th. 2. 2. q. 88. art. 10. Idem dicendum de commutatione mixta, scilicet in minus. At in commutatione in aequale qualiscumque causa, saltem ipsum desiderium, et postulatio voventis, sufficit ad commutandum.

Hinc quaeritur: Quid dicendum, si dubium incurrat de sufficientia causae ad dispensandum?

Hac in hypotesi in benigniorem partem esse inclinandum docet Sanchez; saltem si ex hac dispensatione aliqua erit spes utilitatis, et nihil timetur scandali. Alioquin supervacanea esset dispensandi potestas, cum raro constet de sufficientia causae.

6. *Num ad dispensandum juxta Bullae nostrae praescriptum requiratur causa, et qualis?*

Maxime; et causa obsistens executioni voti.

Hinc quaeritur. Quaenam sint causae istae executioni voti obsistentes?

Causae hujusmodi aliae sunt ex parte rei votae, aliae ex parte voventis. Ex parte rei votae sunt: si res vota simpliciter evaserit mala, aut inutilis, aut impeditiva praestantioris, vel majoris boni. Ex parte voventis sunt: si votum fuerit emissum sine prudenti, ac perfecta deliberatione, ut accidit in votis puerorum, muliercularum; vel si votum factum fuerit ex subito iracundiae impetu, vel expressum per metum ex intrinseco libero, sive ex extrinseco naturali; vel per dolum, et fraudem; vel tandem si votum fiat ipsi voventi occasio ruinae spiritualis, vel tale periculum includat, uti si magna occurreret implendi difficultas, vel vehemens instaret periculum transgressionis. Aliae demum causae proveniunt ex causa extrinseca pertinente ad bonum commune, aut privatum ipsius voventis.

7. *Quaenam ratio servanda sit in commutatione, quae admiscenda est dispensationi juxta praescriptum nostrae Bullae; tum praesertim in meris, et aequalibus commutationibus faciendis per Bullam Jubilaei?*

Licet esset optimum, ut vota realia in alia onera realia, et personalia in alia personalia commutentur; et ita servata proportione in votis mixtis; tamen hoc non exigitur ex natura rei: ut constat ex variis legibus Canonicis; dummodo non sit ita praescriptum, vel per legem, vel per delegatam potestatem. Si quis desideret aliquam praxim circa modum commutandi, adeat Auctorem parte prima §. 2. quaes. 7., ubi diffuse.

8. *Quaenam sint vota simplicia, quaeque solemnia; quaeque demum reservata; et unde profluat ista reservatio?*

Vota solemnia sunt, quae emittuntur in professione Religionis approbatae, et in susceptione sacri Ordinis Subdiaconatus. Alia vota sunt simplicia, inter quae quinque sunt reservata: scilicet, votum perpetuae castitatis, votum ingrediendi Religionem, et tria vota peregrinatio-

nis, ad Jerusalem, ad limina Apostolorum, et ad Compostellam. Reservatio isthaec ab universali potius consuetudine repetenda est, quam ab Extravaganti: *Etsi Dominici* 2. inter Comm. Tit. de Poenit., et Remiss., quae est Xysti IV.: qui immo invectam consuetudinem illa Extravaganti confirmavit.

9. *An isthaec votorum reservatio comprehendat etiam juramenta castitatis scilicet, Religionis, et triplicis peregrinationis; adeo ut et ista Pontifici reserventur, cum absolute, et simpliciter fuerint emissa?*

Litigium inter DD.; at ex Auctore probabilius sunt etiam reservata perinde, ac vota. Nam juramentum promissorium Deo factum includit votum.

10. *Num hanc reservationem votorum stricte intelligere, atque interpretari oporteat?*

Maxime; quippe quae est odiosa potestati Episcoporum (1).

11. *Num concessa per Bullam, aut privilegium generali facultate dispensandi in omnibus votis, etiam reservata in illa facultate includantur?*

Minime; quia ex regula juris 81. in 6. dicitur: *in generali concessione illa non veniunt, quae quis non esset in specie verosimiliter concessurus*: et de hoc definitive declaravit Xystus IV. in Extravag. *Etsi Dominici* cit.

12. *Num per formam concessionis generalem dispen-*

(1) Nam potestas Episcoporum per hujusmodi reservationem coarctatur. Ex quo ergo sequitur, ut merito docet Suarez, tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 21. n. 1., animadvertendum esse, quod hoc non fit per concessionem; et ideo regula affirmativa valeat: *ea nempe tantum possunt Episcopi in votorum dispensatione, quae ipsis fuerunt concessa*; sed hoc evenit per potestatis ablationem in votis dispensandis, et quasi per diminutionem ordinariae jurisdictionis, quam callent ipsi Episcopi; idcirco regula negativa tenenda: *ut nimirum omnia possint, quae eisdem non fuerunt prohibita.* Hinc ex. gr. urgente aliqua necessitate, non permittente Papam adire: vel dubio superveniente, an omnes concurrerint conditiones, ut votum sit reservatum, etc. hisce in casibus, possunt Episcopi dispensare. Tunc equidem viget, ac quodammodo suboritur ordinaria ipsorum potestas.

sandi in omnibus votis, etiam reservatis, aut eadem commutandi; omnia omnino reservata vota, etiam castitatis, et Religionis concessa intelligantur, quod ad dispensationem, vel commutationem attinet?

Maxime: dummodo aliquod illorum expresse, vel tacite non excipiatur: tacite scilicet, quando excipiuntur aliqua vota inferioris ordinis, vel minoris momenti. His in casibus non habetur facultas dispensandi, vel commutandi vota superioris ordinis, vel majoris momenti. Hinc ex. gr. si datur facultas dispensandi in votis reservatis, excepto voto peregrinationis in Hierosolyma; tunc Auctor tenet uti probabilius, etiam illa vota castitatis, et Religionis non esse concessa; dummodo aliud non constet.

13. *Num potestas facta per Bullam Cruciatae, vel Jubilaei sive ad dispensandum, sive ad commutandum vota, intelligenda sit tantum de illis, quae ante concessionem Bullae fuerint emissa, an etiam de illis, quae postea forte emittentur?*

Est intelligenda de omnibus votis, sive emissis ante, sive post concessionem Bullae.

14. *Quibus in votis nobis fiat potestas dispensandi per Bullam nostrae Cruciatae, adjuncta commutatione?*

In votis tantum simplicibus, uti ex Bulla patet.

15. *Num per laudatam Bullae nostrae concessionis formulam in omnibns omnino simplicibus votis, etiam castitatis, et Religionis concessa sit potestas dispensandi adjuncta commutatione?*

Lis erat inter Theologos, sed jam definita res est. Ex declaratione Eminentissimi Commissarii Zurolo est concessa facultas per nostram Bullam in omnibus votis simplicibus, etiam castitatis, et Religionis; etiamsi sint reservata: uti videre est apud Auctorem Tom. 2. dub. XI. p. 44. Attamen ipse Commissarius declaravit, non posse commutari vota perseverantiae, aliaque emitti solita in quibusdam Congregationibus, vel quia speciali ratione sunt reservata, vel quia quamdam induunt vim solemnium votorum. t. 1. pag. 75. ad quaest. 15.

16. *Num quandoque possint Confessarii virtute Bullae Cruciatae in ipsis reservatis dispensare commutando,*

aut eadem commutare virtute Bullae Jubilaei?

Virtute Bullae Cruciatae dictum est in praecedenti responsione. Virtute Bullae Jubilaei potest Confessarius tunc, quando votum reservatum a lege reservationis eximitur; vel propter circumstantiam extrinsecam occurrentem, vel quando desunt conditiones necessariae, quibus votum fiat reservatum: uti videre est apud Theologos.

Hinc quaeritur. Quid si quis voveat, sese emissurum votum castitatis?

Non est hujusmodi votum censendum reservatum: quia non est immediate, nec proprie votum castitatis.

Abs re non erit aliqua prae oculis ponere, quae de commutatione votorum Bened. XIV. decrevit in occasione Jubilaei An. Sancti, scilicet:

Ne commutentur vota, in quibus agitur de praejudicio tertii. Vota simplicia perseverantiae, seu alia emitti solita in aliqua Congregatione, vel Communitate, et vota obligatoria a tertio acceptata, non possunt commutari. Item vota poenalia, seu praeservativa a peccatis; nisi aliquae circumstantiae adsint, quibus fiat, ut commutato voto vovens aeque removeatur a peccato committendo.

§ III.

In quo proponuntur, atque expediuntur, quae supersunt quaestiunculae, circa facultatem concessam dispensandi in votis ex praescripto nostrae Bullae.

Q. 1. *Num delegata Confessariis potestas, sive dispensandi, sive commutandi vota, possit extra Sacramentum Poenitentiae sive extra confessionem exerceri?*

Minime; quia concessa est facultas haec Confessario eligendo; ideoque refertur haec facultas in ordine ad confessionem: uti patet etiam ex declaratione Commissarii Apostolici Zurolo ab ipso Auctore interrogati (1). Posse autem Confessarium electum in actu Sacramentalis con-

(1) Ejusdem Operis Vella Tom. 2. pag. 82.

fessionis commutare vota, etiamsi non compleatur sacramentali absolutione confessio, explorata res est: ut mihi visum est (1).

2. *Num recepta Bulla, et contributa eleemosyna, statim quis a vinculis votis absolutus maneat per dispensationem in eadem Bulla concessam?*

Minime; quia isthaec dispensatio collata est in forma commissoria; ideoque debet conferri a Confessario electo ipsi poenitenti roganti. Et quamvis Confessarius absolvat poenitentem a peccatis, nisi actu dispenset, vel commutat, minime quidem remanet poenitens dispensatus.

3. *Num possit Confessarius per facultatem Cruciatae, vel Jubilaei generaliter vota commutare in alia opera postmodum declaranda?*

Maxime quidem. Nam per facultatem ejusmodi vota commutat tempore jurisdictionis; ipsa vera opera, quorum determinatio attinet ad prudentiam, non ad jurisdictionem, necesse non est, ut eodem tempore declaret: potest enim postea declarare. Immo ex Suarez potest etiam poenitenti roganti commutationem tempore habili, postea alio tempore commutare, vel dispensare commutando; siquidem eo tempore Confessarius recepit postulationem, jam acceptavit potestatem, inchoavit causam, et quodammodo concessit commutationem.

4. *An facta generali commutatione eo modo, quo diximus, cesset voti obligatio, etiam antequam Confessarius aliud pium opus praescribat?*

Etsi affirmative doceat Sanchez, tamen ex Auct., et aliis Theologis minime cessare probabilius constat; quia

---

(1) Nam quando dicitur *in Sacramentali Confessione*, ex se intelligi nemo ignorat: in actu, seu in ipso exercitio Confessionis ordinatae ad absolutionem, nempe in foro Sacramentali. Non equidem sequitur, necessario complendam esse absolutione Confessionem, ut dici possit Sacra mentalis Confessio; sed tantum fieri isthanc debere in ordine ad absolutionem. Cui explicationi concordant verba Bened. XIV. in Bulla *Convocatis*, quae ita se habent: *hujusmodi commutationes non possunt exerceri extra actum Sacramentalis confessionis*; et in Bulla Inter praeteritos §. 63. *Confessarii tantum in foro Sacramentali possunt vota commutare.*

nisi succedat alia obligatio substituta priori, quod prior firma maneat, unusquisque videt; secus sine ulla obligatione remaneret vovens.

5. *Num completo termino annuae durationis Bullae, aut tempore praefixo ad Jubilaeum, possint etiam vota commutari ante illa tempora emissa, vel intra, licet ipsorum tempore idoneo nulla fuerit petita commutatio?*

Quoad attinet ad Bullam Cruciatae pro liquido est non posse commutari. Quoad Jubilaeum lis inter DD.; at ex Auct. probabilius non possunt commutari, quia expirato Jubilaei tempore Confessarius ad id eligi non potest; ideoque non habet amplius hanc facultatem.

6. *Num vota reservata, quorum commutatio conceditur per Bullam nostram Cruciatae, possint intra tempus durationis Bullae toties commutari, quoties emissa fuerint?*

Maxime, quia nulla limitatio est in Bulla.

7. *Num facultas isthaec nobis concessa dispensandi in votis extendatur etiam ad juramenta pia, illa scilicet, quae in solius Dei honorem cedunt?*

Maxime: quia ista juramenta tamquam vota habentur.

8. *Num idem omnino dicendum sit de votis juramento confirmatis, aut juratis votis?*

Litigium adest inter DD. Attamen ex Auct. non licet commutari, vel dispensari hujuscemodi vota; quia non est extendendum privilegium Bullae Cruciatae ad casus, de quibus merito dubitatur, an sub illius concessionibus sint comprehensi; privilegium enim hac in re stricte interpretandum est.

9. *Quid dicendum de juramentis metu gravi extortis, vel per injustitiam, num illa possint per facultatem Bullae Cruciatae, sive Jubilaei circa vota dispensari, vel commutari?*

Minime; quia cum hujusmodi juramenta non fiant intuitu pietatis, nec Deo, nullam voti rationem inducunt, sed tantum merae promissionis humanae. Quidquid alii contrarium dicant.

10. *Utrum potestas facta dispensandi in votis, vel eadem commutandi extendatur ad vota facta in commodum tertii?*

Distinguendum: si hoc votum pure, et nude fiat, promittendo tantum Deo, tunc potest commutari; quia nullum jus acquisivit tertius. Si fiat promittendo simul Deo, et homini, qui jam acceptavit promissionem: nempe si promittatur ex. gr. dos puellae, et Deo cum voto, et tunc non potest dispensari, vel commutari.

11. *Num in voto reservato, quod Pontificia auctoritate fuerit commutatum in aliud opus non reservatum, possit per Bullam Cruciatae, aut Jubilaei dispensari?*

Maxime; quia non est amplius reservatum.

12. *Num dispensatio, aut commutatio possit fieri irrita ex causa obreptionis, vel subreptionis?*

Maxime; tum si dispensetur a Superiore, tum si a quocumque talem delegatam facultatem habente.

Hinc quaeritur. Cujusmodi sit oporteat isthaec subreptio, aut obreptio, ut invalidam efficiat dispensationem?

Subreptio habetur, quando reticendo veritatem aut non satis declaratur substantia voti, aut aliqua legitima non proponitur causa; sed aut impar, aut insufficiens ad dispensandum. Obreptio habetur, quando aliquid additur voto, vel detrahitur, quo substantia voti mutatur narrando falsum, vel negando verum, aut falsa causa proponitur ad obtinendam dispensationem (1).

§. IV.

De facultate eligendi Confessarium per Bullam S. Cruciatae nobis concessa.

Q. 1. *Qualis debeat esse Confessarius ex praescripto nostrae Bullae?*

Debet esse Confessarius approbatus ab Ordinario.

2. *A quonam Ordinario oporteat esse approbatus Confessarius iste eligendus?*

Sacerdos sive saecularis, sive regularis eligendus, oportet, ut sit approbatus ab actuali Ordinario loci, in quo ipsi poenitentes degunt: uti ex Const. Inn. XII. *Cum*

(1) Vide in Append. 6. q. 18., et seqq.

sicut non sine. Idem dicendum de Confessariis eligendis in Jubilaeo, uti patet ex Benedicto XIV., et aliis Pontificibus.

3. *Utrum Confessarius approbatus ad certum locum, tempus, ac personas ex privilegio dictae Bullae possit eligi extra dictum locum, tempus, atque ab aliis, quam a designatis personis?*

Minime; quia Bulla Cruciatae non continet privilegium circa approbationem Confessariorum contra formam Tridentini.

4. *Num hoc idem asserendum sit de Regularibus, quantum spectat ad confessionem saecularium?*

Maxime: ex supra allata ratione.

5. *Num Parochus ratione solius Beneficii Parochialis approbatus possit ex privilegio, sive Cruciatae, sive Jubilaei eligi in Confessarium tam intra hujusmodi Dioecesis confinia, quam alibi, ubicumque forte diversetur?*

Parochus ratione solius Beneficii Parochialis approbatus, ab omnibus suis subditis, potest eligi in Confessarium ad privilegia Bullae tum Cruciatae, quam Jubibilaei praestanda non solum intra Paroeciam, sed etiam ubique locorum, nulla etiam petita, vel obtenta Episcopi loci approbatione. Contra vero Parochus, qui extra suam Paroeciam, et Parochialem jurisdictionem non habeat aliam jurisdictionem excipiendi confessiones, saltem in nostra Neapolitana Dioecesi, non potest eligi extra Parochiam, aut a sibi non subditis. Parochus vero, qui beneficium Parochiale sponte dimiserit, aut eodem fuerit per sententiam privatus; aut ab officio, vel sola etiam jurisdictione fuerit suspensus, nequit valide confessiones excipere; proindeque nequit in Confessarium eligi ex privilegio Bullae Cruciatae, vel Jubilaei.

6. *Num Sacerdos generali tantum facultate approbatus ad audiendas Confessiones saecularium utriusque sexus possit in Confessarium eligi a Monialibus perdurante privilegio Bullae Cruciatae?*

Minime; quia requiritur specialis approbatio pro Monialibus.

7. *Num Confessarius censura irretitus, aut irregularis eligi poterit a poenitente, ut privilegia Bullae eidem attribuat?*

Maxime, potest eligi; et etiam licite, et absque peccato, si poenitens justa de causa istum Confessarium petat: dummodo non sit iste Confessarius ligatus ea censura, quae privat eum etiam jurisdictione. Recole doctrinas theologicas hac de re.

8. *Num facultas eligendi Confessarium concessa per Bullam nostrae Cruciatae suffragari poterit Regularibus, ut a casibus Papae reservatis per Confessarium eligendum absolvi possint?*

Minime: patet enim tum ex Constit. Urbani VIII. *In specula*, tum ex Const. Benedicti XIV. *Indulta Apost.* Hinc extensio nostrae Bullae Cruciatae facta Regularibus a Leone XII. intelligenda est quoad privilegium dumtaxat edendi ova, lacticinia, et sagimine utendi, non vero ad alia. At virtute Bullae Jubilaei ex doctrina Theologorum magni nominis potest: uti etiam docere videtur Benedictus XIV. in Bullis ob Jubilaeum editis (1).

9. *Num confessarius complex cum poenitente in peccato turpi poterit ab eodem poenitente ex privilegio nostrae Bullae Cruciatae eligi, ut ejusdem peccati absolutionem eidem impartiatur?*

Minime; quia est semper ineligibilis: uti ex Const. Bened. XIV. *Sacramentum Poenitentiae*: in qua expresse id excluditur a privilegio Bullae Cruciatae, vel Jubilaei.

§. ULTIMUS.

De facultate absolvendi a reservatis per Bullam nostrae Cruciatae concessa.

Q. 1. Num facultas hic facta per nostram Bullam absolvendi a peccatis Sedi Apostolicae reservatis complectatur etiam facultatem absolvendi ab iisdem, cum censuram habeant adnexam eidem Apostolicae Sedi reservatam?

---

(1) Ex declaratione S. Concil. Cong. a Gregorio XIII. confirmata possunt Regulares vi Jubilaei eligere Confessarium ex approbatis ab Ordinario. Apud Pignatelli T. X. Consult. 30. n. 35. Vide etiam apud Ferrarium V. Bullae Cruciatae n. 51.

Maxime; quia casus reservati, et peccata reservata synonima sunt, ac promiscue hac in re pro eodem usurpantur. At quia Sedes Apostolica ordinario reservat ratione censurae, ideo, cum concedit facultatem a reservatis peccatis absolvendi, etiam a censuris reservatis intelligitur facultas concessa absolvendi (1).

2. *Quinam casus sint illi reservati Episcopis, a quibus per facultatem nostrae Bullae absolvere Confessariis prohibetur, non accedente eorum licentia?*

Sunt casus, quos vulgo dicere solemus *ab Episcopis*, seu *a nobis reservatos*. A casibus vero Episcopis reservatis, qui vulgo dicuntur *Nobis*, possunt poenitentes absolvi per facultatem nostrae Bullae Cruciatae uti: declaravit Commissarius Apostolicus Bullae Cruciatae Eminentissimus praelaudatus Zurolo (2).

3. *Num hujusmodi facultas concessa absolvendi a censuris possit exerceri extra Sacramentum Poenitentiae?*

Non potest: uti patet ex natura concessionis, et ex declaratione Benedicti XIV. facta Poenitentiariis occasione Jubilaei.

4. *Quonam pacto sit intelligendum illud* bis in vitae decursu, atque in mortis articulo valeant seligere sibi Confessarios, qui eos a peccatis Sedi Apostolicae, etc.?

Haec verba *bis in vitae decursu* hoc sensu intelliguntur: posse scilicet unumquemque Bullam accipientem eligere Confessarium, ut a Casibus Sedi Apostolicae reservatis absolvatur bis in quolibet anno, in quo accipit Bul-

---

(1) Etiamsi casus sit publicus: uti censet noster Auctor Vella T. 2. pag. 169. contra auctorem Operis. *La luce tra le tenebre.*

(2) Ejusdem operis Vella Tom. 2. Dub. 18. p. 53: declaratum invenies, publicam clerici levem percussionem (quae quidem est casus nobis, seu Episcopis reservatus) comprehendi facultate Bullae nostrae Cruciatae; nempe posse absolvi facultate Bullae. Ex qua proinde declaratione recte deducitur, tantum excludi casus ab Episcopis reservatos, seu *a Nobis*; non vero casus Episcopis a Sede Apostolica reservatos. Nam isti casus semper sunt Papalini, seu Sedi Apostolicae reservati; ex jure autem, vel a Pontificibus, aut a consuetudine tribuitur quoque Episcopis facultas hosce absolvendi.

lam; durante tamen illo anno, in quo accepit Bullam, et sic in quolibet sequenti anno accipiendo Bullam; dummodo id non fiat in confidentiam Bullae. Ideoque illud *bis in vitae decursu* est in vitae Bullae decursu, non in vitae temporalis accipientis decursu. Ita ex declaratione laudati Commissarii Zurolo (1). Illa autem verba, *atque in mortis articulo* indicant posse eligi Confessarium ab accipiente Bullam, ut a casibus reservatis etc. absolvatur in mortis articulo, vel periculo, toties, quoties in illo anno perdurationis Bullae inciderit in istum articulum, vel periculum: ita declaratum ut supra (2).

5. *Quid peculiare nobis elargiatur nostra Bulla permittens, ut in articulo mortis quis absolvi possit a reservatis?*

Peculiare est concessum hoc: scilicet, quod non tenetur Confessarius imponere poenitenti onus se praesentandi, neque poenitens obligatur ad hoc. Siquidem ex facultate nostrae Bullae poenitens absolvitur a delegato a Pontifice perinde, ac ab ipso Pontifice absolveretur; ideoque nulli oneri se praesentandi subjicitur. Praeterea Confessarius electus potest illum absolvere praesente quocumque Superiore, etiam Summo Pontifice.

6. *Num articulus, et periculum mortis pro eodem sint reputanda, et quod nostra Bulla concedit pro articulo mortis, sit etiam pro periculo intelligendum?*

Maxime. Nam sicut communissimum est inter Theologos, per eodem esse reputandum periculum, et articulum, tam verum, quam praesumptum; ita etiam in Bulla nostra est intelligendum.

7. *Num per facultatem nostrae Bullae crimen haeresis, licet occultae, absolvi possit per Confessarium electum?*

Minime; quia expresse est derogata haec facultas: uti declaravit Commissarius Eminentissimus Zurolo (3). Casus, in quos inciderint Fautores, Receptores haereticorum, Legentes, Retinentes eorum libros, si se non

---

(1) Vella ejusdem Operis Tom. 2. Dub. 2. pag. 29.
(2) Ibidem Tom. 2. p. 176.
(3) Tom. 2. Ejusdem Vella Dub. 15. p. 49.

inquinaverint aliquo errore intellectus, idest nisi adhaeserint erroribus eorum, possunt absolvi ex declaratione ejusdem Commissarii Apostolici (1).

8. *Quid ex juris praescripto servandum erit Confessario absolventi ex facultate nostrae Bullae?*

Debet Confessarius, si damnum illatum fuerit, exigere satisfactionem partis laesae; si non possit satisfieri, debet exigere cautionem satisfaciendi pignoratitiam, aut fidejussoriam, aut saltem juratoriam. Deinde debet exigere juramentum, ut poenitens obtemperet mandatis Ecclesiae, ne in posterum de facili relabatur in idem delictum. At hoc exigendum in criminibus enormibus, uti in percussione publica Clerici, in crimine incendii, et in aliis similibus. Ab impuberibus hoc non est exigendum, etiamsi beneficium absolutionis exquiratur post adeptam pubertatem: uti videre est apud Canonistas, et Theologos.

9. *Quid si Confessarius nullis hujusmodi exhibitis juris cautionibus a censura excommunicationis absolveret, num peccet, atque invalida sit absolutio?*

Utique peccat Confessarius; sed absolutio valida erit. Nam ex jure communi omissio praedictae formae non inducit invaliditatem actus.

10. *Quid si in concessione privilegii absolvendi a censura adjecta sit clausula illa* satisfacta parte; *num absolutio hac in hypotesi collata a Confessario, nulla exhibita satisfactione reali, aut saltem juris cautione, cum illa exhiberi non possit, valida sit censenda?*

Cum apponitur supradicta clausula, nulla erit absolutio illa, si satisfactio a Superiore praecepta, aut realis, aut saltem substituta secundum jus, nempe cautio pignoratitia, vel fidejussoria, aut saltem juratoria, quando realis haberi nequit, non adimpleatur. Nam ea clausula uti conditio apponitur. Cui sententiae adhaerere videtur Bened. XIV. in Encyclica occasione Jubilaei. An. San. edita. Quamvis Salmanticenses cum aliis contrarium teneant.

11. *Utrum excommunicatio contracta propter omis-*

(1) Ut supra p. 96. a. 101.

sionem denuntiationis, ut in crimine sollicitationis, possit ex facultate nostrae Bullae dimitti per Confessarium electum?

Non potest absolvi ante adimpletum onus denuntiationis; quia poenitens utpote contumax praeceptis Ecclesiae, neque a peccatis, neque a censura absolvi potest (1). Post adimpletum onus denuntiationis potest absolvi a censura contracta ob onus denuntiationis non adimpletum in tempore statuto. Ex D. Ligorio potest etiam absolvi a quocumque Confessario; quia ab ipso Lig. cum aliis Theologis post satisfactionem oneris denuntiationis non censetur haec excommunicatio amplius reservata.

12. *Utrum absolutio a censuris reservatis ex facultate nostrae Bullae collata pro foro exteriori, ac contentioso prodesse censenda sit?*

Minime; etiamsi parti laesae satisfactum fuerit: uti clare patet ex Bulla Urbani VIII. *In specula Militantis Ecclesiae* (2).

13. *Utrum ille, qui reservatis esset innexus, atque ab iisdem aut per Superiorem reservantem, vel per alium ex privilegio fuerit absolutus, possit postea a quocumque Confessario inferiori libere absolvi?*

Maxime; quia jam ablata est reservatio.

14. *Num absolutio a reservatis collata tempore Jubilaei poenitenti, qui accessit ad Confessarium animo lucrandi Jubilaeum, irrita fiet, si postea reliqua non perficiat ad consequendum Jubilaeum praescripta?*

Etsi peccet; tamen valida erit absolutio, neque reincidit in easdem reservationes: patet ex Encyclica *Inter praeteritos.*

---

(1) Si vero postea appareat justa, ac legitima causa differendi denuntiationem, vel si omnino extincta sit obligatio denuntiationis; quia nimirum sollicitans jam mortuus sit, potest absolvi a Confessario electo is, qui contraxit excommunicationem ob omissionem denuntiationis.

(2) Ex facultate nostrae Bullae Cruciatae possunt delicta Papae reservata, etiam publica, et deducta ad forum contentiosum, in foro tamen Sacramentali, absolvi. Ita Vella T. 2. pag. 164. 165. Secundum Sanchez, et Salmanticenses.

15. *Utrum per invalidam Confessionem bona fide factam tempore Jubilaei, aut intra tempus durationis Bullae auferatur reservatio peccati in ea Confessione manifestati, ut possit illud postea quicumque Confessarius etiam nullius privilegii ope munitus remittere?*

Quoad Jubilaeum non potest alius simplex Confessarius dimittere; quia Pontifex concedit facultatem, ut Fidelis lucretur Jubilaeum; at in casu iste non potest lucrari Jubilaeum, quia in peccatis; ideoque non censetur auferri reservatio. Extra casum Jubilaei ex communi DD. sententia tollitur quidem reservatio per hujusmodi confessionem; quia semper habetur praesentatio Superiori, vel ejus delegato.

Utrum hoc idem dicendum quoad Confessionem sacrilegam, quaestio inter Doctores. Ex D. Ligorio tamen tollitur reservatio ex supradicta ratione.

16. *Utrum in Confessione facta tempore Jubilaei, aut intra annum durationis Bullae, si contigerit oblivio alicujus criminis reservati cum censura adnexa, aut sine censura, ita maneat crimen hujusmodi liberum a reservatione, et censura, ut possit postea a quocumque approbato Confessario etiam extra praedictas temporum circumstantias dimitti?*

Si oblivio sit de crimine reservato cum censura, et tunc dimissa censura tollitur reservatio; quia per omnes Theologos in reservatione Sedi Apostolicae reservatur principaliter censura; ideoque potest, quando recordatur peccati poenitens, absolvi a quocumque Confessario (1). Si oblivio sit de crimine reservato simpliciter, etiam idem est tenendum; dummodo poenitens habeat intentionem saltem virtualem gaudendi privilegio Bullae sive Jubi-

---

(1) Ita docet Vella hac ratione fretus: *In adducta hypotesi dubitari nequit, quia censurae vinculum dissolvatur etiam circa peccata per oblivionem omissa; quia ad absolvendum a censura* per se, et directe, *non est necesse distincte, et in particulari cognoscere causam censurae, sed sufficit voluntas universalis, et potestas ab omnibus, etiam reservatis censuris absolvendi: quae duo sane non desunt etiam in Confessario delegato.* T. 1. pag. 146.

laei, sive Cruciatae (1). Nam Superior concedens facultatem in favorem poenitentis, quantum in se est, voluit illi auferre vinculum reservationis (2).

17. *Num per facultatem Bullae Cruciatae absolvere liceat Confessariis electis a sex illis casibus, qui dici solent* extra Urbem, et intra Italiam, *sive a Clemente VIII. Apostolicae Sedi specialiter reservatis* ?

Lis erat inter Doctores, sed Commissarius Zurolo declaravit: Confessarium virtute Bullae Cruciatae posse absolvere ab hisce casibus, excepto tantum casu excommunicationis per simoniam realem contractae in Ordinum susceptione (3).

18. *Num ex facultate nostrae Bullae Cruciatae poterit Confessarius electus absolvere a peccato falso denuntiantis de sollicitatione innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos judices, quod ex Constit.* Sacramentum Poenitentiae *Benedicti XIV. summo Pontifici est reservatum* ?

Commissarius Zurolo declaravit: posse Confessarium electum virtute Bullae Cruciatae absolvere ab hujusmodi peccato: quod quidem non est specialiter derogatum privilegio Bullae Cruciatae ex memorata Const. *Sacramentum Poenitentiae* (4).

19. *An in hujusmodi reservatum incurrant mandantes, aut consulentes injustam, ac falsam denuntiationem?*

Maxime: uti patet ex verbis supradictae. Const. *Sacr. Poen.*

---

(1) Si poenitens ad hunc finem adierit Superiorem, vel habentem facultatem, ut ab omnibus reservatis absolvatur, et hanc suam intentionem illi manifestaverit: vel quando privilegium fuit concessum in favorem poenitentis, prout est privilegium Jubilaei, aut Bullae Cruciatae; tollitur reservatio: ita Suarez, cui adhaeret D. Ligorius L. 6. n. 597.

(2) Si vero, notat D. Ligorius cum aliquibus DD. Lib. 6. n. 598., poenitens culpabiliter obliviscatur, vel reticeat ipsum peccatum reservatum; aut in sacrilega confessione obliviscatur peccatum reservatum confiteri, quamvis inculpabiliter, non liberatur a vinculo reservationis.

(3) Auctor operis ejusdem Tom. 2. p. 101. et p. 50.

(4) Ut ex eodem Vella Tom. 2. quaes. 8. p. 91. usque ad 96.

20. *Num Confessariis electis per facultatem Bullae Jubilaei, vel Cruciatae, quidquam juris competat ad dispensandum in irregularitatibus?*

Nulla facultas conceditur quoad irregularitates; tum quia irregularitas non est censura; tum quia in irregularitatibus potestas dispensandi requiritur: quae quidem in potestate absolvendi non includitur. At per Bullam sive Jubilaei, sive Cruciatae potestas tantum conceditur absolvendi a casibus reservatis, etiamsi cum censuris. Ideoque nulla facultas pro irregularitatibus dispensandis.

21. *Utrum ex iisdem Bullis sive Jubilaei, sive Cruciatae ad complicem absolvendum Confessariis deferri aliquam potestatem censendum sit?*

Minime; quia specialiter fuit derogatum privilegiis Bullae Jubilaei, et Cruciatae: uti ex Const. *Sacr. Poenitentiae.*

Hinc quaeritur. Num ex facultate Bullae nostrae Cruciatae possit a Confessario complice valide absolvi poenitens, qui ex oblivione inculpabili non confitetur peccatum illud turpe, in quo cum Confessario complex extitit?

Quaestio inter DD.; at Auctor ad partem affirmativam accedere cogitur hisce permotus rationibus: scilicet, quia etsi videatur nulla esse absolutio indirecte collata in peccato complicitatis, tamen in odiosis stricte facienda est interpretatio, scilicet ad casus certos. Praeterea in casu allato cessat ratio Constitutionis, idest periculum novi peccati ex manifestatione peccati complicitatis (1).

22. *Cujusmodi sit oportet peccatum, ad quod absolvendum in suo complice Confessarius instructus facultatibus sive Bullae Jubilaei, sive Bullae S. Cruciatae omni careat jurisdictione; et qualis debeat esse complex?* (2)

Debet esse peccatum turpe, atque inhonestum, grave, externum, in suo genere perfectum (3): et complex

---

(1) Idem opus Vella Tom. 2. p. 131.

(2) Hoc quaesitum ex duobus Auctoris quaesitis compositum est.

(3) Nomine peccati turpis, et inhonesti non solum co-

debet esse formalis, nempe socius in crimine.

23. *Num cessante fine hujusmodi Constitutionis in casu aliquo particulari; cesset etiam hujus Constitutionis, quod spectat ad hanc rem, praescriptum?*

Minime cessat praescriptum hujusmodi Constitutionis, si cesset negative finis; secus vero, si cesset contrarie, scilicet in mortis articulo, et periculo: etiamsi Confessarius aliquis approbatus praesto sit, et tamen non vult accedere; aut non possit complex declinare sine aliqua exoritura infamia, vel scandalo: ut clare patet ex ejusdem Pontificis Bened. XIV. Constit. *Apostolici muneris* (1).

24. *Quid si extra mortis articulum, vel periculum ex una parte urgeat necessitas confitendi, ex alia sequeretur infamia, et scandalum, si ab alio Confessario excipienda esset confessio?*

Licet ex Salmanticensibus censeatur valide absolvi; tamen ex communi Theologorum doctrina, praesertim ex D. Ligorio, non habetur in hujusmodi Confessario ulla jurisdictio absolvendi hisce in casibus; quia ex Constit. laudata Bened. XIV. declaratur ejusmodi Confessarius ineligibilis, et positive reprobatus.

---

pula comprehenditur, ut immerito tenent Salmanticenses; sed etiam omnes aliae luxuriae species, sive turpitudinis actus.

Peccata dubia, sive dubia facti, nempe de quibus dubitatur, an adfuerint: sive juris, scilicet de quibus dubitatur, an in laudata Constitutione comprehendantur: uti si forte dubitetur an sint mortalia; vel an sit formalis complex; probabilius ex Salmanticensibus dicendum est, non comprehendi sub poena laud. Constitutionis. Nam juxta regulam juris 192. §. De diversis reg. Juris: *in re dubia*, cum agitur de poena, *benigniorem sequi interpretationem non minus justius est, quam tutius*; praetereaque reservatio ad casus certos est restringenda. Adi Vella tom. I. p. 168.

(1) *Negative*, vel *privative*: scilicet quando lex in casu particulari redderetur inutilis: uti in praesenti, si cessaret periculum in Confessario complici. *Contrarie*, quando materia legis in aliquo casu redderetur nociva, vel valde difficilis: uti in casu periculi, vel articuli mortis. De peccatis n. 221.

25. *Quamdiu duret isthaec inhabilitas in Confessario complice?*

Tandiu perdurat, quandiu peccatum complicitatis remanet materia necessaria confessionis.

26. *Num Confessarius, qui complicem minime absolvit, sed tantummodo audit in Confessione, praedictae excommunicationi subjaceat?*

A D. Ligorio clare deducitur ex Encyclica *Inter praeteritos* Bened. XIV., non subjacere Confessarium praedictae excommunicationi.

Quae sequuntur, excerpsi ex secundo Tomo ejusdem Operis Vella.

Q. 1. *Quinam sunt Casus specialiter derogati facultati Bullae Cruciatae?*

Ex Declaratione Commissarii Zurolo sunt sequentes: scilicet I. Haeresis formalis, atque externa (1). II. Inhabilitas, quam incurrit Confessarius ad absolvendum suum complicem in peccato turpi contra sextum praeceptum Decalogi. III. Excommunicatio contracta ab eodem Confessario absolvente suum Complicem in eodem peccato turpi (2). IV. Casus Simoniae realis in Ordine admis-

---

Excommunicatio, in quam incidunt Carbonarii, vel alii ejusdem furfuris descripti in Const. Pii VII., quae incipit: *Ecclesiam a Jesu Christo* anno 1821. 13. Septembris edita, potest absolvi Bullae Cruciatae; tum quia est generalis reservationis, tum quia ita declaravit S. Poenitentiaria eodem an. 1821. 8. Novemb. in responsionibus ad dubia a f. m. Aloysio Ruffo Arch. Neap. transmissa ad Sacram Poenitentiariam: dummodo haeresim non hauserint, scilicet professi sint.

(1) Prout definivit Alexander VII. anno 1656., et Bened. XIV. in Encycl. *Convocatis* §. 85

(2) Hunc casum, seu excommunicationem a complice Confessario contractam excludi a facultate Bullae Cruciatae patet etiam a nuperrima declaratione regnantis Gregorii XVI., quem Deus semper sospitet, et diu nobis reddat incolumem, transmissa ad nostrum Eminentiss. Archiep. Neapolitanum anno 1833.; edita per Secretariam Brevium eodem anno die 23. Aprilis.

sae, tam ex parte promoventis, quam promoti. V. Suspensio contracta per realem simoniam commissam in Ordine (1). Denique omnes alii casus, in quibus habeatur expressa derogatio privilegiis Bullae Cruciatae per verba: *non obstantibus privilegiis Bullae Cruciatae* (2).

2. *Num possit quis per ignorantiam invincibilem excusari tum a censura suspensionis ob simoniam commissam incurrenda, tum a reservatione hujus criminis?*

Maxime excusatur quoad suspensionem, et reservationem; licet aliqui de hac ultima contrarium teneant. At ex Auctore per ignorantiam invincibilem irregularitatis non excusatur ab irregularitate ob violationem suspensionis, in quam forte inciderit (3).

3. *Num censurae contractae propter violationem Clausurae possint absolvi ope facultatis nobis in Bulla nostrae Cruciatae concessae?*

Sive sermo sit de Monialibus violantibus Clausuram per egressum a Monasterii septis (4), sive sermo sit de eo, qui praetextu facultatum ingredi auderet Monasteria Monialium contra legem Clausurae, potest absolvi a censura contracta, seu excommunicatione per facultatem nostrae Bullae (5). Hoc etiam dicendum quoad mulieres ingredientes Monasteria Religiosorum; etiamsi violetur clausura ob malum finem in hisce supradictis casibus (6).

4. *Num eadem reservata excommunicatione ligetur, atque indigeat, ut absolvatur, facultate nostrae Bullae*

---

(1) Utpote cautum fuit Constit. Xysti V. *Sanctum et Salutare.*

(2) Tom. 1. p. 115, Tom. 2. et p. 50. in dub. 15. ad primum; et p. 206. quoad suspensionem.

(3) Ut supra p. 138. a 140.

(4) Etiamsi ipsa Monialis egrediatur de Monasterio ad turpem finem: quae excommunicatio est specialis reservationis; cum inter casus specialiter reservatos recenseatur ex Decreto S. C. jussu Clementis VIII. emanato. Haec enim specialis reservatio non est derogatoria privilegiis Bullae Cruciatae. Vella tom. 2. p. 169.

(5) Ibidem p. 156. ad 164.

(6) Etiamsi casus sit publicus, et deductus ad forum contentiosum. Vella. T. 2. p. 165. 166.

ille, qui ingrederetur Monasterium Monialium cum debita licentia, justaque de caussa, sed simul pravo animo ductus turpia perpetrandi?

Non indiget, ut absolvatur, facultate nostrae Bullae, si solum animum habeat, et nihil inhonestum perpetrat; at secus dicendum, si nulla justa causa habeatur ingrediendi, sed tantum animus turpia perpetrandi. Si vero post peractum negotium, pro quo facultatem, seu licentiam habuit ingrediendi, immoretur ad turpem finem, tunc ex Auctore probabilius incidit in illam specialem reservationem, et censuram, a qua nonnisi facultate nostrae Bullae absolvi potest (1).

5. *Num facultate nostrae Bullae possint absolvi censurae suspensionis, et interdicti?*

Maxime; dummodo istae censurae habeant adnexa peccata, quae per absolutionem remitti possint. Dixi dummodo habeant adnexa peccata; nam si sunt censurae suspensionis, vel interdicti, quae nequeunt relaxari, nisi per dispensationem: uti de suspensione lata in aliquam Communitatem, de cessatione a Divinis, etc., tunc nulla facultas per Bullam Cruciatae nobis conceditur, quae tantum continet facultatem absolvendi a casibus Apostolicae Sedi reservatis, vel simpliciter, vel cum censura.

Hinc potest Confessarius privilegio Bullae Cruciatae absolvere a suspensione, in quam incurrunt Clerici suscipientes Ordines ante legitimam aetatem, aut furtive, seu sine approbatione Ordines recipientes, vel sine litteris Dimissoriis, vel per saltum, vel extra tempora, aut recipientes duos Ordines Sacros eodem die, aut aliquem minorem cum Subdiaconatu: tandem recipientes Ordines vel sine justo, vel ficto titulo; quia istiusmodi suspensiones supponunt contumaciam, qua quidem ablata per emendationem Superior vult illas absolvendas esse (2). Item Auctori probabilius videtur cum Suarez, Laymann, et aliis, veras censuras esse suspensiones indefinite latas

---

(1) Ibidem p. 168. a 169. et p. 170 a 174. Vide tamen in App. IV. hujus Epitomes n. 16.

(2) Vella T. 2. p. 182. et seq.

propter delictum commissum; vel a jure impositas sine temporis limitatione adversus indigne suscipientes Ordines. Hoc intelligitur, quando contra jus commune, non quando contra jus peculiare alicujus Dioecesis; quia tunc non potest absolvi sine facultate Ordinarii illius Dioecesis. Si vero suspensio sit lata in perpetuum, sive ad certum tempus, minime potest remitti a Confessario virtute Bullae Cruciatae: et item est intelligendum, etiamsi non addatur aliqua clausula: scilicet *perpetuo duratura*; et tamen ex circumstantiis constat, illam in perpetuum decerni: uti suspensio, in quam incidit Clericus, qui Sacros Ordines scienter susceperit ab Episcopo, qui renuntiavit dignitati Episcopali; juxta cap. 1. *De ordinatione ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui* (1). Sicut etiam Auctor tenet non posse absolvi per facultatem nostrae Bullae suspensionem, in quam incurrit ille, qui absque litteris commendatitiis proprii Ordinarii susceperit Ordines ab Episcopo alieno, etiam per rescriptum, ac privilegium. Cum debeat absolvi ab illo Ordinario, cujus jurisdictio laesa fuerit (2). Denique non potest absolvi suspensio ob simoniam realem commissam in Ordinibus: ut notavi in n. 1. hujus adjunctionis ad hunc paragraphum.

Interdicta reservata Sedi Apostolicae illa tantum possunt relaxari a Confessario virtute Bullae Cruciatae, quae sunt lata in specialem personam; minime vero localia, et in Communitatem lata (3).

---

(1) Istae suspensiones quodammodo latae sunt in vindictam culpae; ideoque non medicinales, idest non in ordine ad contumaciam, adeo ut ista cessante per emendationem, possent remitti ante tempus praefixum; sed ante tempus statutum a Superiore ferente istbanc suspensionem tantum possunt relaxari ab ipsomet, qui censuram seu poenam canonicam inflixit; ac proinde cum indigeant relaxatione seu dispensatione, minime adest facultas illas dispensandi Confessariis privilegio Bullae Cruciatae electis; quippe qui dumtaxat possunt absolvere a peccatis Sedi Apostolicae reservatis. Suarez ex opposito cum aliis magni nominis DD. docet, omnes istas poenas posse absolutione remitti.

(2) Vella T. 2. p. 183. 184.

(3) Ut supra Vella pag. 182. ad 213.

6. *Num suspensiones, vel **interdicta reservata ab** Episcopis possint relaxari virtute **Bullae Cruciatae**?*

Minime, quia Bulla Cruciatae non elargitur facultatem quoad casus ab Episcopis reservatos.

PARS SECUNDA

DE INDULGENTIIS.

§. I.

De Indulgentiarum natura, effectu, fundamento, atque Ecclesiae thesauro.

Q. 1. *Quomodo definitur **Indulgentia**?*

Remissio, seu relaxatio poenae temporalis, quae post remissionem peccatorum luenda superest, extra Sacramentum facta ab eo, qui spiritualem jurisdictionem habeat dispensandi coelestem thesaurum Ecclesiae.

2. *Quotuplex est Indulgentia?*

Omissis divisionibus peculiaribus, dicimus, quod ad rem nostram attinet. Indulgentia dividitur in illam, quae est per modum absolutionis, et in illam, quae est per modum suffragii. Illa est actus jurisdictionis, qui potest exerceri in solos homines viatores, et sudditos; qua ideo remittuntur poenae temporales pro peccatis debitae. Haec autem est solutio quaedam, et oblatio facta Deo aequivalentis satisfactionis juxta modum poenae commeritae, et a Deo applicandae animabus in Purgatorio existentibus.

Deinde dividitur in plenariam, et partialem. Prima est illa, quae quantum est ex se, valet ad remittendum debitum universae poenae temporalis; secunda, quae aliquam partem hujusmodi poenae condonat. Tandem dividitur in localem, realem, et personalem: prima, quae alicui loco conceditur; secunda, quae quibusdam rebus mobilibus, uti imaginibus, Rosariis, adnexa est; tertia conceditur personis opus praescriptum peragentibus.

3. *Quodnam sit principium hujusce Ecclesiasticae de Indulgentiis doctrinae?*

Ex fide certum est, post absolutionem culpae, et poenae aeternae remissionem per Sacramentum Poenitentiae obtentam, remanere ut plurimum, poenam temporalem, quae poenitentiae operibus absolvenda seu satisfacienda erit in hac vita, aut in altera in Purgatorio. Quae quidem satisfactio poenae potest relaxari, aut in toto, aut in parte ab eo, qui habet spiritualem jurisdictionem; relaxatio, remissio, condonatio haec ex pervetusto usu Ecclesiae Indulgentia appellatur.

4. *Quid circa Indulgentiarum veritatem velut ex fidei necessitate credendum proposuit Tridentina Synodus?*

Declaravit Tridentina Synodus: potestatem conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiae esse concessam; usum Indulgentiarum populo Christiano esse maxime salutarem: uti constat ex sess. 25. in Decreto de Indulgentiis.

5. *Quisnam sit Indulgentiarum effectus?*

1. Est remissio, seu relaxatio poenae temporalis Justitiae Divinae debitae, remissa culpa, et poena aeterna. 2. Est quies, et tranquillitas conscientiae, quae affertur illi, qui adlaborat ad satisfaciendum Divinae Justitiae suis bonis operibus, et adhuc angitur timore, ne plura Divinae Justitiae debeat. 3. Prosunt tandem Indulgentiae ad purganda leviora, et quotidiana delicta in Justis; atque ad reparandos in iisdem, uti dictum est, defectus poenitentiae, et ad magis excitandum fervorem proposito Indulgentiarum lucro. Hinc deducitur, Indulgentias non excludere spiritum poenitentiae, neque remittere maculam, et reatum proprie dictum, sive obligationem ad poenam aeternam. Nam peccata lethalia, et poena aeterna nonnisi per Sacramentalem absolutionem remittuntur.

6. *Utrum hominibus negligentibus, dissolutis atque abhorrentibus a laboribus poenitentiae prosint Indulgentiae, ut debitum poenae, cui manent obnoxii, iisdem exsolvant?*

Non est una Theologorum doctrina. At media via ex Auctore tenenda videtur: scilicet, qui cum amore

poenitentiae, sive virtute poenitentiae, opera in Indulgentiarum formula praescripta exequitur, licet alioquin non leviter negligens sit in aliis poenitentiae operibus capessendis, fructu tamen Indulgentiarum non omnino carebit, sed illum pro modulo suae dispositionis consequetur.

7. *Utrum Indulgentiarum virtus adeo sit recipientibus profutura, ut eosdem eximat ab onere debitae satisfactionis implendae?*

Primum, minime liberatur per Indulgentiarum virtutem poenitens ab onere complendae satisfactionis per Confessarium impositae: uti clare constat ex essentia Sacramenti Poenitentiae. Secundum, omissa quaestione, utrum acquirat Indulgentiarum fructus, qui nullum opus poenitentiae, et laboris facere proponit, sed tantum opera pro Indulgentiis praescripta; probabilius tamen Aut. docet, pessime saluti suae consulere, qui Indulgentiarum virtuti nimium confisus convenientis satisfactionis opera exequi non curat.

8. *Utrum necesse sit adesse in Ecclesia communem quemdam thesaurum ad Indulgentiarum erogationes?*

Maxime quidem. Nam Indulgentiae non habentur per meram absolutionem a poena temporali debita peccatis, quantum ad culpam, dimissis, sed etiam per solutionem ejusdem poenae; ideoque oportet adesse quemdam communem thesaurum in Ecclesia, unde pretium hauriatur pro hisce solutionibus.

9. *Quid sit iste Ecclesiae thesaurus, unde hauriendum pretium ad Indulgentiarum erogationes?*

Iste thesaurus est immensus cumulus meritorum, ac satisfactionum Christi, cui etiam accedunt honoris caussa merita, et satisfactiones omnium Sanctorum.

10. *Unde confletur hic Ecclesiae thesaurus, et qua ratione Sanctorum merita, ac satisfactiones concurrant ad Indulgentiarum fructum capessendum?*

Conflatur, uti patet ex antecedenti responsione, ex meritis Christi, et Sanctorum. At qua ratione concurrant merita Sanctorum, an per modum impetrationis, an per modum solutionis, non una est opinio inter Doctores. Communior vero sententia est, quae docet, Chri-

stum, ut honoraret amicos suos, idest Sanctos, acceptare satisfactiones ipsorum ad poenae nostrae remissionem. Ex fide tamen constat: ad cumulum thesauri passionis, et meritorum Christi adminiculum praestare Beatae Genitricis, et omnium Sanctorum merita: uti ex Clementis VI. Extravaganti, quae incipit: *Unigenitus*, constat.

APPENDICULA I.

§. I. ET II.

De causa requisita ad Indulgentiae dispensationem, et de conditionibus injunctis ad earum consecutionem.

(1) *Q.* 1. *Num pro Indulgentiarum concessione causa requiratur, et cujusmodi illa sit oportet?*

Maxime quidem requiritur causa; quia sine causa non potest is, qui bona communia spiritualia administrat, elargiri. Quam causam esse debere ad hujusmodi largitionem, docet D. Thomas (2): scilicet *quaecumque causa adsit, quae in utilitatem Ecclesiae, et in honorem Dei vergat, sufficiens est ratio faciendi Indulgentias.*

2. *Quanta sit oportet hujusmodi causa: sive utrum necesse sit, ut causa isthaec proportionem servet cum quantitate Indulgentiae concessae, ut ista rata sit, et valida?*

Ut Indulgentiarum elargitio rata sit, et valida, opus est, ut in illarum concessione causa adsit proportionata quantitati Indulgentiae concessae. At est advertendum ex Suarez: quod quando quantitas promissae Indulgentiae excedit debitam proportionem causae, pro qua concessa erit, non erit invalida concessio, nisi quantum ad partem illam, quae excedit. Deinde etsi parva sit

---

(1) Primum quaesitum omisi, quod ad eruditionis notitiam potius pertinebat.

(2) Sup. p. 3. q. 25. a. 2.

causa, non proportionata; tamen, opus praescriptum cum adimpleatur majore pietatis, ac Religionis sensu, sufficiet.

3. *Num in quavis Indulgentiarum concessione necessario requiratur, ut sit fidelis baptizatus, qui earumdem effectu frui exoptet?*

Maxime; quia iste est subditus Ecclesiae.

4. *Num Indulgentiae nostrae Bullae, aliaeque hujus generis possint per modum suffragii transferri in excommunicatos toleratos defunctos, qui in gratia ex hac vita decesserint, nec per ipsos steterit, quominus ab hujusmodi censura absolverentur?*

Maxime; quia si sacrificium Missae, publicae orationes offerri possint pro hujusmodi excommunicatis, etiam juvant, et applicari possunt Indulgentiae per modum suffragii (1).

5. *Utrum ille, qui lucraturus est Indulgentias, oporteat, ut sit in gratia, et charitate?*

Maxime; quia ex D. Thoma requiritur unio ad eum, qui merebatur, h. e. ad Christum; quod quidem non habetur, nisi per charitatem, et gratiam. Et hoc sufficit, si adsit id actu, in quo recipitur fructus Indulgentiarum.

6. *Num ad capessendos Indulgentiae fructus satis erit opus praescriptum pro Indulgentiarum assecutione, quocumque ex fine, licet pravo, exequi?*

Minime; quia actus positus ex fine pravo semper opponitur intentioni concedentis, et honori Dei: qui semper intenditur in Indulgentiarum concessione.

7. *Num ad consequendam relaxationem a poenis temporalibus, quae pro venialibus debentur ab eorumdem reatu solutum esse oporteat?*

Maxime; quia non deleta culpa, non tollitur, et relaxatur poena.

8. *Utrum Sacramentalis Confessio praecedat necesse sit, ut Indulgentiarum fructu quis potiatur?*

---

(1) Quaestio est tantum, ut sentit Auct., an communia Ecclesiae suffragia applicari possint excommunicatis tolleratis, dum in vivis degunt. T. 1. p. 262.

Si in formula concessionis adhibeantur verba *vere poenitentibus et confessis*; *sive contritis et Confessis*, certum est, confessionem Sacramentalem exposci pro Indulgentiarum assecutione: uti declaravit Benedictus XIV. in Encycl. *Convocatis* §. 1. n. 7. Si vero in formula concessionis nulla mentio fiat Confessionis; tunc Confessio tantum requiritur ad statum gratiae acquirendum; ita ut, si adsit jam status gratiae, illa non requiratur.

9. *Num cum praecipitur Confessio pro Indulgentiarum consecutione, isthaec Sacramentalis confessio sit etiam praemittenda, cum quis solis venialibus gravetur.*

Maxime, quia habetur ut opus injunctum: uti declaratum fuit a S. R. C. approbante Clem. XIII., quod ita se habet: *Congregatio fuit in voto, confessionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum consecutione, peragi debere etiam ab iis, qui sibi peccati lethalis conscii non sunt: necnon praefatam confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia Festivitatis.* Die 31. Martii, approb. a Clement. XIII. die 19. Maji 1759.

An vero Confessio isthaec requisita tamquam opus injunctum pro consecutione Indulgentiarum necessario debeat absolutionis forma perfici in eis, qui culpis non lethalibus gravantur. Mihi exploratum videtur, non requiri. Nam vera Sacramentalis Confessio dicitur, et habetur, cum ordinatur ad absolutionem, etsi isthaec non conferatur. Proindeque, quando exprimitur in formula concessionis *confessis*, sufficere pro comperto teneo confessionem Sacramentalem, quamvis absolutione haud completam; modo tamen materia Confessionis absolutionem non exigat.

10. *Quid si quis praemissa jam Confessione post incepta opera praescripta pro consecutione Indulgentiarum, incidat in lethale peccatum, utrum teneatur Confessionem iterare, ut optato Indulgentiarum effectu frui possit?*

Maxime: uti patet ex Bulla Benedict. XIV. *Convocatis* n. 47.

11. *Utrum quando Indulgentiae conceduntur hac formula*, vere poenitentibus, contritis, confessis, *suffi-*

ciat ad illas lucrandas supernaturalis attritio conjuncta cum ipso Sacramento Confessionis?

Maxime, quia isthaec supernaturalis attritio nomine contritionis non raro designari solet: uti videre est in Tridentino sess. 14. cap. 4.

12. *Quo tempore peragenda Confessio erit, quando in concessione Indulgentiarum una cum aliis operibus praescribitur?*

Potest quis adimplere Confessionem injunctam antequam perficiat ultimum opus praescriptum: uti declaravit etiam Bened. XIV. Bulla *Convocatis* n. 44. in occasione Jubilaei an. San.; tametsi magis utile esset, Confessionem praemittere aliis operibus praescriptis. At vero advertendum erit: I. Confessionem Sacramentalem peractam paucis diebus ante concessionem Indulgentiarum non satisfacere operi praescripto de Confessione, si requiratur tamquam opus injunctum. Nam nequit satisfieri praecepto, antequam inceperit obligatio. II. Ex decreto S. Congreg. jussu Clementis XIII. die 19. Maji 1759. declaratum fuisse: quando inter alia opera praescribitur Confessio, non esse necessarium, Confessionem peragendam, ut possit acquiri fructus Indulgentiarum, ab eo, qui in statu gratiae cum sit, consueverit semel per singulas hebdomadas confiteri; aut in hebdomada antecedenti diem Indulgentiarum non accesserit ad Sacramentum Poenitentiae quocumque legitimo impedimento detentus (1).

13. *Num praescripta Confessio in concessione Jubilaei, qui dici solet extraordinarius, possit differri usque ad diem Dominicam, quae postremam hebdomadam sequetur?*

Ex privilegio, et consuetudine differri poterit Confessio praescripta usque ad diem Dominicam, quae ultimam hebdomadam sequitur, nempe usque ad secundam Dominicam duarum hebdomadarum.

---

(1) Qui vero non consuescunt per singulas hebdomadas confiteri, debent saltem in pervigilio Festivitatis, seu pridie Indulgentiarum consecutionis, peragere Confessionem: uti patet ex decreto supra allato n. 9.

14. *Num per Confessionem aliunde debitam, seu praeceptam, satisfieri possit oneri, vel conditioni impositae de Confessione facienda ad Indulgentiarum fructus percipiendos?*

Minime. Nam debet expleri opus injunctum de Confessione praeter aliam Confessionem aliunde praeceptam. Item est intelligendum de aliis operibus aliunde debitis (1).

15. *Quid sentiendum sit de sacra Communione, si quando et ista inter cetera opera injuncta praescribatur?*

Communio, quando praescribitur pro Indulgentiis obtinendis, debet esse Sacramentalis, et spiritualis: scilicet perceptio Eucharistiae a bene disposito. Si vero Communio, uti dicitur, sit informis; tunc distinguitur ex doctrina D. Thomae: si homo, cujus memoriae non occurrit admissum grave scelus, nullo, vel exili cordis dolore tactus percepit Eucharistiam, tunc non satisfacit operi injuncto de Communione; quia non recte dispositus recepit Sacramentum. Si vero sit de scelere oblito contritus, vel attritus, tunc satisfacit, et acquirere potest fructus Indulgentiarum.

16. *Num in concessione Indulgentiarum Eucharistica communione imperata, pueris nondum idoneis ad ipsam recipiendam per aetatem, possit illa in aliud pium, ac religiosum opus commutari, ut Indulgentiis et ipsi frui possint?*

In diversa abeunt Theologi (2). At ex nostro Auctore distinguendum est: si in concessione Indulgentiarum a Pontifice, vel in edicto Episcopi in publicatione Indulgentiarum detur facultas Confessariis commutandi Communionem in aliud pium opus; tunc potest commutari: ut sapientissimus Pontifex se gessit

---

(1) Vella t. 1. p. 285. q. 12. Lege D. Lig. L. 4. n. 538. Quaer. XII. et n. 536. qui summatim refert Const. Bened. XIV. *Inter praeteritos*: vide in istius §. 13.

(2) Hi dissentiunt solum, quando agitur de Indulgentia Jubilaei; de aliis vero Indulgentiis in partem negativam amice conspirant.

in indictione Jubilaei anni Sancti in Bullis *Conc catis*, et *Benedictus Deus*, in quibus expresse lar| tus fuit Confessariis facultatem commutandi pro pue Communionem in aliud pium opus.

17. *Num operibus omnibus pro Indulgentiarum a secutione praescriptis in statu, atque affectu pecc mortalis peractis, proindeque Indulgentiarum perc ptione minime acquisita, remoto obice peccati post per poenitentiam Indulgentiarum fructus percipiatu*

Ex Auct. contra paucos haud recipitur fruct remoto obice. Nam ex mente concedentis intendit acquiri Indulgentias ab idoneis tempore adimpletior operum injunctorum.

18. *Num impossibilitas, aut justa, ac legitima in pedimenta exequendi opera praescripta in causa es possint, ut iisdem operibus non expletis Indulgenti rum fructus recipi possint?*

Minime, uti ex D. Thoma. Cum enim Indu gentia concedatur sub hac conditione, quod quis a quid faciat, vel det; si illud non exerceat, Indulgen tiam non consequitur.

19. *Num sufficiat saltem in adducta hypotesi pa tem operis praescripti impleri, ut Indulgentiaru effectus possit obtineri?*

Minime. Opus in parte adimpletum non satisf cit praescripto sub conditione imposito ad Indulger tiarum consecutionem.

20. *An possit quis operi injuncto in concessione I dulgentiarum per alium satisfacere, et Indulgentiaru effectu inde potiri?*

Minime ex D. Thoma Sup. pars 3. q. 28. a 3. ad 2.

21. *Num operibus praescriptis pluries satisfaciend pluries etiam Indulgentiae concessae quis compos e se possit?*

Si in concessione Indulgentiarum sit expresse da haec elargitio, uti vocari solet *toties quoties*, prof cto iterando opera injuncta, iterum percipitur fruct Indulgentiae. Secus vero, minime acquiritur.

22. *Num teneantur Fideles propositis, atque concessis Indulgentiis uti?*

Nullo ex praecepto tenentur Fideles; attamen non omnino essent immunes a culpa, si negligerent consequi Indulgentias praeclaras, uti Jubilaei An. San., et S. Cruciatae; quia utiles, ac maxime salutares Indulgentias esse populo Christiano docet Tridentinum; ac proinde jure, et merito necessarias esse nemo non videt; ideoque parum curat consulere animae suae ille, qui oblatis tam salutaribus mediis non studet, ut satisfaciat poenis debitis peccatis, et ut Divinae charitati magis adhaereat.

23. *Utrum Indulgentiarum concessiones mortuo concedente expirent, atque evanescant?*

Minime; quia gratia facta, etiam re integra, non expirat morte concedentis. Si vero sint ad beneplacitum Pontificis, tunc expirant morte Pontificis.

APPENDICULA II.

De jejunio, et eleemosyna, in quibusdam Indulgentiarum concessionibus, veluti Jubilaei, praescriptis; ac de suspensione Indulgentiarum, quae fieri solet in Jubilaeo an. san.

Q. 1. *Num utrumque opus praescriptum, jejunium nempe, et eleemosyna, intra unius ejusdem hebdomadae spatium sint peragenda, ut Jubilaei Indulgentiis, ac privilegiis quis perfruatur?*

Ante responsionem opus est praemittere formulam concessionis hujuscemodi Indulgentiarum, quae haec est: *Qui prima vel secunda hebdomada Ecclesias visitaverint, ac feria IV. VI., ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint pariter, ac peccata sua confessi, ac die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, et pauperibus ali-*

quam eleemosynam erogaverint, plenissima, et cet. (1). Hoc praemisso hinc inde dividuntur Theologi; sed juxta probabiliorem sententiam ex Auctore, tum jejunium, et eleemosyna, tum cetera quoque opera praescripta in hujusmodi concessionis formula intra alterutrius ejusdem hebdomadae ambitum sunt explenda, ut concessionis beneficio quis perfruatur. Haec sententia quidem favet magis concessionis formulae; et cum agatur de valore actus, probabiliorem sententiam sequi tenemur. At vero si quis in praxi sese accomodaverit probabili sententiae: prima scilicet hebdomada jejunando, altera visitationes Ecclesiarum, atque eleemosynae elargitionem explendo, is secundum Viva contra alios probabilius negantes concessionibus Indulgentiarum potitur.

2. *Num saltem valida sit absolutio a reservatis illi collata, qui juxta praedictam opinionem probabilem praescriptas in Jubilaei concessione conditiones impleverit; sive num valeat absolutio collata cum jurisdictione tantum probabili?*

Litigium inter Doctores; ex Auctore tamen non valet absolutio.

3. *Cujusmodi eleemosyna hic praecepta intelligatur?*

Cum praecipiatur eleemosyna eroganda pauperibus, corporalis intelligitur, idest elargitio pecuniae, vel alicujus rei pretio existimabilis.

4. *Quanta sit oporteat eleemosyna, cum injungitur in hisce Indulgentiarum concessionibus?*

Non una est Theologorum opinio; at ex Auctore, cum ex formula concessionis habeatur: *quantum quisque pro suo arbitrio judicaverit, aut prout unicuique suggeret devotio*, videtur tenuis, atque exiguae eleemosynae erogatio satis esse ad promissam Indulgentiam consequendam, saltem elargienti prodesse juxta mensuram exiguae suae devotionis.

---

(1) Haec formula non est de Jubilaeo Anni Sancti, sed de Jubilaeo extraordinario: uti in Jubilaei concessione facta a feliciter regnante Summo Pontifice, Gregorio XVI., anno 1832. Qui Jubilaeus constitit, seu fuit, ex tribus hebdomadibus, non ex duabus juxta solitum.

5. *Num eleemosynae elargiendae necessitas omnibus omnino incumbat, qui Jubilaei privilegiis frui cupiunt?*

Maxime, quando est opus injunctum.

6. *Quid si eleemosyna alteri eroganda committatur, et iste aut sibi retineat, aut elapso tempore legitimo, ac praescripto ad Jubilaei durationem illam elargiatur: utrum hoc impedimento sit danti eleemosynam, quominus Jubilaei, sive Indulgentiarum gratiam assequatur?*

Maxime. Nam usquedum opus praescriptum non adimpleatur, ut est praescriptum, et tempore praescripto, fructus Indulgentiarum acquiri nequeunt. Verum ex Colet non censetur fraudari suo effectu, scilicet absolutione a censuris, aut commutatione votorum ille, qui bona fide arbitratur eleemosynam alteri commissam, pauperibus jam erogatam esse.

7. *Quale jejunium praescribi soleat in concessione Jubilaei, et Indulgentiarum?*

Nullum aliud, nisi Ecclesiasticum, et ordinarium; dummodo nihil aliud peculiare praescribatur (1).

8. *Num ad isthaec jejunia servanda astrigantur etiam adolescentuli, et senes, aliique exempti, ut Indulgentiarum fructu potiantur?*

Maxime; quia etsi eximantur a jejunio Ecclesiastico, tamen debent servare injunctum jejunium, si velint Indulgentiam consequi.

9. *Num levis injuncti jejunii violatio, quae levis culpae rationem non excederet, impedimento sit, quominus propositae Indulgentiae obtineantur?*

Etsi dubia res esset, ideoque omnino est evitanda; tamen probabilius videtur effectum Indulgentiarum non impedire.

---

(1) In hoc jejunio possunt ova, lacticinia, et alia a Bulla Cruciatae nostrae concessa adhiberi ab eis, qui perfruuntur Bulla. Hoc deducitur ex declaratione Eminentissimi Apostolici Commissarii Archiepiscopi Neap. Aloysii Ruffo Scilla fel. recor.: qui in jejunio injuncto pro jubilaeo a f. m. Pii VIII. concesso declaravit posse adhiberi: (uti tunc retulerunt personae fide dignae).

10. *Quaenam Indulgentiae suspendi ex Pontificiis decretis soleant durante Jubilaei An. San.?*

Unicuique notum est, omnes Indulgentias elargitas ubique terrarum cessare durante Anno Sancto, ut omnes Christifideles excitentur Romam petere ob graves, et utilissimas rationes. Hoc praemisso quaeritur: quaenam Indulgentiae cessent hoc in tempore? Omnes Indulgentiae hoc durante tempore cessant, sive plenariae, sive partiales praeter eas, quas Pontifex in sua Bulla non excipit, seu reservat. At ex Benedicto XIV., quem secuti sunt deinceps alii Romani Pontifices in indictione An. San., non suspenduntur Indulgentiae pro Defunctis concessae: ut Altaria privilegiata etc.; immo Indulgentiae, quae alias erant concessae pro vivis, possunt tempore An. San. ex facultate a Summo Pontifice tributa applicari animabus Defunctorum.

11. *Utrum per hujuscemodi Indulgentiarum suspensionem factam pro tempore Jubilaei, etiam Indulgentiae Bullae nostrae Cruciatae suspensae remaneant?*

Minime; tum quia etiam tempore Jubilaei An. San. publicatur hujusmodi Bulla sine aliqua exceptione; tum quia erogatio eleemosynae a Fidelibus facta propter concessionem Bullae confert jus ad illas concessiones assequendas. In ea namque erogatione habetur quidam contractus innominatus, *do*, *ut des.* Non potest itaque Bullae concessionibus privari, qui jam eleemosynam ad id elargitus est: perinde, ac esset privari fructu Sacrificii, qui stipem, seu stipendium ad hoc contulerit.

§. III.

De Indulgentiis per Pontificium diploma S. Cruciatae nobis concessis, earumque necessariis conditionibus seu dispositionibus.

Q. 1. Quaenam sint istae Indulgentiae per Bullam nostrae Cruciatae propositae, ac promissae Incolis praesertim nostri Regni, qui definitam stipem contulerint ad destinatum opus a Pontifice praefixum?

1. Hisce conceduntur Indulgentiae, et remissiones peccatorum, et poenitentiarum relaxationes, quae sunt concessae quibusvis Confraternitatibus, Sodalitatibus, et Congregationibus in dicti Regni duarum Siciliarum partibus citra Pharum existentibus perinde, ac si illis essent isti personaliter adscripti: insuper istae Indulgentiae possunt applicari Defunctis per modum suffragii. 2. Conceduntur etiam illae Indulgentiae, quae sunt affixae Ecclesiis existentibus in alma Urbe, in diebus Stationum, dummodo in hisce diebus devote visitaverint Fideles quinque Ecclesias, vel quinque Altaria, aut illorum defectu quinquies unum, et idem Altare. Hujusmodi vero Indulgentiae possunt etiam applicari defunctis, ut supra.

2. *Quaenam sint praescriptae dispositiones necessario requisitae ad lucrifaciendas hujusmodi Indulgentias?*

Si loquamur de prioribus praedictis Indulgentiis, quae nempe conceduntur in adscriptione, et in receptione in Confraternitates, Sodalitates etc., ad acquirendas istiusmodi Indulgentias tantum sufficit acceptio Bullae, vel erogatio eleemosynae ad opus intentum a Pontifice: dummodo quis existat in statu gratiae. Ad lucrandas autem caeteras, quae concessae sunt istis Confraternitatibus etc. in aliquibus diebus, vel solemnitatibus, debet etiam adimpleri opus, quod pro istis assequendis praescribitur: uti aliqua visitatio, Confessio, Communio, aut quid simile, quod impositum fuit in concessione illarum Indulgentiarum (1). Si

(1) Ejusdem Operis Vella Tom. 2. q. 7. p. 87.

loquamur de secundis, requiritur praeter statum gratiae, et receptionem Bullae, seu erogationem eleemosynae praescriptae, devota visitatio quinque Ecclesiarum, vel Altarium, et preces in iisdem effundendae, de quibus inferius.

3. *Qua ratione tot, tantaeque diversae Indulgentiae, cujusmodi sunt, quae hic nobis promittuntur, unico, eodemque actu percipi potuerint?*

Ex concessione nostrae Bullae unus actus sufficit variis lucrandis Indulgentiis; et iste actus est causa sufficiens ex mente concedentis ad plures consequendas Indulgentias per Bullam nobis elargitas.

4. *Quid sibi velint illae voces adhibitae in nostra Bulla*: omnibus, et singulis Indulgentiis, et peccatorum remissionibus, ac poenitentiarum relaxationibus?

Per hujusmodi voces, quibus Ecclesia in hisce concessionibus ex antiquo loquendi more uti solet, denotatur proprius, atque ipsemet Indulgentiarum effectus verbis paulo luculentioribus.

5. *Num per hujusmodi formulas concessionum Indulgentiarum intelligendae sint relaxari poenitentiae injunctae in Sacramentali Poenitentiae foro?*

Minime; quia hac de re silentium imposuit Theologis varia opinantibus Benedictus XIV. in Bulla *Convocatis*, et Encyclica *Inter praeteritos*.

6. *An Indulgentias hic promissas per Bullam nostrae Cruciatae impleto opere praescripto, possint simul Incolae nostri Regni, et sibi promereri, atque acquirere, unaque etiam ad defunctos juvandos transferre?*

Minime, sed aut sibi adplicant, aut defunctis: scilicet possunt alterutrum eligere lucrantes; non autem possunt eosdem Indulgentiarum fructus uno, eodemque actu sibi, et defunctis adplicare.

7. *Num Indulgentiae per nostram Bullam concessae possint simul animabus pluribus defunctorum adplicari, an uni tantum debeant?*

Possunt pluribus adplicari; etsi contrarium teneant Salmanticenses. Nam sicut suffragia privata Fidelium possunt adplicari pluribus simul defunctis; ita

et indulgentiae, quae per modum suffragii satisfactorii prosunt defunctis, adplicari possunt.

8. *Quinam sint Defuncti, qui Indulgentiis nostrae Bullae, aliisque possint adjuvari?*

Unicuique patet, Indulgentiis adjuvari posse tantum animas Defunctorum, quae sunt Purgatorii poenis addictae.

9. *Quid sit Indulgentias concedi, aut applicari Defunctis per modum suffragii?*

Vocabulum *Suffragium* indicat auxilium Ecclesiae; ideoque *per modum Suffragii* nihil aliud est, quam concedere, ut Defuncti juventur eo modo, qui piis operibus juvari possunt. *Per modum Suffragii* indicatur discrimen ab illa concessione, qua applicatur vivis Indulgentia per modum judiciariae absolutionis: ideoque Ecclesia applicando Defunctis Indulgentias, non remittit poenam proxime, et immediate; sed offert Deo pretium aequivalens, ut ipse Deus illam remittat.

10. *Num hujusmodi Indulgentiae Defunctis applicatae iisdem infallibiliter, atque ex justitia prosint?*

Etsi non una sit Doctorum sententia; tamen affirmative respondetur, uti probabilius apparet ex decreto Leonis X. hisce verbis: *Omnes tam vivos, quam Defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi consecuti fuerint, a tanta poena temporali, secundum Divinam justitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessae, et acquisitae aequivalet.*

11. *Num Indulgentiae ad Defunctorum animas juvandas exhibitae iis prosint, pro quibus speciatim applicantur?*

Dissidium inter Theologos; attamen probabilius dicendum, Defunctorum animas per suffragia Indulgentiarum, aliaque hujusmodi a Fidelibus pro ipsis exhibita, juvari in altera vita, prout magis, vel minus pietatis operibus in hac vita commeruere: uti docet Estius ex doctrina S. Augustini, et S. Gregorii Magni.

Hoc loco abs re non erit, immo perutile foret

prae oculis habere, quod monet doctissimus Navarrus, magnae nimirum utilitatis esse aegroto, si cui adsumus, illi persuadere, ut jamjam moriturus concipiat propositum, ac firmam voluntatem habeat Deo satisfaciendi dignis poenitentiae fructibus pro peccatis admissis in hoc saeculo, si aliquod spatium vitae sibi remaneat; ut hoc proposito mente concepto plenarie absolvatur per applicationem Indulgentiarum in mortis articulo, et in altera vita plenius capax sit juvari suffragiis, atque Indulgentiis pro Defunctis a viventibus applicatis.

12. *Ut suffragiorum, sive Indulgentiarum applicatio facta pro Defunctis ab aliquo Fideli vivente valida sit, num necesse sit, ut ipse offerens in gratiae statu sit constitutus?*

Omnino requiri statum gratiae in lucrifaciente Indulgentias, easque pro Defunctis applicante certius, aut saltem probabilius videtur Auctori; etsi alii contrarium sentiant pro Indulgentiarum applicatione Defunctis. Nam qui sibi non potest promereri, quomodo offerat pro aliis satisfactionem.

13. *Utrum necesse sit, ut opus praescriptum sive in hac nostra Bulla, sive alibi, fiat ex intentione, et voluntate obtinendi Indulgentiam Defuncto?*

Maxime; quia secus tale opus formaliter loquendo non esset opus Indulgentiae factum pro illo, cui Indulgentia procuratur.

Satisfactio operis praescripti non est necessario etiam offerenda pro animabus Defunctorum ex Suarez, nisi id expresse in concessione requiratur. Attamen utile erit factu; tum quia majoribus subsidiis adjuvantur animae Defunctorum; tum quia fortasse hac ratione complebitur causa sufficiens, ac praescripta ad lucrandam integram Indulgentiam, quae alias non esset.

14. *Utrum ex parte Defunctorum requiratur specialis acceptatio, aut notitia beneficii Indulgentiarum pro ipsis impensi?*

Minime. Nam sufficit generalis voluntas acceptandi quodcumque subsidium, ut Dei justitiae satisfiat.

15. *Quid circa Indulgentiam, quae dicitur* statio-

naria, *in nostra Bulla Cruciatae praescriptum occurrat, ut illa lucrifieri per nos possit?*

Quinque visitationes Ecclesiarum, sive Altarium faciendae diebus *Stationibus* destinatis; et preces fundendae ad mentem Summi Pontificis. Omnia haec inferius dicemus (1).

16. *Num iterato eadem die* Stationum *opere visitationum, ac praescriptorum precum, possit quis pluries hujusmodi Indulgentiae fructus esse particeps?*

Minime. Nam ex D. Thoma quando Indulgentiarum concessio facta est ad certum, ac definitum tempus, nonnisi semel, seu pro prima vice concessae Indulgentiae sunt intelligendae. Sed hujusmodi sunt Indulgentiae per nostram Bullam concessae visitantibus etc. Quamvis contrarium sentiat Trullenchius.

17. *Utrum ille, qui privilegio sive indulto potitur, ut Altaria visitando animam e Purgatorio liberet; possit eadem simul visitatione utriusque Indulgentiae tam nostrae Bullae, quam indulti effectu potiri?*

Minime. Nam cum plures Indulgentiae conjungantur in eadem persona diversis viis, requirunt multiplicationem actuum, per quos opera injuncta adimplentur pro unaquaque Indulgentia lucranda.

18. *Qua ratione penso, sive operi visitationum Ecclesiarum etc. sit satisfaciendum, ut hujusmodi* stationariae *Indulgentiae effectu quis perfruatur?*

Cum ex concessione Indulgentiarum per nostram Bullam devota visitatio praescribatur, necesse est, ut illae visitationes fiant animo exhibendi honorem Deo, et Sanctis suis. Atque ita declaravit Bened. XIV. in visitationibus Ecclesiarum pro lucrando Jubilaeo An. Sancti Encycl. *Inter praeteritos.*

19. *Quid de precibus ex praescripto nostrae Bullae effundendis in ipsa Altarium, sive Ecclesiarum visitatione?*

---

(1) Advertendum erit: posse visitari Altaria partim in una Ecclesia, partim in alia: scilicet dummodo complecatur visitatio quinque Altarium, posse fieri divisim in Ecclesiis pro libito, sed in eadem die.

Eodem devotionis animo, et pia mentis intentione sunt effundendae: uti ex ipsa natura orationis constat, et ex verbis Bullae nostrae: *pias ad Deum preces effundentibus.* At vero si quis intenderit a principio orationis devote precari, et interea ex naturali imbecillitate mens invite evagetur; dummodo statim ad studium orationis redeat, nihil officit Indulgentiarum fructui ex devota visitatione acquirendo.

20. *Num hic praescriptae preces dirigendae sint in finem a Pontifice propositum: scilicet pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione etc.?*

Maxime. Nam ex unanimi Theologorum sententia finis extrinsecus praecepti cadit sub praecepto, quoties a legislatore expresse praecipiatur. Porro ex declaratione saepius praelaudati Commissarii Eminentissimi Zurolo preces sunt effundendae expresse ad Deum pro pace, et concordia Principum Christianorum, pro extirpatione haeresum, atque Ethnicarum superstitionum, pro exaltatione Sanctae Fidei, ac nostrae Catholicae Religionis (1). Ideoque excluditur opinio illa Theologorum tenens: satis esse, intentionem haberi implicitam tantum, et confusam Deum orandi secundum intentionem Pontificis.

21. *Cujusmodi sit oportet oratio nobis praescripta, vocalis nempe, an mentalis; et ad quantum temporis sit protrahenda?*

Posthabitis quaestionibus Theologorum, probabilior Auctori sententia illa videtur, quae sequitur declarationem Bened. XIV. in Bulla *Convocatis*: scilicet, satis esse, si preces fuerint vocales; et aeque praecepto fieri satis, si sola mente oretur; dummodo aliqua etiam vocalis adjungatur oratio. Circa alteram partem quaesiti, idest de temporis duratione precum; probabilius dicendum, tantum temporis insumendum esse in oratione, quantum requiritur ad recitandum coram singulis Altaribus, sive in Ecclesiis, quinquies

(1) Tom. 2. ejusdem Operis Vella Dub. 3. q. 6. p. 36. uti etiam ex Bulla Cruc. a Pio VI.

orationem Dominicam, salutationem Angelicam, et Gloria Patri: tunc autem postea effundantur preces praescriptae.

22. *Num in hujusmodi quinque Altarium in eadem Ecclesia visitatione complenda, aliquis corporis motus sit adhibendus?*

Utique. Debet quis accedere, vel saltem sese convertere situ ipsius corporis versus illud Altare, quod sibi visitare proponit. Si vero deficiant quinque Altaria, et visitationes circa unum, et idem Altare sint adimplendae; tunc satis erit, consistentem in eodem loco, et situ corpus, et caput inclinare qualibet visitatione completa in signum distinctae visitationis.

23. *Intra quantum temporis spatium statutae visitationes erunt perficiendae?*

Intra spatium integrae diei naturalis, quae sit stationibus destinata: incipiendo scilicet a media nocte, et finiendo ad alteram mediam noctem diei sequentis. Ideoque non requiritur continuata visitatio, sed potest visitatio Altarium interrumpi variis vicibus; scilicet ex. gr. una fieri mane, altera meridie, tertia vespere etc.; dummodo intra spatium illius diei compleantur quinque visitationes. Haec doctrina clare patet ex declaratione Bened. XIV. de formula illa *semel in die*, quae in Bullis Jubilaei apponitur circa praescriptas visitationes: Encycl. *Inter praeteritos.*

Hoc solum discrimen est inter tempus visitationum Bullae Cruciatae, et Jubilaei, scilicet per Bullam Cruciatae dies est computanda uti supra diximus; per Bullam Jubilaei computari debet spatium diei tam naturalis, quam Ecclesiastici, quae incipit a primis vesperis diei antecedentis, et finit usque ad vespertinum crepusculum diei subsequentis.

24. *Quid si definito visitationum numero aliqua tantummodo desit, num hujusmodi defectus impedimento sit ad Indulgentias hic nobis promissas lucrifaciendas?*

Maxime, quia non adimpletur conditio praescripta.

25. *Quid intelligatur nomine Ecclesiarum, vel Al-*

tarium, quae ex praescripto nostrae Bullae sunt nobis visitanda?

Nomine Ecclesiae veniunt, quoad nostrum propositum, omnia templa ad Divinum cultum dedicata; item sacra Oratoria in Monasteriis, et Hospitalibus ab Episcopo approbata; item Eremitoria, Capellae, sive Oratoria publica, non privata, ex declaratione Commissarii Zurolo (1) etc.; etsi istae Capellae, Eremitoria etc. existant in praediis, agris, suburbiis, aut in carceribus. Nomine vero Altaris intelligitur illud, quod approbatum est auctoritate Praelati jurisdictionem ad id habentis, ad celebrandas Missas; dummodo sit tale, in quo Missa illo tempore possit celebrari. Ejusmodi vero Altare, etiamsi erectum in praediis, in navibus, proprie tamen Altare dicitur.

26. *Quomodo intelligenda sit formula illa adhibita in nostra Bulla*: aut illorum defectu, *quo posito quinquies unum, atque idem Altare visitari poterit?*

Auctori probabilius, et tutius videtur, tantum valere visitationes quinquies repetitas coram eodem Altari, quando in loco, in quo quis reperitur, nulla alia Ecclesia, vel sacellum existit. Alii contrariam opinionem sequuntur. At ex declaratione Eminentissimi Commissarii potest quis visitare duo Altaria, vel tria iterando visitationes usque ad praescriptum numerum in aliqua Ecclesia, in qua tantum tria, vel duo Altaria existunt; quamvis posset pergere ad aliam Ecclesiam, in qua quinque Altaria reperirentur (2).

Ex communi consensu Theologorum valebit visitatio quinquies repetita coram uno et eodem Altari pro Religiosis, sive Monialibus, quae a claustris egredi nequeunt: aut quas non decet ad alienas Ecclesias accedere.

27. *Quid porro dicendum de puellis, aut mulieribus, quae inclusae in Conservatoriis, aut in Monasteriis proprias non habent Ecclesias?*

Sufficit, si Capellas a suis Superioribus designa-

(1) Tom. 2. ejusdem Operis Vella Dub. 3. q. 5. pag. 35.
(2) Uti supra Dub. 3. q. 4, pag. 35.

tas devote visitare curent pro numero praescripto; uti concessum est ipsis ex Bulla nostrae Cruciatae.

28. *Quid si in aliqua Ecclesia, ad quam quis accedit pro visitationibus complendis, sint duo, vel tria Altaria, sufficitne unum illorum quinquies visitare ad propositam Indulgentiam consequendam?*

Minime; quia non verificantur verba Bullae: *in defectu illorum.*

29. *Quid si quis Ecclesiam ingredi nequeat obstante populi nimia frequentia, num satis sit prae foribus ejusdem Ecclesiae praescripta quinque Altaria visitare?*

Minime; quia etsi valeret visitatio Ecclesiae a consistente prae foribus Ecclesiae, cum moraliter esse censeatur intra ambitum Ecclesiae; hoc tamen non valet pro visitatione Altarium, cum is non censeatur moraliter praesens Altari. Tantum posset valere hujusmodi visitatio Altarium, si e foribus Ecclesiae conspiciantur Altaria.

30. *Num omnes, et singulae Altarium visitationes in statu gratiae sint perficiendae, ut vel sibi, vel defunctis promissae Indulgentiae comparentur?*

Sufficit, si ultima visitatio fiat in statu gratiae: uti dictum est alias agendo de pluribus operibus injunctis in concessione Indulgentiarum (1).

---

(1) Paragraphum quartum hujus partis secundae praeterire putavi, eo quod ad eruditionem potius pertinet, quam ad rem nostram. Tractat scilicet hic paragraphus de antiquitate Stationum, et de variis quaestionibus circa has stationes agitatis. De numero Stationum, de diebus statutis, et de Indulgentiis pro unaquaque statione concessis (de quibus Auctor agit etiam in hoc quarto paragrapho) facile est perlegere Bullam Italice exaratam, quae habetur prae manibus accipientium, et Summarium Indulgentiarum a Commissario Bullae Cruciatae quotannis publicatum, et in valvis Metropolitanae Ecclesiae, et Parocciarum affixum.

PARS TERTIA

§. UNICUS.

De abstinentia ab ovis, et lacticiniis in Ecclesiasticis jejuniis praescripta, deque indulto eadem comedendi per Bullam nostrae Cruciatae nobis concesso. Insuper de aliis quaestiunculis circa eos, quibus dispensatum est ad carnes comedendas diebus quadragesimalibus.

Q. 1. *Num diebus Quadragesimalibus ovis, et lacticiniis, secluso tamen privilegio, vesci interdictum sit?*

Maxime: constat enim tum ex universali Ecclesiae consuetudine; tum ex propositione damnata ab Alexandro VII.

2. *Num omnibus omnino diebus Quadragesimalis jejunii, etiam Dominicis, hujusmodi abstinentiae lex ab ovis etc. nobis servanda sit?*

Maxime: quia sunt dies Quadragesimales: uti constat ex decreto Concilii Quinisexti, et ex definitione Benedicti XIV. in Encycl. *Si fraternitas* ad Episcopum Compostellae quaesito V.

3. *Num ceteris jejuniis dicatis diebus praeter Quadragesimam, praecepti necessitas urgeat ab iisdem abstinendi?*

Maxime in illis locis, in quibus viget consuetudo.

4. *Quid dicendum hac in re de nostra Neapolitana Dioecesi: num scilicet isthaec consuetudo abstinendi ab ovis etc. vigeat in ceteris extra Quadragesimam jejuniis, adeo ut sine peccato violari non possit?*

Utique viget: uti patet ex Synodo ab Eminentissimo Pignatelli celebrata an. 1726.; et ex eo, quod expresse conceditur facultas comedendi in hisce diebus ex secunda Bulla nostrae Cruciatae a Pio VI. concessa, et en verba: *omnes totius anni vigilias esse*

comprehensas decernimus, *ac declaramus*. Si enim conceditur ex Bulla, erat interdictum sine Bullae facultate.

5. *Quas itaque personas complectitur haec concessio*, *sive privilegium hujusmodi vescendi ovis*, *et lacticiniis?*

Comprehendit haec concessio omnes, et singulos Christifideles utriusque sexus, sive omnes commorantes in nostro Regno, scilicet in partibus Regni duarum Siciliarum citra Pharum, sive ad idem declinantes, exceptis olim solummodo Regularibus utriusque sexus; sed nunc ad istos etiam extensum est hoc privilegium anno 1827. die 14. Augusti a f. m. Leone XII.

6. *Quibus diebus istiusmodi concessio vescendi ovis etc. nobis facta sit?*

Omnibus omnino jejunii diebus per annum recurrentibus, etiam intra Quadragesimam; excepta tamen hebdomada majori pro Archiepiscopis, Episcopis, et aliis inferioribus Praelatis; necnon Presbyteris saecularibus, et ex ultima supramemorata concessione Leonis XII. Regularibus, uti supra.

7. *Num ii*, *quibus concessum est diebus jejuniorum ovis etc. vesci*, *possint etiam uti larido*, *adipe*, *sagimine animalium*, *aliisque id genus ad condiendas dapes?*

Minime. At nobis per Bullam nostrae Cruciatae utique concessum est hisce diebus uti larido, et axungia ad condiendas dapes: uti ex ipsa Bulla vulgari idiomate conscripta colligitur. Praeter autem adipem suis, seu laridum, axungiam, laridulum pro condiendis epulis ex declaratione Eminentissimi Zurolo permissam, non licet uti aliis adipibus et sagimine animalium, puta vervecis, juvenci (1). Nunc vero ex declaratione Eminentissimi Archiepiscopi Philippi Judicis Caracciolo Apostolica pollentis Bullae nostrae Cruciatae commissione licet uti quoque sagimine juvenci, vulgo dicto *rognonata*, per modum condimenti: ut ex suis

(1) Ut supra t. 2. Dub. 28. q. 3. p. 66.

litteris Pastoralibus pro publicatione S. Cruciatae anno 1836. editis.

Haec concessio, quoad adipem hujuscemodi, facta etiam intelligitur ceteris anni diebus praeter jejuniorum dies, videlicet, diebus Veneris, et Sabbati; ubi interdictum est ex consuetudine, ut in nostra Neapolitana Dioecesi.

8. *Num ii, quibus ex Bullae nostrae privilegio concessum est comedere ova etc., possint simul cum hisce concessis eduliis, piscibus, atque aliis esurialibus cibis vesci?*

Maxime: ut constat ex Encycl. Bened. XIV. *Si fraternitas* ad Episcopum Compostellae.

9. *Quinam ergo sunt ii, qui hac lege de non permiscendis epulis diebus jejuniorum teneantur?*

Omnes illi, qui tenentur ad legem jejunii; vel quia obligati ad abstinentiam ciborum interdictorum, et ad unicam comestionem, cum jam expleverint annos XXI., vel quia ad solam abstinentiam ciborum vetitorum adstricti, cum non adhuc pervenerint ad aetatem vigesimi primi anni expleti. At si quis affecta valetudine absque gravi incommodo non potest se subjicere dictis conditionibus; hoc in casu ex epicheja legis potest uti aliquo edulio piscium, ex. gr. praemittere prandio pauculas aleculas olio conditas, aut aliquid simile ad excitandam edendi appetitionem propter languorem stomachi (1).

Hinc. Utrum dispensati ad carnes ratione alterius privilegii sint exempti ab hac lege de non permiscendis epulis, uti copiae Militares, non una est Theologorum opinio de copiis Militaribus Hispanis. De Neapolitanis exercitibus vero certum est ex Diplomate concedente istis dispensationem ad carnes, non posse permiscere epulas.

---

(1) Parvitas materiae procul dubio in hoc praecepto de non permiscendis epulis est admittenda juxta Salmanticenses: adeo quidem ut dimidiae unciae piscis quantitatem cum carne permixtam, vel viceversa, non excedere culpam levem dicendum sit.

Hinc. Quod dictum est de hujusmodi lege de non permiscendis epulis intelligendum est etiam in diebus Dominicis Quadragesimae, ex laudata Encycl. Bened. XIV. in quaes. 5.

10. *Num praeceptum de non permiscendis epulis Quadragesimali tempore, aliisque jejunii diebus, obstringat etiam Fideles diebus Veneris, et Sabbati, quibus nulla urgeat jejunii obligatio?*

Minime, sed tantum in tempore Quadragesimali, et in jejunii diebus per annum: cum loquatur Pontifex de praecepto non permiscendi epulas, et unicae comestionis, quorum ultimum jejunii tempus indicat (1). Licet alii contrarium sentiant.

11. *Num ova, et lacticinia nobis concessa per facultatem nostrae Bullae Cruciatae diebus jejuniorum adhiberi possint in collatiuncula vespertina?*

Minime quidem; quia nobis concessum est hoc privilegium sub hac conditione: *servatis tamen in singulis feriis jejunii legibus, et unica tantum comestione in die.* Ideoque conceduntur tantummodo in unica comestione. Et clare patet ex Encycl. supradicta Bened. XIV., et ex Const. Clementis XIII. *Appetente*, et tandem ex declaratione Commissarii Zurolo (2).

12. *Unde Major Hebdomada excepta pro Presbyteris, et Regularibus utriusq. sexus, ut supra designavimus, incipienda sit: num ex Dominica Palmarum, an ex Feria insequenti?*

Contra alios probabilius Auctor tenet, incipere Hebdomadem Majorem a Dominica Palmarum.

13. *Quinam sint intelligendi nomine Regularium, qui exclusi sunt ab hujusmodi privilegio?*

Nomine Regularium sunt intelligendi ii, qui in Religione approbata a Sede Apostolica, et coram le-

---

(1) Tom. 2. ejusdem Operis Vella p. 117. Accedit declaratio S. Poenitentiariae ex mandato Sanctitatis PP. Greg. XVI. die 15. Feb. 1834. qua permittitur in hisce diebus. Vide opusculum a me editum, cujus titulus Osservazioni su di alcune dottrine nell' opera dell' Abate Righetti pag. 23.

(2) Vella ibid. Dub. 1. ad quaest. 3. p. 28.

gitimo Praelato tria vota substantialia, sive etiam simplicia emiserint. Comprehenduntur etiam Laici professi, Moniales professae; non vero novitii, quia in odiosis stricta facienda est interpretatio: item Regulares evecti ad Regularium Praelatorum munia (1).

14. *Quid si contingat hujusmodi Regulares provehi ad munus Episcopale, num ipsi, non secus, ac alii Episcopi gaudere possint hujusmodi privilegio?*

Ex Salmanticensibus possunt gaudere hujusmodi privilegio Regulares evecti ad munus Episcopale: quorum sententiae adhaeret Auctor ex luculentissimis rationibus (2). An vero Regulares adstricti ad votum perpetuae Quadragesimae, uti sunt *Minimi*, possint perfrui istiusmodi privilegio cum Episcopi consecrati fuerint, litigant DD. At ex Bibliotheca Lucii Ferraris verb. Bul. Cruc. n. 35. constat non posse; quia hujusmodi Regulares evecti ad Episcopatum inveniuntur specialiter dispensati a Pontifice.

15. *Quo ex tempore Regulares Episcopi hujusmodi privilegio uti poterunt?*

Statim, ac fuere a Summo Pontifice approbati seu confirmati post electionem ad Episcopatum, accipiendo Bullam gaudent hoc privilegio. Idque etsi Episcopi consecrati postea renuntiaverint muneri Episcopali, aut ab eo fuerint depositi; quia semper remanet dignitas Episcopalis. Secus vero, si fuerint degradati.

16. *Num ille, qui jejunium voverit, vel cui a Confessario jejunium in satisfactione fuerit imperatum, iste pro suo munere satisfecisse censendus sit, si ovis, et lacticiniis ex facultate nostrae Bullae vescatur?*

Si jejunium quis voverit, aut pro poenitentia acceperit cum animo abstinendi etiam ab ovis, et lacticiniis, minime potest vesci ovis, et lacticiniis; quia Bulla Cruciatae non potest dispensare in hisce

---

(1) Hoc erat dicendum olim; nunc gaudent ex nova concessione etiam ipsi Regulares, uti supra dictum est.

(2) Uti etiam declaratum fuit a Commissario Zurolo Tom. 2. ejusdem Operis Vella quaes. XIV. pag. 125.

peculiaribus obligationibus. Si non constet ex mente voventis, aut Confessarii de tali abstinentia, hoc in casu litigium inter DD.; at probabilius ex Auctore non potest iste uti hujusmodi privilegio; quia tale jejunium promissum, aut impositum debet adimpleri secundum consuetudinem, et morem jejunii ab Ecclesia praescripti, quod abstinentiam dicit non solum a carne, verum etiam ab omnibus, quae sementinam originem habent a carne.

Declarationes ab Eminentissimo Josepho Capycio Zurolo editae.

(1) *Quaesitum fuit: utrum, qui sunt dispensati a jejunio Ecclesiastico aut ratione aetatis, aut ratione laboris, possint virtute Bullae qualibet hora diei adhibere lacticinia, ova, laridum?*

Responsum est affirmative hisce verbis: illi nempe qui Ecclesiastici jejunii lege non tenentur, aut propter aetatem aut ratione laboris, possunt virtute Bullae qualibet hora diei adhibere lacticinia, ova, laridum. Dominicis autem diebus hoc idem permittitur etiam illis, qui adstricti sunt ad legem jejunii (2).

(3) *Quaesitum fuit: Sacerdotes saeculares, qui acceperint Bullam et aetatem compleverint sexagesimi anni, possintne adhibere lacticinia etc. etiam per Hebdomadam Majorem?*

Responsum fuit: tutius esse sexagenarios Sacerdotes sese conformare omnibus, quae in eadem Bulla praescribuntur.

(4) *Quaesitum fuit: num virtute Bullae Cruciatae absque alia facultate possit absolvi publicus Clerici percussor?*

Resp. In solo foro interno potest absolvi virtute Bullae Cruc. publicus Clerici percussor. Ideo tenetur

---

(1) Tom. 2. Ejusdem Operis Vella Bullae Cruciatae Dub. 3. quaesit. 2. p. 33.

(2) Ex declaratione S. Poenit. item dicitur. Vide in Append. VI. De jejunio nota 1. ad n. 27.

(3) Ibidem Dub. 12. ad. 1. p. 45.

(4) Ididem Dub. 14. p. 49.; et Dub. 15. p. 50.

ligatus tali censura se praesentare Superiori, et ab ipso in foro externo absolvi ad evitandum scandalum.

(1) *Quaesitum fuit: num possit virtute Bullae absolvi Titius occultissime interfector cujusdam Sacerdotis?*

Resp. Posse absolvi in foro conscientiae; dummodo parti laesae satisfecerit; sin minus ad satisfaciendum, praestet cautionem sufficientem fidejussoriam, pignoratitiam, aut saltem juratoriam.

(2) *Num Moniales professae, quae extra claustra morantur vel in propriis aedibus, possint uti privilegio Bullae quoad lacticinia etc. ante aetatem sexagesimi anni, quia in propriis suorum familiis plerumque, immo saepius deficiunt commoditates, aut opportunitates ad Quadragesimalem observantiam retinendam?*

Resp. Non posse ante aetatem sexagesimi anni (3).

(4) *Quaesitum fuit: Num ille, qui Bullam acceperit, durante anno Bullae nunquam usus fuit facultate eligendi Confessarium, ut a reservatis absolvatur; possit annis sequentibus sine acceptione Bullae illius anni, absolvi a reservatis?*

Resp. Minime. Etenim privilegium Bullae Cruciatae nonnisi ad annum solum duraturum conceditur.

(5) *Quaesitum fuit: num Moniales Professae possint inscio, atque inconsulto suo Ordinario eligere sibi in Confessarium aliquem approbatum à suo Ordinario, ut ab eodem absolvantur a casibus Pontifici reservatis?*

Resp. Maxime, dummodo sit iste Confessarius ab Ordinario approbatus ad audiendas confessiones Monialium juxta praescriptum Apostolicarum Constitutionum.

---

(1) Ibidem Dub. 20: pag. 57.

(2) Dub. 24. p. 62.

(3) Hoc erat olim ante concessionem pro Regularibus a Leone XII. in suo rescripto supermemorato.

(4) Dub. 25. pag. 63.

(5) Dub. 26. ad 4. q. p. 65. 66.

En dubia proposita, et responsiones ad ipsa dubia ab Eminentissimo Domino Archiepiscopo Aloysio Ruffo Scylla tunc temporis Bullae S. Cruciatae Neapolitano in Regno Apostolico Commissario emissae, quas Italice, prout sunt, exscripsi, ne verbo a terminis eorum discederem.

Q. 1. Se si può godere il privilegio di scegliersi un Confessore approvato per farsi assolvere da' casi Papali due volte in tutto il corso della vita durante l' anno della Bolla presa, o anche dopo spirato questo in un altro anno de' seguenti senza prendere nuova Bolla?

Sua Eminenza ha dichiarato, che dura la grazia durante l' anno della Bolla.

2. *S' essendosi presa da Tizio per più anni la Bolla senza essergli bisognato di farsi assolvere da' Casi Papali, o farsi permutare i voti semplici, possa in un solo anno valersene tante due volte, quanti sono stati gli anni, ne' quali si ha preso la Bolla?*

Sua Eminenza ha risposto, che spirato l' anno della Bolla, spirano i privilegii.

3. *Se chi possiede pochi fondi, e vive anche colla sua industria, e fatica possa prendersi una sola Bolla comune da valere per se, e tutta la famiglia di quattro, sei, otto figli?*

Sua Eminenza in Marzo 1816. dichiarò doversi rimettere al giudizio prudente del Confessore. Ultimamente poi per togliere l' imbarazzo agli stessi Confessori ha dichiarato, che il possidente ricco debba prendere tante Bolle di grane 26 1/4 l' una, quanti sono gl' individui della famiglia; il possidente poi non ricco, e che vive anche di soldo, debba prendere una Bolla di grana 26 1/4 per se, un' altra simile per sua moglie, se ha portato fondi di dote, e tante Bolle minori quanti sono i figli.

4. *Se il Capo di famiglia non possidente possa prendere una sola Bolla comune per se, e per tutta la famiglia?*

Sua Eminenza ha distinto il caso, cioè: se il solo capo di Famiglia non possidente lucri pel man-

tenimento dell' intera famiglia, e gli altri niente lucrano, può prendere una sola Bolla comune per sè, e per tutta la famiglia; ma se alcuno individuo di essa anche lucri, e vivano insieme, colui che lucra, deve prendere la bolla minore per se, ed il capo la prenderà comune per se e pel rimanente della famiglia.

5. *Se le Religiose Dame debbano prendere la Bolla di grana 52 1/2 o quella di grana 26 1/4, o in fine quella di grana 13 come povere, avendone il voto?*

Sua Eminenza ha deciso, che le Religiose nobili, che hanno il livello particolare, debbano prendere la Bolla di grana 26 1/4 per ciascuna; quelle poi, che non hanno affatto livello, e ricevono tutto dalla Comunità, si possono considerare come povere, e prendere la Bolla minore.

6. *Se le famiglie nobili debbano prendere tante Bolle di grana 52 1/2, quanti sono gl' individui della famiglia?*

Sua Eminenza ha dichiarato, che le famiglie ricche, e nobili prendano tante Bolle di grana 52 1/2 quanti sono gl' individui, che la compongono. Le famiglie poi nobili, che si trovano in auguste circostanze, possono prendere una pel capo di casa titolato, un' altra per la moglie, che ha portati fondi dotali, e la terza per tutt' i figli, purchè questi vivano *de communi mensa*; e tutte tre le dette Bolle siano di grana 52 1/2 l' una; se poi i detti figli hanno avuto il loro assegnamento, o alcuno di essi l' abbia avuto, allora dovrà costui prendersi la sua Bolla di grana 52 1/2 particolarmente per se.

Napoli 24 Febbrajo 1823.

Recens declaratio anno 1836. ab Eminentiss. Archiepiscopo Neapolitano, Philippo Judice Caracciolo, Bullae Cruciatae Apostolico Commissario emanata.

1.° I Nobili, ed i Prelati anche minori daranno la limosina di grana 52 1/2. Le famiglie nobili, e ricche prendano la Bolla di gr. 52 1/2 per ciascuno individuo. Se sono in anguste circostanze, se ne pren-

da una pel capo di casa titolato, un' altra per la moglie, che ha dat' in dote fondi, sieno rustici, sieno urbani, o capitali, o partite di annue entrate; la terza per l' intera famiglia: purchè vivano *de communi mensa*. Se poi i figli, o alcuno di essi abbia ricevuto assegnamento particolare, debba prendere la stessa Bolla di gr. 52 1/2 per se particolarmente.

2.° Le Religiose nobili, che hanno livello particolare, ancorchè abbiano la sola mensa comune a peso della comunità, prendano per ciascuna di esse la Bolla di gr. 26 1/4. Chi poi riceve tutto dalla comunità, prenda quella di gr. 13: purchè però la stessa comunità non se ne interessi. Lo stesso debba valere pe' Religiosi professi non nobili dell' uno, e l' altro sesso. I Religiosi laici prenderanno la Bolla di gr. 13. A que' Religiosi però dell' uno e l' altro sesso, ch' è dovuta la Bolla di grana 26 1/4. si distribuirà la Bolla *Sacerdote*.

3.° I benestanti, seu possidenti ricchi, prendano la Bolla di gr. 26 1/4, una per se, ed una per la moglie, e tante altre, quanti sono i figli, di maniera che, se tutta la famiglia fosse di otto, o dieci individui, otto, o dieci Bolle di gr. 26 1/4, debbano prendere. Pe' ricchi, ancorchè non possidenti, debba valere la stessa regola: se i figli però fossero più di quattro, e di piccola età, basti per essi prendere una Bolla di gr. 13 per ciascuno; purchè però alcuno di essi non lucri, poichè in tal caso costui debba prendere per se la bolla di gr. 26 1/4. Pe' possidenti non ricchi si prenda una Bolla di gr. 26 1/4 per se, ed un' altra per l' intera famiglia.

4.° I professori, i negozianti, gl' impiegati, gli Ecclesiastici, tutti in somma, che non vivono alla giornata, prenderanno la Bolla di gr. 26 1/4. Però se solo il capo di famiglia lucri, e nessun' altro della famiglia, o pure lucrasse uno de' figli, e questo lucro servisse unito a quello del capo per sostentamento dell' intera famiglia, basti prendere una Bolla di gr. 26 1/4 per tutti ancorchè; per accidente alcu-

no de' figli fosse fuori casa a tempo breve , pure gode della medesima Bolla.

5.° S'è Sacerdote quegli, ch'è alla testa di una famiglia, che alimenta a peso suo, oltre la Bolla *Sacerdote*, che deve prender per se, ne prenda un'altra di gr. 26 1/4 per detta famiglia.

6.° Chiunque vive d'industria giornaliera, come l'uomo di campagna, di marina, il venditore di piazza, il garzoue artista, il servidore di livrea, il facchino, ed ogni altro, che non è in stato di prendere la Bolla di grana 26 1/4, prenderà quella di gr. 13. Se alcuno però di essi abbia famiglia, prenda per tutti una Bolla di gr. 26 1/4; ancorchè i figli lucrassero in comune col padre: purchè alcuno di essi non vivesse con economia separata, poichè in tal caso dovrebbe regolarsi come si è detto di sopra. Nel caso poi, che solo il capo di famiglia lucrasse, ed il lucro appena fosse sufficiente pel sostentamento della famiglia, basti prendere per tutti una sola Bolla di gr. 13; giacchè in tanta angustia è meglio prender questa, che non prenderne alcuna affatto.

7.° Per la gente di servizio prenda il padrone tante Bolle di gr. 13, quanti essi sono; purchè convivano con esso: da valere durante il loro servizio, in modo che, se escano dal servizio, valga per chi entra in loro vece; purchè però il padrone non dasse a ciascuno di essi un salario mensile sufficiente a provvedersi a proprie spese di detta Bolla.

Occorrendo dubbio o nell'esposte classificazioni, o in altro qualunque caso, restino ampiamente facoltati gli Ordinarii dei luoghi a decidere in favore dei loro Diocesani secondo le regole di Cristiana prudenza per la tranquillità delle coscienze de' Fedeli. Estendendosi tale facoltà anche a' Parrochi in favore dei loro Figliani, quando il caso non patisse dilazione, e non offrisse facile l'accesso all'Ordinario: non esclusi i Parrochi di questa Città di Napoli.

FILIPPO CARD. ARCIV. COMM. GEN. APOST.



APPENDIX NONA

DE OBLIGATIONIBUS ALIQUORUM STATUUM.



DE STATU RELIGIOSO.

Q. 1. *Quid sit status Religiosus, et quinam sint Religiosi?*

Status Religiosus est Fidelium ad Divinae charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuae castitatis, et obedientiae, stabilis in communi vivendi modus, ab Ecclesia approbatus. (1) Religiosi dicuntur, qui hunc statum profitentur.

2. *An Religiosus ad Episcopatum assumptus sit a votis paupertatis, et obedientiae absolutus?*

Quaestio inter DD. At ex probabiliori, et communiori sententia, quam expresse amplectitur D. Thomas 2. 2. q. 88. a 11. ad 4., tenetur ad vota, in quantum non repugnet muneri Episcopali: ut constat ex eo, quod habitum Ordinis non possunt dimittere, saltem quoad colorem. Hinc infertur: 1. Episcopum Regularem non posse de ullis bonis testari; 2. non posse de bonis Ecclesiae disponere, nisi ad mode-

(1) Debet Ordo Religiosus approbari a Pontifice: ut statutum est in Lateranensi IV.

Ad essentiam Religionis non requiruntur vota sollemnia: uti constat ex Bulla Gregorio XIII. *Ascendente Domino* pro Religiosis Societatis Jesu edita. Hinc non sunt Religiosi ii Ordines militares, qui tantum emittunt votum castitatis conjugalis. Neque Tertiarii Ordinis S. Francisci, sive aliorum, qui regulam a S. Sede approbatam non profitentur.

Pontifex, quamvis possit dispensare in votis sollemnibus, non potest tamen dispensare: ut quis manens Religiosus, substantialibus votis non teneatur; quia ad essentiam Religionis illa spectant. Laym. et Navar.

ratam ipsius sustentationem (1).

3. *Quaenam conditiones requirantur ad valorem professionis Religiosae?*

Sequentes: aptitudo voventis, libertas profitendi, et consensus, ac acceptatio expressa vel tacita Praelati Ordinis. Aptitudo scilicet, aetas decimi sexti anni expleti, annus integer probationis cum habitu Religioso, et carentia omnis impedimenti a Religioso illo Ordine substantialiter statuti, et confirmati a Pontifice. Libertas nimirum, debet esse omnino libera professio, non cogente metu gravi, puta ex incarceratione, ex subtractione alimentorum etc., ut in professione consentiatur. Consensus tandem debet esse una cum Capitulo, saltem ex majori vel principaliori parte juxta cujuscumque Ordinis statuta (2).

---

(1) Ab aliis votis propriis sui Ordinis Religiosi Episcopi absolvuntur.

Adverte, quod Abbates Regulares propriam Dioecesim habentes cum jurisdictione Episcopali, ut Abbas Cassinensis, Episcopis in praedictis assimilantur.

Quod dictum est de Regularibus ad Episcopatum assumptis, idem dicendum est de assumptis ad Cardinalatum. Immo, si Religiosus Episcopus effectus, postea dimittat Episcopatum, non tenetur ad Regularem observantiam redire; non sic de renuntiantibus Cardinalatui: quia isti ad Regularem observantiam redeunt.

Ad Paroeciam promotus tenetur ad vota, ad habitum Religionis propriae deferendum, et ad observantiam Regularem, sub ea obligatione, quam professus est; in quantum tamen eam possit servare compatibilem suo muneri. At ex consuetudine eximitur ab obedientia sui Praelati, et subjicitur Episcopo: non tantum in iis, quae ad disciplinam Ecclesiasticam spectant, sed etiam in plerisque aliis. Apud. D. Ligorium L. 4. n. 4.

(2) Error circa substantiam, tum ex parte profitentis, quam ex parte admittentis, vitiat professionem. Siquidem professio aequiparatur matrimonio; proindeque ille error, et coactio, quae irritat matrimonium, efficit quoque nullam professionem. Ex Salm. de Statu Relig. c. 4. n. 26.

Qui professionem irritam emisit ex defectu cujuslibet recensitae conditionis, potest licite egredi e Monasterio, seu a Religione, et uxorem ducere; nisi illam postmodum taci-

4. *Ad quid tenetur Religiosus vi suae professionis?*

Tenetur aliquo modo ad perfectionem tendere: nempe per votorum observantiam, per mediorum essentialium adimpletionem, et per usum auxiliorum secundariorum (1).

---

te vel expresse ratificaverit: dummodo evitet scandalum, caussam egressus manifestando.

Huc spectant, quae sancita sunt a Benedicto XIV. in Const. *Si datam hominibus*: 1. Ut omnia, quae decreta sunt de viris Religiosis, comprehendant etiam foeminas, ubi eadem causa militat. 2. Causae nullitatis professionis agnoscendae sint a Praelato Regulari locali tempore litis motae, et simul ab Ordinario. 3. Non possit Praelatus ejicere professum, nisi causa cognita per ipsum, et Ordinarium, casu, quo agnoverit postea impedimentum, etsi de eo subditum interrogaverit, nullam alias professionem fore protestatus, et subditus impedimentum occultaverit. 4. Possit causa nullitatis agi, etiam elapso quinquennio, si intra illud professus reclamaverit. 5. Cognitio causae ad Sedem Apostolicam pertineat, si professio emissa fuerit extra Novitiatum. 6. Apostatae repellantur a judicio, nisi habitum Religiosum reassumpserint. 7. Non possit professus annullationem suae professionis praetendere ratione vis, aut metus illati, si intra quinquennium non reclamaverit; tametsi allegaverit vim et metum semper durasse, conceditur tamen huic restitutio in integrum danda per Sedem Apostolicam, processu confecto a suo Praelato, et Ordinario, cum assistentia defensoris professionis; qui debet etiam Romae adsistere. 8. Post primam sententiam Professus non potest egredi a Religione, sed debeat expectare secundam, post appellationem faciendam a defensore professionis.

(1) Tenetur aliquibus mediis uti, tamquam auxiliis aptis ad perfectionem a Religione oblatis, ita ut si omnia haec abjiciat, non sit in statu salutis. Hinc ex communi sententia cum D. Th. 22. q. 186. a. 2. et 9. graviter peccat Religiosus, quando regulas, etiamsi ad culpam venialem, vel nullam obligantes, ex contemptu transgreditur. Ex contemptu autem censentur praetermitti regulae, quando illae negliguntur animo non satisfaciendi illis, vel Praelatorum praeceptis; aut tamquam inanes; non ita tamen, si omittantur ex ductu concupiscentiae, aut ex falsa persuasione quia non sunt necessariae illae ad salutem, vel quia non praecipiunt sub gravi. Si vero quis Religiosus firmiter statuerit non tendere ad

5. *Ad quid tenetur Religiosus vi voti paupertatis?*

Religiosus ex voto paupertatis obligatur, ut nihil habeat proprium: nempe de bonis temporalibus. Quo nomine intelliguntur omnia bona temporalia pretio aestimabilia : de quibus dominium , vel certe facultatem disponendi liberam et independentem ratione hujusmodi voti in perpetuum abdicavit (1).

6. *An Religiosus licite possit habere peculium ex Superioris licentia?*

Licet litigant DD., tam inspecto jure antiquo, quam novo; D. Lig. tamen probabilius negat, licite posse eos retinere, argumento ex decreto Tridentini desumpto (2). At ex consuetudine hodie fere in omni-

---

perfectionem, vel nullo modo curare de illa, peccat graviter. Item si suo exemplo alios inducat ad regulae relaxationem : quando materia est gravis. Quaestio inter DD. utrum peccet graviter Religiosus intendens observare tantum mandata obligantia sub gravi, et alia omnia statuens transgredi, vel de illis non curare. At ex communiori et probabiliori sententia tenendum est non peccare graviter. Attamen hoc est intelligendum ratione praecisae obligationis ad perfectionem; non vero potest excusari a mortali ex aliis capitibus : nempe ratione periculi transgrediendi vota, vel grave damnum Religioni inferendi quoad regularem disciplinam. Apud D. Lig. L. 4. n. 9. et seqq.

Praelatus aliquando defectus leves subditorum corrigere negligens, graviter peccat: quando scilicet defectus sunt plures, et ejusmodi, ut disciplinam relaxare valeant.

(1) Dominium bonorum spiritualium, honoris, famae, et similia, retinet. Ita jus eligendi, praesentandi, conferendi Beneficium Regulare.

Manuscripta sunt propria Religiosi ex communiori sententia : dummodo non obstet Ordinis peculiaribus Constitutionibus : ex Turnely cum aliis. At Religiosus picturas ab ipsomet elaboratas, quibus conficiendis a Monasterio, telae, colores, tabulae subministrantur, non facit suas. Si vero sit Conversus, semper fiunt Monasterii hujusmodi opera.

(2) Sess. 25. c. 2. de Regul. *Nemini liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque quantitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propriam, aut etiam nomine Conventus, possidere, vel tenere etc.*

bus Religionibus, saltem non reformatis, introducta ipse D. Lig. cum DD. negativae sententiae opinatur, rigorem Concilii nunc esse temperatum; et licere singulis Religiosis, ex consensu Superioris, ut sibi provideant ad usus necessarios, vel honestos; modo sint parati hujusmodi bona a se abdicare ad nutum Superioris, semper ac illis sufficienter necessarium subveniatur (1).

7. *An liceat Religioso alienare, vel acceptare ex licentia Superioris praesumpta?*

Ex communi sententia licet, si licentia praesumatur de praesenti, ex voluntate actuali vel virtuali

---

(1) Isthaec consuetudo quoad bona etiam immobilia videtur tacite approbata a Bened. XIII. in quodam Brevi incipiente *Postulat humilitati nostrae*; quoad mobilia vero expresse confirmatur a Clemente VIII. in suo Brevi ad Cardinalem Gesualdum Archiepiscopum Neap. anno 1602. pro Monialibus. Idem confirmatum constat pro Religiosis ex Brevi Inn. XI. edito an. 1691, approbante Constitutiones Ordinis S. Mariae de Mercede. Omnes DD. conveniunt, quod in iis Conventibus, in quibus vita communis non observatur ob inopiam, vel incuriam Superioris omnia necessaria non subministrantis, possint concedi peculia ad nutum Praelatorum. Nam, dicunt, Concilium tunc praecepit Religiosis vitam communem, cum a Conventu *Nihil, quod sit necessarium, denegetur.*

Adeatur D. Lig. L. cit. n. 15.: ubi pro viribus adhortatur Superiores, ne usum peculii introducat, quod paupertati, et disciplinae vel maxime adversatur.

Advertendum tandem, quod non repugnat voto paupertatis Religiosos habere bona in communi, etiam immobilia. Item Religiosis licet accipere villam, vel alium locum nomine Monasterii administrandum; idque in Monasterii commodum. Immo si accipiat Religiosus Beneficium Ecclesiasticum in commodum, vel incommodum ipsiusmet Religiosi, non repugnat voto paupertatis. Eo in casu ei competit tantum administratio redituum, quos ad sui sustentationem, et pias causas applicare potest; ideoque nullum dominium acquirit de Beneficio, vel de reditibus. Quod reliquum est, spectat ad Ecclesiam, vel Beneficium; quod vero accipit extra Beneficium, vel occasione Beneficii, ad Monasterium spectat; nisi ex consuetudine spectet ad Ecclesiam.

Superioris. Imo ex Lugone, et Salmanticensibus sufficit, ne peccet, saltem graviter, contra votum paupertatis, ut Superior non habeat hic et nunc voluntatem omnino repugnantem quoad substantiam, quamvis sit invitus quoad modum (1).

8. *Potestne Religiosus suo arbitratu disponere res ad suum usum concessas?*

Minime. Nam in iis habet tantum usum facti, et illud praecario, quandiu scilicet Superiori libuerit; secus esset actus dominii, posse res ad libitum distrahere. Hinc Religiosus hujusmodi res nequit in alium usum expendere, culpabiliter amittere, aut distrhaere (2).

9. *An liceat Religioso sine licentia donare, quae parcius vivendo sibi subtraxit?*

Ex saniori sententia licet Religioso, si ad suam sustentationem certa quantitas assignetur, ita ut Mo-

---

(1) Communiter licet ex tacita licentia Superioris: puta si Praelatus sciat subditum expendere aliquid, accipere, retinere, et tamen non prohibet, cum facile possit.

Hinc infertur a DD., excusari a peccato gravi Religiosum, qui noverit Superiorem erga ipsum ita esse affectum, ut, si sciret, licentiam concederet; vel saltem non graviter repugnaret. Item si Superior facile non possit adiri, et tamen urgeat causa aliquid accipiendi, vel alienandi. Denique si Superior de facili soleat licentiam concedere pro quibusdam rebus minimis, et crebo occurrentibus; praesertim exculentis et poculentis. Attamen aliqui DD. merito admonent, postea manifestandum esse Superiori.

An liceat ex licentia interpretativa, seu praesumpta de futuro. D. Lig. adhaeret sententiae affirmativae: dummodo habeatur certitudo, vel saltem certa probabilitas de ipsius licentiae concessione.

(2) Licet Religiosus non possit donare, nec remittere sibi debita, neque legata sibi relicta renuntiare, aut mercedes suis laboribus debitas; potest tamen non acceptare munera. Non enim ageret contra votum; peccaret tantum contra charitatem Monasterio debitam, si sine justa causa respueret donationes. Insuper DD. docent, non esse contra votum facere donationes remuneratorias ex bonis sibi concessis ad usum. Imo potest plus donari, quam acceptum fuerit, usque ad excessum quartae partis secundum Salmanticenses.

nasterium non teneatur aliud ei praestare, nec ipse rationem reddere; sive sit Religiosus intra, sive extra claustra: ad usus tamen honestos (1).

10. *Quaenam quantitas requiratur, ut Religiosus illam expendens sine licentia graviter peccet?*

Non una est Theologorum sententia. Navarrus, Palaus, Sanchez, et alii, sentiunt, materiam gravem esse quatuor argenteos; et plus pro Conventibus pinguibus; et amplius, si res sit ex vestibus, libris, et similibus. Card. de Lug. pro Conventibus mediocriter opulentis assignat septem, vel octo argenteos, si accipiantur ex destinatis ad usum ipsius Religiosi; et etiam plus, si res surripiatur ad proprium usum, et remanet in Communitate. Putat vero sex argenteos esse materiam gravem, si surripiantur ex rebus communibus Monasterii ad extraneis praebendum. A quibusdam octo vel novem argentei non censentur materia gravis, si accipiantur ex rebus usu non consumptibilibus: dummodo semel vel bis in anno fiat. Ab aliis tandem duo aurei putantur materia gravis (2).

---

(1) Communiter DD. permittunt Religiosis, qui extra Monasterium de licentia vivunt, facere eleemosynas moderatas ex iis, quae a Monasterio, vel ab aliis eis subministrantur ad victum. Item permittunt donare, cui velint, suas pitantias, limitate eis praebitas: uti ova, carnes, panem, etc.; nisi Superior id expresse vitaverit. Praeterea possunt Religiosi succurere de bonis Monasterii pauperi magna inopia laboranti; dummodo adiri nequeat Superior: sic etiam pauperibus possunt elargiri aliquid de esculentis et poculentis. Denique ex Salmant., et aliis permittuntur leves donationes amicis, et consanguineis faciendae, in signum gratitudinis, vel debitae amicitiae, aut ad conciliandum aliorum amorem erga Religionem. Nam in his non praesumitur invitus Praelatus.

(2) Sententiam eorum, qui eamdem materiam dicunt esse gravem pro Religiosis, quae requiritur in furtis gravibus filiorum familias, merito reprobat D. Ligorius cum Lug., et Sanchez.

Censent Salmant. plus requiri, si donatur Religiosis ejusdem Conventus.

Argenteus respondet quatuor carolenis, aureus ducato nostrati.

11. *An Religiosus paulatim res accipiens sine licentia, peccat graviter, si per hujusmodi furtula perveniat ad notabilem quantitatem?*

Litigant DD. At ex Salmantic. verius affirmatur; quamvis major requiratur quantitas pro materia gravi, quae intra spatium mensis coalescit (1).

12. *Estne valida licentia concessa expendendi aliquid expresse ad usus illicitos?*

Lugo, D. Antoninus, Lessius, et alii validam esse docent; contra vero Navarrus, Sanchez, Salmanticenses cum aliis omnino negant: quibus adhaeret D. Ligorius. Item dicendum, si Praelatus det licentiam generalem expendendi aliquid ad suum libitum, et ipse erogat ad usus turpes, vel vanos (2).

Ut plurimum non peccat graviter Religiosus clam accipiens aliquid ad usum temporaneum, puta librum, candelabrum etc.; quia Praelatus non praesumitur invitus quoad substantiam, sed quoad modum.

(1) Iidem Salmanticenses tenent, non esse materiam gravem, si furtula sint de comestibilibus: dummodo a Religioso ista comestibilia non conserventur, neque Conventui nimis afferatur damnum, neque sint de re extraordinaria, et pretiosiore: uti notat de Alexandro.

Quaestio est: utrùm Religiosus impotens ad restitutionem teneatur sibi subtrahere aliquid ex rebus datis ad usum. Item communius putatur, non peccare graviter Religiosum, si sine licentia det in mutuum res sibi concessas; dummodo sit securus de restitutione.

(2) Salmantic. excusant a restitutione, qui a Religioso turpi causa aliquid accepit, quando, si Religiosus non erogasset pro illa turpi causa, alias honor Religionis, vel Religiosi periclitaretur; vel si Religiosus, qui turpi causa dedit mulieri, mutet animum, et intendat donare; seu eleemosynam illi elargiri, quia mulier est pauper; vel tandem ne damnum ipse in fama patiatur; cum tunc in usum honestum impenderetur.

Ex sententia DD. negantium validam, et licitam licentiam expendendi, ut supra, infertur: quod contra votum paupertatis peccant Praelati concedentes, et subditi expendentes in ejusmodi usus quaecumque bona, quovis titulo vel causa provenientia: item retinentes penes se superflua, pretiosa, et statum suum dedecentia.

13. *Quaenam quantitas licite possit concedi a Praelato, ut ludo licito exponatur?*

Certum est, quod summa modica potest concedi: in quo casu subditus potest uti licentia etiam tacita, seu praesumpta. Quoad ejusmodi quantitatem alii sentiunt, posse exponi, quantum posset liberaliter donari a Religioso; alii tenent quatuor vel quinque aureos pro centum quotannis ad usum sibi concessis (1). An vero possit valide concedi licentia ludo exponendi magnam summam, quaestio. At verius negant Salmanticenses.

14. *An licentia petita, et indebite negata, possit Religiosus disponere aliquid absque voti paupertatis violatione?*

Minime: nisi periculum damni sit in mora; quamvis Superior major etiam neget; quia aliquando potest prudenter judicari, legem, seu votum, in tanto discrimine non obligare. Apud D. Lig. L. cit. n. 33. (2).

15. *Ad quid tenentur Religiosi ex voto castitatis?*

Tenentur se abstinere ab omni voluntaria delectatione venerea interna, et externa. Hinc si contra hujusmodi obligationem agant, peccant contra castitatem, et Religionem. Ex Salmantic. et aliis peccant quoque contra bonum commune, si periculum sit,

(1) Semper est hoc intelligendum de ludis licitis, non vero de mere fortuitis, nempe alearum, taxillorum: quos inhibet Tridentinum Sess. 22. c. 1. de Regularibus. Ex Salmanticent. cum aliis permittitur in aliqua Religione ludere in modica summa chartis lusoriis.

(2) At licentia debet esse debita tam ex parte Praelati, quam ex parte subditi; quia si tantum sit ex parte Praelati, non vero ex parte subditi, qui non habet jus, non excusat indebita negatio a violatione voti. Ita Halzmann cum Palao.

De Alexandro cum aliis tenet, quod non valet licentia concessa dandi aliquid alicui, quem si scivisset Superior, non concessisset; quando scilicet est Superior ita dispositus, ut omnino revocaret. Secus vero, si praesumatur Superior, licet si scivisset ab initio, negasset, non tamen velle revocare. In dubio praesumitur pro validitate licentiae datae; dummodo Superior non possit adiri.

quod per hoc peccatum Religio infametur (1).

16. *Quamnam obligationem imponit votum obedientiae?*

Obligat ad omnia, quae Superior praecipit secundum Regulas, et Constitutiones Ordinis Religiosi; sive directe, et expresse, sive indirecte et implicite (2). Sub gravi tunc obligat, quando Superior praecipit *in nomine Jesu Christi*, *vel in virtute obedientiae*, vel quando additur poena excommunicationis latae sententiae: ex D. Thoma 22. q. 104. quem alii sequuntur (3).

---

(1) Ad tutelam castitatis merito imponitur Religiosis clausura: e qua non possunt egredi sine licentia Superioris: uti ex Const. Clementis VIII. *Nullus*. Hinc peccant graviter egredientes sine licentia post tertiam vicem de die, vel ex contemptu, aut cum scandalo, vel egressu furtivo, et nocturno. D. Lig. L. cit. n. 37.

(2) Quae indirecte pertinent ad Regulas, Sylvius, et alii extendunt ad illa, quae faciunt ad pleniorem Regulae observantiam. Sanchez restringit ad res valde necessarias; sine quibus Regula commode servari non potest: uti quaevis corporis macerationes.

Non tenentur subditi obedire iis, quae sunt contra Regulam, (nisi Superior in ea Regula possit dispensare, et legitima causa dispensandi subsit); etiamsi subditus dubitet de legitimitate causae. Item non tenentur ad ea, quae sunt supra Regulam: uti essent magnae macerationes, (nisi sint in poenam, vel obligationem votorum necessariae); vel secundum Salmant. cum communi, ut acceptetur Beneficium Curatum, aut simplex; ut mittatur ad Infidelium missiones cum manifesto periculo vitae, aut servitutis: tenentur tamen obedire, ut assistent infirmis ejusdem Monasterii morbo contagioso infectis. Nec tenentur ad illa, quae sunt infra Regulam: scilicet, vana; nisi praecipiantur ex causa, quae sit secundum Regulam: puta ut exerceatur obedientia. Non enim refert, quod Regulae praecipiant in omnibus obedientiam; cum sit intelligendum de obedientiae perfectione.

(3) Nisi Praelatus exprimat mandatum, dicens: jubeo; praecipio, non obligat sub gravi votum; quia non intendit obligare quantum potest: ita Salmant. et alii.

Si Regula Ordinis obligat sub peccato, tenetur subditus observare ratione voti. Si vero Regula non obligat sub peccato, illam transgrediens non peccat contra votum obedientiae; saltem potest venialiter peccare, quando ex negligentia,

17. *An Religiosi teneantur obedire Praelatis reformantibus collapsam Regulam* (1)?

Quaestio inter DD. Affirmantes tamen excipiunt, si Religiosus tempore professionis expresse intenderit non amplius se obligare, quam ad illam Regulam sic relaxatam. Negantes admittunt, quod teneatur Religiosus, quando reformatio appareat medium necessarium ad Ordinis conservationem, ita ut hujusmodi relaxatio ad perfectionem non inducat, vel scandalum creet secularibus (2).

18. *Num subditus, dubitans, an licita sit res praecepta, possit, et teneatur obedire?*

Quamvis alii negent; tamen vero sententia affirmativa est communis, et certa. Debet siquidem subditus deponere dubium in praesumptione legitimatis rei; quia semper viget jus Superioris in praecipiendo. Quinimo potest, et tenetur, etiamsi adsint probabiles opiniones circa legitimitatem praecepti. Hinc ex D. Ligorio infertur, quod subditus teneatur obedire Praelato, etiam si res praecepta ei videatur probabilius injusta; item si habeat opinionem probabilem de illicititate rei praeceptae, et nulla sibi appareat de illius honestate probabilitas (3). Tandem ex veriori

---

torpore animi, alioque inordinato affectu non observat. Nam isthaec Regula est tantum monitum, obligans ad poenam, si imponatur. At si quis frequenter, et quasi ex consuetudine transgrediatur Regulam, graviter peccat; quia Religiosam disciplinam perturbat, et inde periculo expulsionis se exponit. Ita Salmantic.

Utrum Religiosi non obedientes Superiori peccent contra Religionem ratione voti, et contra obedientiam Superiori debitam, litigant DD.

(1) Certum est, quod Regula postquam per legitimam consuetudinem relaxata est; quamvis primi peccaverint, alteri tamen non tenentur eam observare.

(2) Opinatur Laymann, posse Praelatum ob aliquam publicam necessitatem imponere ad tempus aliquam austeritatem; imo addit Sanchez cum aliis, posse Praelatos edere nova statuta, ut vota essentialia, et alia Ordinis statuta conserventur.

(3) Si dubitetur, an praeceptum excedat potestatem

sententia subditus etiam tenetur obedire, quando dubitat, an qui praecipit, sit legitimus Superior; dummodo tamen communiter ille habeatur ut Superior. Lib. cit. n. 47.

19. *Utrum Religiosus valide voveat sine licentia sui Superioris?*

Ex veriori sententia valide vovere dicendum est, quae non repugnant Regulae, aut praecepto Praelati, neque obsequio illi debito. Potest tamen Superior prohibere, ne subditi voveant ipso inconsulto.

20. *Valetne licentia ab inferiori Praelato concessa, quando a Superiore fuerit denegata?*

Aliqui Theologi probabiliter affirmant: quorum opinioni videtur adhaerere D. Lig. Non valet vero, si Praelatus superior positive prohibeat subditum exequi rem prohibitam (1).

Praelati, vel an sit supra Regulam, tenetur quoque subditus obedire.

DD. communiter limitant sententiam in responsione relatam: scilicet, quod Subditus non tenetur, si res sit valde difficilis, et molesta; si obediendo exponeret se, vel alium periculo gravis damni subeundi in vita, aut honore, aut in bonis.

Item non tenetur obedire, quando probabiliter opinatur, praeceptum non esse impositum, vel esse abrogatum. Apud D. Lig. ibidem aliqui putant.

(1) Advertendum, quod sancivit Tridentinum Sess. 21. de Regularibus: *Non licet Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi; nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint.*

Pro coronidis loco notandum est, quod ex communi DD. sententia vota sollemnia emissa in professione Religiosa, vel votum emissum in susceptione Sacri Ordinis nullo modo possunt irritari ob quamcumque circumstantiam notabilem impraevisam advenientem; modo non sit circa substantiam voti. De votis simplicibus adveniente notabili circumstantia, ita ut ea praevisa votum non esset emissum, satis probabiliter docet D. Lig. non adesse obligationem; excepto voto castitatis, et Religionis; sicut etiam vota simplicia emissa in aliquibus Congregationibus, praesertim si addatur juramentum perseverantiae. Vide D. Lig. L. cit. n. 50.

De Statu Clericorum.

De Horis Canonicis.

21. *Quid sunt horae Canonicae?*

Horae Canonicae, seu Officium Divinum, est certa publica ratio laudandi, praecandique Deum, mente simul et voce, auctoritate Praesulum Ecclesiae institutum: ita Bellarminus L. 1. de bonis operibus. c. 10.

22. *Quot partes in horis Canonicis continentur?*

Septem partes, seu horas, continet Officium: scilicet, Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, et Completorium.

23. *Unde oritur obligatio recitandi horas canonicas?*

Ex triplici titulo: nempe, ex Sacri Ordinis susceptione, ex professione Religiosa, et ex receptione Beneficii. Hinc tenentur Clerici Sacris initiati, Religiosi professi, Moniales Choro deputatae, et Beneficiati (1).

---

(1) Hi tenentur ad Officii recitationem, etiamsi sint excommunicati, suspensi, interdicti, degradati: ex jure Ecclesiastico, et Ecclesiae consuetudine. Probabilius tenentur etiam, qui Papae dispensatione uxorem duxerint.

Clericus obligatur ad hoc onus a puncto susceptionis Subdiaconatus; et quidem ad horas correspondentes illius puncto temporis, quo ordinatur: quod ut plurimum est hora sexta; ideoque ex D. Lig. cum aliis probabilius tenetur incipere a sexta. Non satisfaci Officii recitationi ante Ordinationem peractae probabilius tenent multi cum D. Lig.

Ex communiori sententia Beneficiatus in Sacris constitutus omittens Officium unum peccatum committit contra Religionem, et aliud contra justitiam, si non restituat fructus.

An Clericus per metum gravem ordinatus teneatur ad Officii recitationem, quaestio.

Omnes Religiosi, etiam in sacris non constituti, et Moniales Choristae tenentur sub gravi quotidie recitare Officium; saltem privatim: ita communior, et sanior sententia. Communiter docent DD., quod nullus Religiosus, aut Monialis in particulari tenetur sub gravi horas recitare in Choro; mo-

24. *Quomodo peccat, qui omittit Officii recitationem, vel ejus partem notabilem.*

Graviter peccat. Si partem levem omittat, puta minus, quam integram horam parvam, leviter peccat juxta communiorem sententiam. At Lacroix, Holzmann, quos sequitur D. Lig., dicunt, graviter peccare, qui de hora parva nimis modicum diceret (1).

25. *Quomodo Divinum Officium est recitandum?*

Debet recitari juxta praescriptum Breviarii Romani, et directorium a proprio Ordinario confectum; et quidem studiose et devote recitandum est uti ex Cap. *Dolentes* de celebr. Miss. (2).

26. *An sit grave peccatum Officium diei in aliud brevius permutare?*

Non conveniunt DD. Alii affirmant, alii negant. Aliqui sentiunt, Officium permutari in aequale, vel

---

do Chorus non cesset. Paucitas Religiosorum excusat totam Communitatem a Choro; ideoque nisi adsint quatuor expediti, non adest obligatio Chori.

An Religiosi ejecti a Religione, damnati ad triremes, profugi, teneantur, quaestio. Sed probabilius ejecti, et damnati non tenentur, Legesis D. Lig. L. 4. n. 142.

(1) Ex communiori sententia illius partis Officii omissio, quae adaequat integram parvam horam, censetur gravis omissio, ac proinde grave peccatum.

Insuper advertendum est, quod communius, et verius unum peccatum committit, qui totum Officium omittit; dummodo non omiserit plures horas ex intentionibus moraliter interruptis; quia tunc tot peccata committit, quot sunt actus intentionis Officium omittendi.

Scrupulosi non sunt obligandi ad repetendum, si dubitent, an aliquid de Officio omiserint; quia hisce haec non sunt dubia, sed inanes apprehensiones. Quoad alios, si dubium sit negativum, debet repeti; si positivum, nempe probabiliter judicatur dictum esse, non est repetendum. Imo tenet Laymann, Lacroix, et alii, male se gerere, qui habens conjecturam, quod aliquam partem dixerit, illam repetit; quia viam scrupulis parit.

(2) Ex probabiliori sententia debent sub gravi recitari Litaniae in diebus S. Marci, et Rogationum; praesertim ubi viget consuetudo illas sub gravi recitandi. Idem dicendum de recitatione Officii Defunctorum.

fere aequale posse absque gravi peccato. Sunt tandem, qui tenent, peccatum grave esse, si Officium frequenter mutetur, non vero, si ter, vel quater in anno (1). Attamen certum est, non adimpleri onus Officii, si Officium Dominicae Palmarum commutetur in illud Paschatis: ex propost. damn. ab Alexandro VIII. Item probabilius in Officium Pentecostes.

27. *An qui hodie de Sancto recitaverit, omisso Officio illius diei, possit alia die Officium praetermissum recitare?*

Licet aliqui sentiant, posse recitare; communis tamen, et probabilior sententia tenet, minime posse, sed conformandum esse cum communi ritu Ecclesiae (2).

28. *Quaenam pronuntiatio vocalis adhibenda sit in recitatione Officii?*

Requiritur pronuntiatio exterior; ita ut recitans possit se audire. Si cum socio Officium recitaverit, debet esse talis pronuntiatio, ut a socio audiatur (3).

---

(1) Probabiliter excusant a mutatione Officii sequentes causae: 1. Si quis alio pergit, potest recitare Officium illius loci. Excipiuntur Religiosi, qui tenentur ad Breviarium sui Ordinis ex vi professionis, cujus vinculo obligantur quocumque ierint. 2. Capellanus potest se conformare Officio illius Ecclesiae ex Decret. S. R. C. an. 1605. 3. Commensales Cardinalium, et Episcoporum possunt uti Officio, et Breviario istorum: ex Clement. *Dignum* de celebr. Miss. Idem dicitur de Capellano Monialium. Idem probabiliter de eo, qui obit exercitia apud Religiosos. 4. Beneficiatus potest recitare sub ritu primae classis cum octava Officium sui tituli. 5. Potest quis conformare Socio in Officio; dummodo Officium sit aequale, vel quasi, stante justa causa, vel etiam absque illa: uti tenet D. Lig.

(2) Si quis advertat errasse, postquam multum processerit in Officio indebito, puta si dixerit totum Matutinum, debet reliquum recitare de Officio debito; quamvis plures sentiant posse prosequi de Officio, quod erraverit.

Si oblivione culpabili omissa fuerit aliqua pars notabilis Horae, probabilius secundum D. Lig. et alios repetenda est tota Hora. Quamvis alii tenent, sufficere tantum partem omissam supplere.

(3) Satis probabiliter tenet Laymann cum aliis, quos

29. *Quomodo pronuntiatio integra esse debet?*

Debent verba pronuntiari sine sincope, abbreviatione verborum, et syllabarum, et absque praecipitantia. Hinc peccat graviter, qui, ita mutilet verba, ut sensus notabiliter varietur. Contra vero excusatur a mortali; si verborum sensus non corrumpatur, vel mutilatio sit in parva quantitate (1).

---

sequitur D. Lig., bene illum satisfacere Officii recitationi, etiamsi se non audierit. Cum praeceptum obliget ad dicendum, non vero ad audiendum Horas: uti advertit Sylvius.

Probabiliter non adest obligatio repetendi, si non percipiantur, quae dicuntur a socio ob defectum ipsius; dummodo adhibeatur conatus, et attentio ad intelligenda saltem verba. Si ob strepitum aliorum non audiatur, certum est non esse repetendum. Ex communi sententia bene satisfacit, qui a socio audit Lectiones, Responsoria, Capitula, Orationes, Antiphonas. Practerea potest Officium recitari, cum socio, etsi iste non sit obligatus, vel non intelligat. Apud D. Lig. L. cit. n. 163.

Qui in Choro submisse recitant, alteram partem audiendo, probabiliter satisfaciunt. Contra vero dicendum de Canonicis: uti dictum est in Tractatu de Beneficiis in nota ad n. 11.

Deinde probabilius est, quod non tenetur repetere, qui absque culpa verbum aliquod in Choro omittit: uti docet Joan. IV. Cap. 9. de Celebr. Miss. Item non tenentur repetere, qui, dum alii canunt, parant, aut transferunt libros, perquirunt Psalmos, pulsant organa, campanas, vel alia Choro necessaria: vel si tussiant, aut excreant, etiamsi Psalmus integer dum dicatur.

Advertendum est, quod surdus recitans in Choro tenetur ad repetendum non audita; secundum D. Lig. cum aliis, ut lucrari possit distributiones. Potest tamen satisfacere, ut docent laudati DD., submissa voce recitando partem alterius Chori. Surdaster satisfacit, si praestet attentionem, quam potest. Et probabile est satisfacere, saltem si advertat in Breviario, quae in confuso audit.

(1) Item ex D. Lig. excusatur etiam a veniali, qui involuntarie mutilat verba ob inadvertentiam, vel balbutiem, aut inveteratam consuetudinem; quae difficulter vinci potest. At tenetur compensare partem, in qua sensus est corruptus, recitando quantitatem aequivalentem.

Certum est, non satisfacere, qui alternatim recitantes

30. *An pronuntiatio debeat esse continuata?*

Maxime: nempe non potest notabiliter interrumpi (1).

31. *Estne peccatum invertere ordinem Horarum?*

Si invertatur ordo sine justa causa, peccatum veniale est. Hujusmodi ordo, saltem extra Chorum, est sub praecepto secundario, et tamquam circumstantia minoris momenti. Idem dicendum, si invertetur ordo ipsius horae: e. g. si legantur Lectiones in Matutino ante Psalmos; vel preces, et postea Psalmi (2).

---

non expectant versus absolvi; dummodo faciant in quantitate notabili. Viva docet, ut probabile, quod non teneatur repetere, qui recitans cum socio, si iste obtruncet syllabas, ita tamen ut sensus notabiliter non mutetur.

(1) Commune est, posse Matutinum a Laudibus separari sine ulla causa. At probabilius, cum separatur, debet addi *Pater noster*, et oratio. Item nocturni possunt invicem separari; dummodo quodlibet Nocturnum non distet ab alio plusquam tribus horis: ex D. Thoma cum aliis; et hoc magis licet, si ob justam causam. Deinde probabilius non est repetenda Hora, si in ea magna fiat interruptio: secundum Laymann cum pluribus.

Causae justae ad interrumpendum Officium sunt: quaelibet nempe utilitas propria, vel aliena, quae incommode differri potest: item urbanitas, aut devotio: uti celebrare Missam, exequi mandata Superioris; vel si excipiatur confessio alicujus, qui non vult, aut non potest libenter expectare: si aliquid agi, vel notari velit, ut tollatur distractio, sive sollecitudo ob timorem oblivionis; modo non fiat frequenter. Legesis D. Lig. id. L. n. 168.

(2) Justae causae invertendi ordinem, quae excusant a veniali, probabiliter sunt: si quis invitatur ab amico ad secum recitandum; si non habeat in promptu Breviarium, nec possit commode expectare; si vero veniat ad Chorum Officio jam incepto. Si aliqua denique justa, et rationabilis causa interveniat.

An in Choro Ordinem inverti sit peccatum grave, quaestio. D. Lig. opinatur, sententiam negativam esse probabiliorem.

Ex communissima sententia est tantum peccatum veniale sine justa causa celebrare Missam ante Matutini recitationem.

32. *Quo tempore sunt recitandae Horae Canonicae?*

Singulis diebus esse recitandas omnes, et singulas Horas Canonicas patet ex Cap. *Dolentes*, et ex Bulla Pii V. *Ex proximo Lateranensi* : quae obligatio incipit a puncto mediae noctis diei antecedentis, et terminat ad punctum mediae noctis sequentis diei. Horae autem parvae, seu minores, recitantur a tempore aurorae usque ad meridiem. Vesperae possunt recitari a meridie usque ad mediam noctem. At Matutinum hodie ex consuetudine jam praescripta bene potest recitari hora Vesperarum diei antecedentis : prout designat horam Vesperae Tabella Directorii Romani (1).

33. *Quid importet : Officium recitandum esse* Studiose, ac devote?

Importat Officium esse recitandum cum debita intentione simul et attentione, tam interna, quam externa. Ut scilicet rite persolvatur Officium, communiter sufficit intentio virtualis, seu implicita, implendi onus recitationis Officii (2); externa attentio

---

(1) Licite potest anticipari, vel *postponi debitum tempus* Horarum ex quavis causa utili, vel honesta : uti esset paranda concio vel audienda, periculum supervenientis occupationis sive laboris, major devotio, seu quies, tempus aptius ad studendum, utile negotium vel occupatio honesta praeponderans horam debitam etc.

At certum est, non peccare lethaliter, qui satisfacit Officii recitationi a media nocte antecedenti usque ad mediam noctem sequentem, quacumque hora recitaverit. Omnino non licet incipere Officium hodiernum paulo ante mediam noctem diei sequentis; vel illud prosequi post mediam noctem : contra Leandrum et alios docent Salmantic., Viva cum communi, cui adhaeret D. Lig. In Choro debet Officium recitari statutis horis. In Choro non potest pridie recitari Matutinum Defunctorum in die Commemorationis omnium Defunctorum, sed recitandum est in die ipsa. Privatim vero probabiliter potest anticipari ex hora, qua Matutinum anticipari licet : et nunc ex consuetudine jam praescripta licitum est. Communius, et verius non possunt Litaniae recitari die antecedenti; ideoque Matutino cum Laudibus anticipato non possunt conjungi Litaniae.

(2) Uti si de more accipiatur Breviarium; prout solet, ut Officium adimpleatur. Hinc non est necesse reno-

sufficiens est illa, quae excludit aliam actionem incompatibilem cum ipsa attentione (1); interna vero debet esse, qua mens attendit ad verba una cum intentione generali colendi Deum. Ita communiter apud D. Lig. L. cit. n. 176. (2).

---

vare intentionem ad singulas Horas, etsi aliqua interruptio intercedat; quia, ut docet D. Lig., semper adest exercite intentio actualis implendi Officium.

An, qui sine intentione adimplendi Officium recitat, adimpleat, quaestio. Sed ex probabiliori sententia adimplet. Vide de Legibus n. 50.

(1) Non habetur externa attentio requisita; si quis fabularetur, scriberet; attente audiret loquentes, celeriter se vestiret etc. dum Officium recitat. Contra vero; si ambularet, se lavaret, se indueret lente, colligeret erbas, flores, uvas, strueret focum, respiceret collem, flumen etc.; dummodo non sit naturaliter distractioni subjectus. Recte advertit La Croix: nemo tenetur ad singula verba attendere, sed est satis, moraliter et generaliter attendere, ita ut quis curet bene omnia dicere cum intentione orandi.

(2) Attamen optanda est attentio ad sensum, sed optima est illa, qua ad Deum elevatur mens in meditatione bonitatis, misericordiae, justitiae Dei etc., prout Psalmi, et alia excitant.

An attentio interna omnino requiratur ad implendum onus Officii, quaestio acerrima inter DD. At D. Lig. sententiam affirmativam sequitur, et ut probabiliorem tenet; negativam tamen probabilem existimat: ideoque non audere autumat Beneficiatum ad restitutionem obligare, si bona fide sine interna attentione Officium recitaverit, et fructus pariter bona fide perceperit. L. cit. n. 177.

Idem D. Lig. ad abjiciendos scrupulos, et ad animum levandum advertit cum DD. negativae sententiae: quod nempe, ut quis dicatur Officio non satisfacere, non solum requiritur, ut voluntarie se distrahat, sed etiam, ut plene advertat, se distrahere. Nam ait ipse Concina, has distractiones esse hominibus impossibile omnes vitare, maxime studiosis. Addit Sanchez cum Salmanticensibus, et aliis, quod, si quis advertat se distrahere, et habeat mediocrem diligentiam ad attendendum, nullo modo peccat. Item censet idem Sanchez, et plures alii, non teneri recitantem, ut semper tota conetur sollecitudine; quia tollerari possit aliqua divagatio ad caput refocillandum. Tandem si recitans semiplene advertat ad distractionem, venialiter

34. *An sit mortale peccatum recitare Officium in Statu Lethalis culpae, aut in loco immundo?*

Licet non una sit Theologorum sententia; ex veriori tamen, et communiori sententia non peccat graviter, qui in statu peccati lethalis Officium recitat; etiamsi habeat actuale propositum peccandi. De eo, qui in loco immundo recitat Officium, dicendum est, peccare venialiter, si absque causa recitet; quamvis alii de nulla culpa damnant (1).

35. *Quae causae excusant a recitatione Horarum?*

Sequentes: infirmitas, justum impedimentum, impotentia, et dispensatio.

36. *Quaenam infirmitas excuset a recitatione Horarum?*

Morbus gravis: etiam grave incommodum, vel probabile hujusmodi incommodi periculum (2).

---

tantum peccat; attamen substantialiter satisfacit Officio.

Remedia opportuniora ad repellendas animi distractiones sunt: sub initium formare intentionem Deum laudandi, eamdem renovare ad *Gloria Patri*, vel in principio cujusque Psalmi; repraesentare sibi aliquod mysterium Passionis; sensus sedulo custodire; et alia hujusmodi.

(1) In Choro non servare situm praescriptum in recitatione Officii: nempe stando, genuflectendo etc. juxta Rubricam, probabilius est peccatum leve. Extra Chorum communius est peccatum nullum esse.

(2) Nempe quando Officium recitari nequit, nisi cum gravi incommodo sanitatis: ut si quis prudenter existimet, vel timeat ob Officii recitationem ei forte obventuram notabilem gravedinem capitis, aut cruditatem stomachi, vel virium lassitudinem, aut febrim tardius remittendam: quamvis legerent isti per magnam partem diei aliquem librum ad solamen; ut probabiliter tenent Sanchez, et alii.

Convalescentes ex gravi morbo communiter excusantur per aliquot dies ad arbitrium prudentis; donec reficiantur vires.

Laborantes febri tertiana, vel quartana probabilius et communius tenentur illo tempore, quo immunes sunt a morbo, et sine detrimento possunt.

Qui non potest totum Officium recitare, potest autem partem, ad hanc tenetur: oppositum est damnatum ab Innoc. XI.

37. *Quodnam impedimentum censendum sit justa causa excusans ab Horis recitandis?*

Opus aliquod Religionis, vel Charitatis, quod sine scandalo, aut magno detrimento sui vel proximi quis non potest omittere; ac totam diem occupat (1).

38. *Quid venit nomine impotentiae?*

Caecitas, vel inculpata carentia Breviarii. At si quis aliquam partem memoriter sciat, tenetur illam recitare. Immo, secundum probabiliorem sententiam, si habeat Psalmos, et non lectiones, tenetur ad illos (2).

39. *Quaenam sint causae, quae possunt Canonicos excusare a Choro?*

Ex Bonifacio VIII. Cap. unico de Clericis non resident in 6. sunt tres: scilicet, infirmitas, rationabilis corporis necessitas, et evidens Ecclesiae utilitas (3).

---

(1) Excusantur Concionatores, Confessarii; illi, qui occupantur ad sedanda jurgia, vel ad assistentiam infirmorum; dummodo nullo modo sine scandalo vel detrimento desistere possint, et nullum tempus eis supersit ad recitationem.

(2) Laymann, et alii apud D. Lig. dicunt, obligari sub gravi si quis possit recitare quantum est parva Hora; si vero minus, ne sub veniali quidem tenetur.

Si habeatur Officium commune vel Breviarium Romanum deest, sed aliud Breviarium, probabilius contra Salmanticenses adest obligatio recitandi. Item qui sine magno incommodo potest recitare cum socio gratuito, tenetur illum adhibere juxta veriorem sententiam: quam sequuntur plures DD.

An Beneficiatus teneatur socium conducere ex fructibus Beneficii, quando sine eo non potest Officium recitare, quaestio. D. Lig. cum aliis negat.

Adverte denique, quod Episcopus non possit dispensare obligationem Officii, nisi cum causa, et tantum alicui particulari ad breve tempus. Vicarius generalis itidem potest, si habeat speciale mandatum ab Episcopo. Causa dispensandi esset, si dubitetur de morali impotentia Clerici.

(3) Qui abest a Choro propter has expressas causas, non privatur fructibus Praebendae, neque Distributionibus: ut patet ex allato cap. Qui vero ob alias justas causas: uti ob studium, visitationem ad limina Apostolorum etc. de licentia Episcopi, lucrantur fructus Praebendae, non Distributiones. D. Lig. L. cit. n. 132.

40. *Quaenam infirmitas, aut rationabilis corporis necessitas, vel Ecclesiae utilitas sit sufficiens causa, ut excuset ab absentia Chori?*

Infirmitas gravis, vel quae gravis fieri potest per accessum ad Ecclesiam (1). Rationabilis corporis necessitas: nempe timor cujuscumque gravis damni in vita, honore, aut in bonis (2). Nomine denique Ecclesiae utilitatis intelligitur quaecumque gravis utilitas Ecclesiae propriae, vel universalis, vel Dioecesis; judicio tamen Episcopi, aut Capituli (3).

---

(1) An excusentur septuagenarii, caeci, surdi, quaestio. Sed probabilius tenentur; dummodo sine gravi incommodo accedere, et assistere possint.

(2) Excusantur, qui domi morantur ad sumendam medicinam, ad venam incidendam, ad balnea sanitati necessaria; vel proficiscuntur ad locum salubrioris aeris. Item qui ab hostibus capiuntur, vel patiuntur injustum exilium; aut detinentur per vim, vel ob timorem gravis nocumenti ab inimicis; vel secundum Laymann, et alios absunt ob metum belli, pestis grassantis in loco Beneficii.

An excommunicatus excusetur, quaestio. Si sit irregularis post Canonicatus collationem, certum est, non amittere fructus, et Distributiones. An amittat, si ante collationem fuerit irregularis, quaestio.

Quando Ecclesia est interdicta, vel polluta, Canonici non assistentes non amittunt fructus, et distributiones; dummodo ipsi non dederint causam interdicto, vel pollutioni. Si fuerit indicta cessatio a Divinis Officiis, tantum amittunt Distributiones.

(3) Excusatur Canonicus, qui mittitur ab Episcopo ad visitanda Limina Apostolorum. Item de Canonicis comitantibus Episcopum ad eadem Limina. Pariter si Canonicus eligatur Vicarius Capitularis, si mittatur a Capitulo ad Pontificem, vel ad Principem tamquam Legatus pro agendis Ecclesiae negotiis. Contra vero, si eligatur Vicarius Episcopi: hic tantum lucratur fructus Praebendae.

Sentit Concina, Canonicos examinatores non lucrari Distributiones; dum absunt a Choro ratione ejusdem Officii. Item de Canonicis destinatis ab Episcopo ad visitanda Hospitalia, et Ecclesias Dioecesis. Episcopus autem potest duos Canonicos in suo servitio occupare: ex Cap. *De caetero* de Clericis non resident.; qui fructus tantum Praebendae lucrantur: ex Declaratione S. C. Denique secundum eumdem Theologum Ca-

De Habitu Clericorum, et de Officiis, artibus, et actionibus Clericis interdictis.

41. *Peccatne graviter Clericus, qui habitum clericalem, et tonsuram non defert?*

Quoad Clericos in minoribus ordinibus initiatos communis sententia dicit, sub levi istos teneri ad habitum, et tonsuram deferendam. Quoad constitutos in sacris, et Beneficiatos quaestio est, an gravis obligatio instet. At probabilior, et verior sententia affirmat obligationem deferendi habitum (1); contra vero probabilius non constat, praeceptum adesse sub gravi obligans ad tonsuram, seu coronam clericalem deferendam (2).

42. *Quaenam artes, et officia dedecent Clericum?*

Clerico prohibentur artes macellariorum, tabernarii, joculatoris. Clericis in sacris, et Beneficiatis vetatur officium judicis in causa sanguinis; advocati, tabellionis, medici, et chirurgi cum incisione, vel adustione (3). Insuper prohibetur tabernas intrare,

---

nonici assistentes Episcopo sollemniter celebranti lucrantur etiam Distributiones.

Capitulares, ubi adest consuetudo, possunt se invicem substituere de licentia Episcopi, tam in servitio Chori, quam Ecclesiae; dummodo non substituantur, quando servitio Ecclesiae simul obligantur; et modo Episcopus curet, ne abutantur hac facultate substituendi: nempe si hujusmodi substitutiones sint frequentes: ex Declarat. S. C. apud Fagnanum. Vide D. Lig. L. cit. n. 675.

(1) Ex DD. probabilissime tenendum est, non graviter peccare Clericum Sacris initiatum, vel Beneficiatum, qui ad breve tempus, praesertim si ob justam aliquam causam, non defert habitum; modo hoc non creet scandalum, vel habitum dimittat ad alios decipiendos, aut ad libere deambulandum per plateas, ad male agendum: uti si in Baccanalibus per urbem larvatus excurrat.

(2) Notandum, quod possit Clericus non deferens habitum, et tonsuram puniri ab Episcopo post monitionem; praesertim in aliquibus casibus. Legesis D. Lig. L. 6. n. 827.

(3) Nisi sit ex necessitate erga pauperes propinquos, vel alios hujusmodi.

venationi clamorosae vacare, aleis, aut taxillis ludere; mercaturam, aut negotiationem exercere, cohabitare cum muliere, nisi sit consanguinea propinqua, aut talis quae omne periculum, et scandalum avertit.

DE STATU QUARUMDAM PERSONARUM SAECULARIUM.

De judice.

43. *Quid requiritur, ut judex recte judicet?*

Tria requiruntur: jurisdictio, rectus processus, et recta intentio: scilicet, ut judicet ex auctoritate sibi competente, et juris regulis (1); juxta allegata et probata, prout lex et ordo a legibus praescriptus exigit (2); tandem ex intentione justitiae, non vero ex odio, amore, timore, vel lucri causa (3).

44. *Potestne judex in aliquem jus dicere sine accusatore?*

In causis civilibus judex non potest, nisi postulatus (4). In causis criminalibus judex sine accusatore procedere non potest. Nam ex D. Th. 2. 2. q. 67.

---

(1) Potest judex habere jurisdictionem vel ratione dignitatis, officii, vel ratione delegationis, aut subdelegationis; vel ratione delicti commissi; vel tandem ex consensu Partium per compromissum. Secus semper nulla est sententia a judice absque jurisdictione prolata. Excipe, si per errorem communem et titulum coloratum verus judex putetur: ex *L. Barbarius Philippus* §. de Offic. Praetoris.

(2) Hinc patet, judicem, ut possit secundum juris ordinem procedere, sufficientem debere callere scientiam juris tum communis, tum municipalis. Graviter autem peccat, et ad damni reparationem tenetur judex, qui ex ignorantia, etiam levi, sententiam injustam profert; vel qui inscius juris officium judicis sibi procurat.

(3) Judex debet suo contentus esse stipendio, nec munera accipere, cavere acceptionem personarum, neque extimescere potentes, irrumpere in iniquitatem, removere injustas dilationes; debet tandem sententiam proferre causa bene discussa; nec potest indebite differre causae discussionem, vel causae bene discussae definitionem injuste differre.

(4) Tunc etiam judex operam dare debet, ut, si fieri possit, Partes ad concordiam revocantur.

a. 3. judicium non constituitur, nisi a judice, reo, et accusatore. At accusator verus, expressus, et formalis non semper requiritur; sed sufficit fictus et virtualis: qui nempe habetur, quando instat Fisci Patronus, vel Promotor; et tunc judex praecedente infamia per viam inquisitionis procedit (1).

45. *Quid, et quotuplex inquisitio?*

Inquisitio est criminis, vel criminosi per judicem legitimum facta indagatio. Quae triplex est: generalis, specialis, et mixta. Generalis habetur, quando delictum a deliquente incerto judex absolute, et in genere inquirit: an aliquis delictum commiserit. Specialis habetur, cum inquiritur de certa persona, et crimine. Mixta denique, cum delictum in inquisitione exprimitur, persona vero in communi inquiritur:

---

(1) Si secus judex procedat, peccat; et non tenetur reus interrogatus respondere; nec etiam tenetur subditus rogatus, etsi sub juramento, respondere, aut revelare criminosum; quia imo peccat revelando judici reum occultum. Apud D. Lig. L. 4. n. 200. Laymann., Salm. et alii.

Accusator virtualis censetur adesse in sequentibus casibus: quando adest notorietas criminis, ita ut probabiliter crimen nequeat negari: juxta Cap. *Ad nostram de jurejur. Manifesta accusatione non indigent, nec in eis ordo judiciarius observandus.* Quando adest infamia publica judicialiter contestata, saltem per duos testes; vel clamorosa insinuatio, idest rumor multorum de crimine. Haec tamen infamia tantum sufficit ad inquirendum, non vero ad sententiam. Potest contra inquiri sine hujuscemodi infamia: 1. quando crimen patratur coram judice, aliis adstantibus; potest tunc inquiri sine publica infamia, seu rumore; 2. quando delictum est contra Rempublicam, vel Regem, prout in crimine haeresis, perduellionis, laesae majestatis; 3. quando delinquitur in Ecclesia contra Ecclesiasticos; 4. quando intenditur vitari electio indigni, aut impedimentum matrimonii; 5. quando reus confessus est coram pluribus, ut judicialiter coram duobus testibus; 6. quando quis est accusatus; 7. quando adest semiplena probatio: scilicet, unus testis omni exceptione major, qui vidit factum, vel audivit verba criminosa; 8. quando crimina sunt connexa; 9. quando occisus est dominus, potest inquiri in famulos, 10. quando crimen pendet in futuro; et quando denunciat Fiscalis minister.

ut, si inveniatur furtum commissum, sed nescitur fur, inquiratur quisnam fuerit fur.

46. *Estne licitum judici inquirere, seu instituere inquisitionem?*

Si sermo sit de inquisitione generali potest judex, etiam non praecedente infamia; quia necessarium est ita inquirere, ut communitas a vitiis, et criminibus expurgetur. Si sermo sit de mixta, etiam potest; quia ita exigit bonum Communitatis, ut criminis publici inveniatur, et puniatur auctor. De inquisitione speciali non potest, nisi praecedat infamia publica, vel clamorosa insinuatio.

47. *Quid et quotuplex est indicium?*

Est conjectura ex probabilibus orta, a quibus potest abesse veritas, non autem verisimilitudo. Est autem triplex: leve, grave, et violentum, seu plenum. Leve est illud, a quo communiter contingit abesse veritatem; ideoque sine alia adjunctione, repellendum est. Grave est illud, cum quo ut plurimum contingit adesse veritatem: quod dicitur testimonium semiplenum. Violentum dicitur illud, in quo frequentissime veritatem adesse contingit; quod probationem facit.

Haec plena indicia possunt esse occulta, quando scilicet particularibus personis nota sunt; vel manifesta, seu populo vel majori parti ejus nota sunt; ideoque infamiam pariunt. Indiciis plenis, et manifestis potest judex specialiter inquirere in aliquem (1).

48. *Quid de rei tortura?*

Judex debet se abstinere a tortura, quam reo spectata ejus aetate, ac viribus impossibile est sufferre. Debet ante torturam omnem medium adhibere, ut alio modo veritatem assequatur. Potest torturam dare, si delictum aliunde sit probatum, vel saltem gravia indicia de criminis commissione praecesserint, ita ut nihil requiratur ad plenam probationem, nisi confessio rei. Denique non potest, si persona sit ex-

---

(1) An autem ad inquirendum sufficiant indicia occulta, quaestio.

empta: uti in dignitate constituta, doctores, senes, impuberes, praegnantes etc. Secus agens judex peccat, et ex confessione sic extorta procedere nequit (1).

49. *Teneturne judex reo poenam imponere?*

Facta sufficienti probatione, tenetur imponere poenam congruentem.

50. *Num possit judex miseratione commotus poenam minuere, vel relaxare?*

Minime: ut expresse docet D. Thomas 22. q. 47. a. 3. ad 1. (2). At si judex sit supremus legislator, seu Princeps, potest ex aliqua circumstantia seu causa poenam diminuere deliquenti: puta si reus sit benemeritus Reipublicae, vel sit occasio publicae laetitiae. Si pars laesa remiserit, potest etiam absolvere; cum tamen agatur de privata actoris injuria. Excipe in hisce si reus sit nocivus Reipublicae (3).

51. *An possit judex uti opinione probabili?*

In criminalibus potest in favorem rei (4). In ci-

---

(1) Judex semel tortum retorquere non potest, nisi nova criminis indicia superveniant.

Item peccat judex, qui in causis criminalibus, vel notabilis infamiae reum comprehensum adigit juramento, vel minis, terroribus, tormentorum ostentatione ad veritatem manifestandam, antequam habeat contra illum probationem.

(2) At potest diminuere, si juste interpretatur judex voluntatem Superioris; vel si adsit alia justa causa: ut si esset senex, si speretur ex diminutione poenae correptio; vel si reus sponte fassus sit crimen. Vide Salmant. App. de Offic. V. 1. n. 31.

(3) Quando judex privata scientia cognoscit aliquem esse nocentem, qui juridice, seu secundum allegata, et probata, sit probatus innocens, illum non potest condamnare: ex D. Thoma 22. q. 67. ar. 4. Judex contra non potest condamnare, quem privatim noscit esse innocentem, si juridice probatus sit nocens; sed tenetur modis omnibus liberare, si possit. At si nullo modo prodesse possit, probabiliter tenent plurimi DD., posse condamnare. D. Ligorio autem cum aliis verius vedetur oppositum; quia damnare innocentem sit intrinsece malum; perinde ac esset innocentem occidere.

(4) Vide dicta de conscientia n. 22. 25. Advertendum, quod litigant DD., an in dubio juris, nempe cui partium jus magis favet, possit adjudicare rem, cui voluerit. Sed pro-

vilibus autem non potest; sed juxta opinionem de jure probabiliorem debet ferre sententiam secundum allegata et probata.

52. *An licitum sit judici accipere munera a litigantibus?*

Non licet accipere munera magna: scilicet pecunias, vestes, et alias res pretiosas: quae vocantur *sportulae*. An possit accipere munera parva: idest esculenta, et poculenta: quae dicuntur *xenia*, quaestio. D. Lig. tenet affirmativam opinionem. Hinc judex accipiens munera liberalia; etsi aliquando peccet, acceptorum hujusmodi munerum dominium ex jure naturae acquirit. An vero jure positivo munerum acceptionem prohibente, possit sibi retinere usquedum per sententiam compellatur restituere, quaestio (1).

De Accusatore, et Denuntiatore.

53. *Quid est accusatio, quid denuntiatio?*

Accusatio est delatio delinquentis de crimine commisso, facta in libello accusatorio coram judice com-

---

babilius secundum Salmant. et alios dicendum est in eo casu rem dividendam esse. Apud D. Lig. L. cit. n. 216. *Quaeritur autem.* Excipe: si probationes sint aequales, vel utrinque adsint opiniones aeque probabiles, et una pars bona fide possideat; huic adjudicandum est. Si agatur de causis matrimonii, dotis, viduae, pupilli, et aliis causis piis; tunc pro iis judicandum, cum jura sint aequalia, etiam si sint actores.

An in causis civilibus judex debeat judicare contra legitimum possessorem, cum actori faveat opinio probabilior, quaestio. At D. Ligorius inclinat ad opinionem DD., qui tenent judicem non posse reum legitime possidentem re expoliare, si pro isto rationes probabiles sint contra probabiliores pro actore.

(1) Vide in tract. de restit. n. 91. utrum possit judex retinere aliquid ob justam, vel injustam sententiam acceptum.

An Commissarius, seu executor, possit integrum stipendium diarium exigere a singulis debitoribus, si mittatur ad plures executiones faciendas, quaestio. Attamen ex saniori sententia nequit; sed solum salarium ordinarium exigere potest: quod pro parte singuli debitores solvere debent.

petente, ad vindictam ob bonum commune, cum obbligatione probandi. Denuntiatio vero est manifestatio criminis, vel utriusque, facta Superiori, ut remedium, aut correctionem, vel poenam ex officio adhibeat. Hinc differt accusatio a denuntiatione; quia illa intendit, et petit punitionem; ista minime recensita requirit, sed tantum punitionem, vel correctionem relinquit arbitrio Superioris.

54. *Daturne aliquando obligatio accusandi?*

Maxime: 1. si sit publicus officialis ad id ex Republica stipendio vel officio destinatus. 2. Si agatur de communi damno vitando: uti si agatur de crimine haeresis, rebellione, falsificatione monetarum, homicidiis et furtis ab assassinis, aut viarum grassatoribus etc. (1). 3. Si immineat grave damnum innocenti (2). 4. Si sit necessarium ad avertendum, vel resarciendum grave damnum propriae familiae, quae alias remaneret dehonorata, vel destituta alimentis. Semper vero requiritur in hisce casibus, ut possit probari accusatio; secus, saltem adest obligatio denuntiandi.

55. *Num possit quis accusare delinquentem de injuria sibi illata?*

Maxime: dummodo id faciat absque odio, et animo vindictae; sed tantum ut injuria sive in bonis, sive in honore, et fama, sive in corpore, sibi illata reparetur; et dummodo alia via isthaec reparatio obtineri non possit. At semper consulendum est charitati.

---

(1) Communiter videntur DD. concludere, satis esse hisce temporibus delictum denuntiari; ne ob metum poenae incurrendae, si delictum non possit probari, retrahantur accusatores a delatione criminis cum gravi damno Reipublicae. Hinc quando delictum vergit in damnum commune, non excusantur ab hac obligatione filii, vel servi. At non adest hujusmodi obligatio, si delictum fuerit jam patratum, et nullum damnum communitati immineat; eo quia delinquens jam est emendatus. Excipe tamen delictum haeresis.

(2) Cum haec obligatio sit ex charitate, non obligat cum gravi incommodo; nisi immineat damnum commune. Ita D. Lig.

56. *Num accusationi praemittenda sit fraterna correctio?*

Si crimen est publicum, quia de eo est infamia, vel notorietas, nempe coram pluribus commissum, non est praemittenda correctio; quia accusatio est necessaria ad punitionem delinquentis, ut aliis sit exemplum. Si crimen vero non est publicum, etsi paucis notum, correctio est praemittenda; si fructus, seu emendatio, speretur. At si crimen sit in damnum Reipublicae: uti conjuratio, delictum laesae majestatis, et praesertim delictum haeresis, non est praemittenda correctio; tum quia nunquam, vel difficillime speratur emendatio; tum quia mora valde nocere potest. Item si damnum illatum non possit resarciri, nisi delinquens accusetur (1).

57. *Quinam non possint accusare?*

Non possunt accusare, qui a jure accusare prohibentur: uti excommunicati notorii, infames, concubinarii publici, notorii usurarii, Pagani, Haeretici, et accusati de majoribus criminibus: nempe de laesa majestate, de monetarum falsificatione etc.; usquedum isti seipsos non justificaverint. Item filii non possunt accusare parentes, et viceversa; nisi sit crimen laesae majestatis, vel haeresis; laici Clericos: nisi in casibus a jure permissis. Tandem Clerici in causa sanguinis (2).

58. *Quotuplex est denuntiatio?*

Duplex est: Evangelica, et judicialis. Prima est, quando denuntiatur Superiori, ut patri; altera est, quando fit Superiori, ut Judici (3).

---

(1) Si crimen probari possit in judicio per duos testes, licet adsit obligatio praemittendi correctionem ex charitate; tamen non agitur contra justitiam, si fiat accusatio nulla praemissa correctione: quia semper ad bonum commune prodest delictum puniri.

(2) Legesis plura apud D. Lig. L. cit. n. 238.

(3) Haec fieri potest, vel ad punitionem criminis, vel ad restaurationem damni illati, vel ad impedimentum a Beneficio, Ordine, dignitate, matrimonio.

59. *Num denuntiationi praemittenda sit fraterna correctio?*

Si loquimur de denuntiatione Evangelica, ut plurimum est praemittenda fraterna correctio; sicut exigit Christus in Matth. c. 18. (1). Si autem loquimur de judiciali, non requiritur; quia intenditur per hujusmodi denuntiationem etiam punitio (2).

De Testibus.

60. *Quinam dicitur testis in judicio?*

Dicitur ille, qui, ut legitimus probator super statum causae, ad judicem adducitur.

61. *Quinam a testificando in judicio repelluntur?*

Plures: infames, perjuri, socii criminis; mulie-

(1) At communiter DD. excipiunt: non esse praemittendam correctionem, sed statim Superiori esse faciendam denuntiationem, quando crimen est Reipublicae, vel Communitati perniciosum. An vero liceat fieri denuntiatio de crimine occulto, non pernicioso Communitati, nulla praemissa admonitione, quaestio. Sed probabilius, et communius potest fieri Superiori prudenti, quando sic melius speratur emendatio. Item an reus sit emendatus. Sed probabilius non licet: dummodo non dubitetur an sit plene emendatus, vel an sit in probabili periculo relabendi; aut an omnino cessaverit periculum relapsus. Apud D. Lig. L. cit. n. 243. et 244.

(2) Utrum adsit obligatio judicialiter denuntiandi, si publicum Edictum, seu *Monitorium* praecipiat, ut omnes denuntiant. Certum est, obligationem adesse, quando crimina sunt notoria; secus vero, si sint occulta: etiamsi possint probari per duos testes; nisi delictum vergat in damnum commune. Item non adest obligatio denuntiandi delictum occultum: quando scitur sub sigillo naturali, quod provenit ex remedio, vel consilio delinquenti praestito; quando quis aliquid accepit in compensationem crediti: quia Edictum intendit tantum loqui de rebus injuste acceptis; quando grave incommodum quis subiretur; dummodo non sit crimen contra bonum commune Reipublicae, Religionis. De haereticorum denuntiatione vide in Tract. de Fide n. 23. In nostro Regno tantum superstitiosi abutentes Hostia consecrata, vel Oleo Sancto, subjiciuntur poenae denuntiationis. Ita D. Lig. L. cit. n. 259.

res in causa criminali de jure Canonico ; minores in causa criminali, impuberes, inimici, consanguinei, et domestici delinquentis, exceptis quibusdam causis: personae viles, et inopes; servi, Judaei, Infideles; semifatui, delirantes, somniantes. At omnes isti excepti praeter semifatuos, delirantes, et somniantes, admittuntur, ut testes in crimine haeresis, laesae Majestatis, furti famosi, vel qualificati, maleficii, sodomiae, assassinii etc.; vel quando commissum est delictum eo tempore, aut loco, ubi testes haberi nequeunt.

62. *Quot testes requirantur ad faciendam plenam probationem?*

In causa sive civili, sive criminali requiruntur duo testes (1): qui debent esse contestes, seu ut idem testentur in circumstantiis principalibus; ut juramento confirment; ut per se immediate perceperint externe eo sensu, quo res percipitur: puta ut ipsi viderint occidentem, audierint blasphemantem etc. At ad impedimentum matrimonii sufficit unus testis probatus: ex Cap. *Praeterea* de Sponsalibus.

63. *Quandonam dicitur judex legitime, et juridice interrogare?*

Quando adest notorietas facti, vel quando reus est publice de crimine infamatus; vel dantur indicia evidentia; aut judex procedit per modum accusationis, et accusator se offert ac pollicetur delictum se probaturum per testes sufficientes, et idoneos; denique quando adest semiplena probatio (2).

64. *Teneturne testis judici legitime interroganti respondere, et veritatem fateri?*

Maxime. Nam judex legitime interrogans habet a jure legitimam potestatem interrogandi; et testis tenetur veritatem fateri de omnibus, quae scit circa substantiam, et circumstantias facti, de quo interrogatur.

---

(1) In aliquibus casibus jus plures, quam duos, requirit testes. Vide apud D. Lig. L. cit. n. 259.

(2) Vide supra in nota 2. quaesit. n. 43.

65. *Quandonam tenetur quis testificari?*

Tenetur sub gravi: 1. quando suum testimonium requiritur ad avertendum imminens grave malum sive publicum, sive privatum innocentis; etiamsi a judice non interrogetur; 2. quando Superior, vel judex jubet legitimum testimonium ferendum (1).

66. *Danturne casus, in quibus testis non tenetur obedire judici praecipienti?*

Maxime: 1. si testis sciat ex confessione Sacramentali; 2. ex secreto naturali, causa petendi consilium, auxilium: uti Advocatus, Medicus, Theologus, Obstetrix etc. (2); 3. si acceperit a persona fide non digna (3); si delictum non pertingit ad culpam mortalem; vel testimonium exigitur tantum ad emendationem, et reus jam sit emendatus; 4. si testimonium grave damnum afferat ipsi testi, vel propinquis (4); 5. si notitia facti sit extorta per injuriam, puta per metum gravem, fraudem etc.: 6. si ipse testis sit auctor vel complex criminis; quia nemo tenetur prodere seipsum. Tandem maritus, uxor, filius, pater, frater, soror, consanguineus vel affinis: prout dictum intelligatur de denuntiatione n. 58. ad notam.

67. *Quid si quis a judice legitime requisitus ad testimonium ferendum coram se, ipse ne illud ferat,*

---

(1) An teneatur testis ad testificandum, si offeratur ab accusatore, quando non adest semiplena probatio, seu infamia, vel evidentia indicia, quaestio. Sed probabilius ex D. Lig. cum aliis non tenetur. Lib. cit. n. 267.

(2) At tenetur, qui scit sub secreto naturali, quando testimonium est necessarium ad removendum imminens grave damnum communitatis, vel privati innocentis; vel quando aliunde quis etiam noverit, et postea promiserit, aut juraverit se non revelaturum.

(3) Immo secundum Salmanticenses testis de audito alieno sciens, non tenetur. Nam in judicio nihil aliud exigitur; nisi, ut dicatur, quod scitur. Scire quidem proprie non est credere, sed veritatem perceptam visu, vel alio sensu in mente retinere.

(4) Dummodo non praevalcat damnum publicum, vel privatum alienum: uti notat Cardinalis de Lugo.

aufugit, vel abscondit, vel dolo aut fraude ejus forum declinet, vel veritatem reticet?

Peccat graviter. An contra justitiam commutativam peccet, et inde teneatur ad restitutionem, quaestio. Certum tamen est, peccare contra justitiam commutativam, si legitime interrogatus, positive falsum deponat circa factum. Apud D. Lig. L. cit. n. 270. (1). Peccat etiam, si affirmet, quod ignorat; si veritatem, quam debebat celare, aperiat; si pretium pro dicendo testimonium extorqueat.

De Advocato, Procuratore, caeterisque ad judicium concurrentibus.

68. *Quaenam requirantur in Advocato?*

Requiritur scientia conveniens, et prudentia: nempe peritia legis, et praxis Fori, ac juris Clientis circa causam, de qua agitur (2); prudens judicium, et deliberatio in suscipiendo causam, et tractando.

69. *Quaenam personae arceantur ab officio Advocati?*

Impotentes, tam interius: ut amentes, infantes, quam exterius: uti surdi, muti, Monachi; nisi interveniat utilitas Monasterii, et licentia Praelati. Item Sacerdotes et Clerici in Sacris vel Beneficiati. At possunt in causa propria, vel Ecclesiae, vel consanguineorum infra quartum gradum, vel miserabilium personarum in causis civilibus, etiam coram judice laico.

70. *Num Advocatus teneatur gratis defendere pauperes?*

Maxime: ex praecepto charitatis. In extrema necessitate tenetur, etiam cum gravi incommodo, uti ait D. Thom. 22. q. 71. a. 1.; quando non apparet in promptu, quomodo possit pauperi aliter subveni-

---

(1) Si vero negative se habeat: nempe dicens, se nescire, quaestio.

(2) Debet Advocatus pervolvere Doctores, qui de illo jure tractant; consulere peritiores in foro etc. Debet examinare causam, antequam suscipiat: quam si iniquam vel improbabilem noscat, non debet suscipere, et hoc etiamsi in progressu causae adverterit.

ri. In gravi vero necessitate tenetur, quando sine notabili incommodo potest; et quidem sub gravi. In communi denique sufficit, si ipse aliquid largiatur de superfluis temporis, et divitiarum.

71. *Quid dicendum de Advocato, qui cognoscens causam sui clientis injustam, illam suscipit defendendam?*

Graviter peccat; et tenetur ad damna illata; etiam Clienti, si non admonuerit de injustitia causae: etiamsi ex ignorantia vincibili non cognoverit injustiam. Si vero admonuerit Clientem, et iste consenserit, tenetur in solidum ad damna alteri Parti illata. An Advocatus possit tueri causam minus probabilem; commune est, posse tueri pro reo; actorem vere defendere, non conveniunt DD. (1).

72. *Quodnam salarium Advocato competat?*

Illud salarium, quod judicio prudentum Advocatorum dignum est, perpensa conditione personarum, negotiorum, laboris, et etiam consuetudine. Si vero in patria taxatum sit stipendium, illud potest exigi. Quando immoderate exigitur, peccatum est, et obligatio restitutionis urget quoad excessum (2).

---

(1) D. Lig. cum aliis tenet, posse Advocatum tueri causam minus probabilem, etiam pro actore. Cujus ratio est: tum quia opinio minus probabilis decursu temporis potest probabilior evadere; tum quia multoties opinio, quae Advocato minus probabilis apparet, ipse judici probabilior videtur. Hoc tamen ipse notat cum Lugone, intelligendum sit de probabilitate juris, non facti. Vide etiam in Tract. de Consc. ad notam n. 26.

(2) Prohibitum est Leg. *Si quis* C. Advocatum pacisci de quota determinata litis: e. g. de tertia parte, aut de certa quantitate, si causa victa fuerit. Nam praeberetur occasio procurandi victoriam per fas, et nefas. Attamen non obligatur ad restitutionem, si pretium justum non excedatur; neque dolus, neque fraus adsit.

Perutile est advertere quid Advocato incumbit. Advocatus, si non sit ideoneus non potest sub gravi exercere suum officium. Non potest adhibere nimias dilationes, illicitas subornationes testium etc., quae notabiliter nocent Parti adversae, habenti alias justam causam. Neque utrique Parti patro-

73. *Quid de Procuratore causae?*

Procurator dicitur ille, qui in litis defensione adjutor est Advocati pro patrocinio causae. Procuratoris est, adhibere diligentiam, quam solent homines diligentiores in rebus propriis adhibere; proindeque debet ipse scientiam, et peritiam habere suo muneri respondentem. Non potest plures causas suscipere, quam solertia, et diligentia sufficiens permittit. Non potest suadere, ut producatur causa injusta, neque in decursu causae veritatem negare; vel falsitatem proferre suo Clienti potest proponere. Neque adducere Partem ad concordiam iniquam, aut jurare nomine Partis, sine speciali mandato, vel differre causam, judicem pervertere, petere terminos impertinentes, vel dilationes superfluas. Si in istis delinquat cum damno Partis, tenetur ad restitutionem (1).

74. *Quid de Tabellione, aliisque ad judicium concurrentibus?*

Tabellio, sive Notarius, vel Scriba, dicitur ille, qui efformat processum, sive acta, caeterasque scripturas. Hic debet sufficientem peritiam habere ad ea,

---

cinari potest; quia repugnat, ut utramque Partem aeque defendat. Neque in causa; in qua est judex, vel assessor. Non potest in causa, quamvis justa, producere falsas scripturas, vel testes, aut istrumenta. Insuper non potest afferre leges veras, et bonas in falsos sensus, detorquendo eas. Non debet plures causas acceptare, quam expedire potest. Denique si causarum expeditiones cum praejudicio Clientis differat, postponat; si secreta causae, et fundamenta Clientis, quem juste defendit, detegat. In his omnibus, quando damnum evenerit, oritur obligatio restitutionis.

(1) Procurator non potest retinere pretium laboris, quod Advocatus, vel Tabellio gratis praestat, magis in gratiam Clientis, quam Procuratoris. Si vero dubitetur, an in gratiam utriusque, D. Lig. tenet aliquid posse Procuratorem retinere judicio prudentum; modo intellige, nisi absolute fiat donatio Clienti, etsi in gratiam Procuratoris.

Si Procurator aliquod facile efformet ex commissione Advocati, non potest illud pretium retinere, quod ob eam rem a Cliente solvitur Advocato; sed minus, quantum scilicet suo labori competit. D. Lig. L. cit. n. 233.

quae praestare debet; ac justitiam et fidelitatem servare. Hinc peccat 1. si processum, vel alias scripturas non recte conficiat ex sua ignorantia; 2. si juramentum, vel secretum violet; 3. si in depositione testium aliquid accrescat, vel minuat, aut mutet, vel caetera infideliter scribat; 4. si ignoranti, et infideli amanuensi tradat scripturas transcribendas; 5. si scripturas negligenter custodiat; 6. si causae expeditiones ex negligentia, vel malitia impediat; 7. si falsos testes, vel scripturas admittat, vel processui inserat; 8. si scripturas injuste neget, vel tradat; 9. tandem si mercedem exigat ultra taxam (1).

De Reo.

75. *Quinam dicitur Reus?*

Est ille, a quo in judicio civili creditor debitum exigit; et in criminali, qui crimen committit, et contra quem procedit accusatio, vel denuntiatio, aut inquisitio.

76. *Judici legitime interroganti teneturne reus criminalis veritatem fateri?*

Maxime, et quidem sub gravi. At an teneatur, si agatur de crimine, quod ad mortem, vel ad poenam magnam subit, quando adest spes probabilis evadendi poenam, quaestio. D. Lig. sententiam negativam putat satis probabilem, etiam intrinsece; et Lugo censet probabiliorem. Hi autem tantum admittunt, nisi commune damnum immineat ex reticentia confessionis delicti: puta haeresis, laesae Majestatis etc.; et dummodo non sit de poena spirituali: puta excommunicatione, suspensione; quia haec per poenitentiam absolvitur (2).

---

(1) Si labor sit extraordinarius, majorem mercedem exigere potest: puta si cogatur celerius, quam par est, tradere transumptum; adire longinquum locum, noctu laborare etc. Secretarius tenetur ad sui officii secretum: nempe non manifestare omnia in secreto scripta, sententiam nondum publicam, processus etc.

(2) Omnes, ut docet D. Lig. L. cit. n. 274., conve-

77. *Teneturne reus interrogatus complices sui delicti manifestare?*

Si complices omnino occulti sint, et aliis indiciis, aut testimoniis convinci nequeant, non tenetur; immo non potest: licet alii contrarium teneant. At si crimen sit exceptum, tenetur, etiam non rogatus.

78. *Quid si reus crimen morte vel mutilatione plectendum sibi imposuit ad evitanda atrociora tormenta?*

Litigant DD., an peccet graviter. At ex probabiliori sententia graviter peccat. Nam etsi nemo teneatur suam vitam conservare mediis extraordinariis; non potest tamen positive concurrere ad sui mortem vel mutilationem (1).

---

niunt, ut par est, dicendum: quod, si reus sit in bona fide, et confiteatur, quod difficile induceretur ad fatendum crimen interrogatus a judice, Confessarius in sua bona fide eum relinquere debet.

Notandum, quod reus, ut teneatur fateri suum crimen judici interroganti, debet ei constare, judicem legitime eum interrogare; ideoque prius debet judex commonere reum de probationibus contra eum in processu existentibus: nempe si praecesserit accusatio, semiplena probatio, vel infamia, vel alia indicia manifesta, ut supra dictum est in n. 43., et si sit judex legitimus. Secus enim non adest obligatio fatendi. Et hoc etiamsi reus dubitet an judex legitime interroget: juxta D. Lig. cum pluribus DD. Insuper advertendum est cum pluribus, quod reus non teneatur post sententiam fateri suum crimen, quod ante sententiam injuste negavit. An ante sententiam quoque possit negare, quod primum non fassus est, quaestio. Apud D. Lig. ibidem v. *Unde resolves* 2.

(1) Probabilius dicit Molina, quod si causa sit adhuc in eo statu, ut per retractationem possit mors impediri, tenetur reus se retractare. Advertit Lugo, quod si reus ad evitanda gravia tormenta confessus fuerit crimen falsum cum infamia alterius, non tenetur postea se retractare ad reparandam infamiam alienam, se denuo exponendo ad sustinenda illa tormenta; quia nemo tenetur famam restituere cum tam longiori suo damno. At semper vero tenetur, si ex confessione falsi criminis grave damnum sequatur: puta si bonum Reipublicae, aut famae Ordinis Religiosi, vel familiae notabiliter laederetur. Item a Confessario est obligandus, qui aliquem innocentem denuntiavit, ad retractationem ante damnationem, et

79. *An liceat reo imponere testibus, vel accusatoribus falsum crimen, vel verum delictum, sed occultum, ut se defendat?*

Falsum crimen imponere numquam licet, quia est mendacium: quod est intrinsece malum, et proinde oppositum est damnatum ab Innoc. XI. (1). Imponere crimen verum, sed occultum, licet; dummodo hoc sit absolute praecisum medium necessarium ad rei defensionem, cum non sit aliud medium defendendi, et grave damnum ei sit inferendum; licet majus damnum eveniat accusatori, vel testi (2).

80. *Num reus, qui verum delictum morti, vel mutilationi obnoxium commisit, possit licite e carceribus fugere ad evitandam mortem, vel mutilationem?*

Licite potest, tam ante, quam post sententiam judicis fugere. Attamen non licet, si reus juramento, vel speciali promissione se obligaverit permanere, et non fugere (3); vel ad carcerem jam damnatus sit. Quando licet fugere, potest; etiamsi praevideat damnum eventurum custodi. Item potest fugere, ne capiatur, excutere se a satellitibus. At non potest vim inferre: scilicet, percutiendo, occidendo etc. satellites (4).

81. *Num liceat reo ad evitandam mortem, vel mutilationem effringere carceres?*

---

etiam tempore damnationis istius innocentis ex communi sententia.

(1) Vide in Tract. de Peccatis n. 129.

(2) Utrum liceat reo dicere accusatorem mentitum esse, vel opponere ei crimen occultum, quando reus commisit delictum occultum, quod non potest probari: plures apud D. Lig. tenent posse; quia quod non potest probari, in jure habetur uti calumnia; et quia nemo tenetur servare famam proximi cum gravi suo damno.

(3) An teneatur fugere, si liceat, quaestio. At ex longe veriori sententia, ut vocat D. Lig., non tenetur.

(4) Si sententia fuerit tantum materialiter justa, nempe secundum allegata, et probata; sed non secundum veritatem, etiam quaestio. Verum Rongaglia, et Lugo tenent posse reum positive se defendere; modo ex hoc non oriatur publicum scandalum, vel perturbatio.

Litigium inter DD. Sed probabilius licet. Nam si fuga est ei licita, etiam carcerum effractio, uti medium, est licita. Hinc ad damna illata per effractionem ex probabiliori sententia non obligatur; quia per accidens evenit. Potest etiam decipere custodes, absque tamen vi, injuria, mendacio, et corruptione per pecuniam. Apud D. Lig. lib. cit.

82. *Licetne aliis suppeditare reo media, et instrumenta ad carceres effringendas, vel ad fugiendum?*

Non conveniunt Theologi. At certum est non licere adjuvare reum in ipso actu effractionis carceris; quia haec executio solum ipsi reo est licita propter jus vitae conservandae.

83. *An liceat reo juste damnato ad mortem vel mutilationem resistere judici, vel ministris justitiae?*

Minime: quia sententia justa obligat ad obediendum. Si vero injuste; tunc potest licite positive resistere: nempe satellites pellendo, armis terrendo, ut e manibus eorum se eripiat; non autem occidendo, vel vim inferendo: uti est damnatum ab Alexandro VII. n. 18. ex D. Th. 22. q. 69. a. 4. ad 4.

84. *Potesne reus appellare, sive in causa civili, sive criminali?*

Si sententia est injusta, vel poena major, quam delictum; aut non est servatus ordo juris, potest. Secus vero, non potest. Attamen D. Lig. cum aliis distinguit: si sententia fuerit justa secundum allegata, et probata, sed reus habet pro se novas probationes, potest appellare ad judicem supremum. Si nullo modo probari possit, non licet appellare (1).

---

(1) Si justitia latae sententiae sit dubia; in causa criminali, et capitali, potest appellari; et hoc etiam si jus rei sit minus probabile. Non autem in causa civili, quando certe jus pro reo est minus probabile. Quid si dubium sit, an judex supremus juste laturus sit sententiam pro reo. In hoc casu tenent Salmanticenses posse reum appellare, etiam in causa civili: quod licite potest reus experiri justa ex causa: et ita esse praxis videtur omnium appellationum. D. Lig. n. 285.

De Medicis, Pharmacopolis, et Chirurgis.

85. *Ad quid tenentur Medici, et Chirurgi?*

Tenentur sub gravi 1. habere sufficientem scientiam, et peritiam; 2. impendere debitam diligentiam ad curandos morbos; 3. adhibere remedia tutiora, et certiora, aut in illorum defectu probabiliora; non vero dubia, quae nec probabiliter judicantur profutura. Dubium remedium possunt, et tenentur adhibere, quando nulla spes sit de salute infirmi, ac simul nullum aliud remedium, seu medicamen, potest haberi, nisi dubium: de quo scilicet dubitatur, profuturum sitne, an nociturum; 4. admonere per se, vel per alios infirmum de periculo mortis, ut suae saluti aeternae mature possit providere. Hinc graviter peccant: si sine sufficienti scientia, et peritia curare praesumant; si debitam curam pro gravitate morbi non impendant; si medicamenta opportuna non praebeant; vel dent inexplorata explorandi causa; si curationes negligant, vel protrahant lucri causa; si aliquid contra legem Dei suadeant; si sine justa et rationabili causa esum carnium permittant, vel a jejunii, aut Officii recitationis obligatione excusent; si pauperibus graviter aegrotantibns gratis curam non praestant; si in necessitate, vel dubio alios medicos peritiores advocare negligant, vel prohibeant; si medicamenta ad impediendam generationem, vel foetum expellendum praebeant, vel consulant; si occultos morbos eorum, quos curant, verendos divulgent; si mercedem excedentem exigant.

Pharmacopolae peccant: si sine peritia, et scientia sufficienti officium excerceant; si sine arte et diligentia medicamenta conficiant; si melle in potionibus pro saccaro utantur; si unum medicamen pro alio contra medici praescriptum cum gravis damni periculo porrigant; dummodo non esset aeque bonum, et minoris pretii; si pharmaca vendant inutilia, vel evanida; si demum medicamina ad impediendam ge-

nerationem vel foetum expellendum, aut ad hominis perniciem porrigant (1).

86. *Quid de Mercatoribus, Sartoribus, aliisque?*

Debent mercatores vendere justo pretio, et pondere. Hinc peccant: si deceperint in pondere, et mensura; si merces vitiosas vendiderint; si ultra supremum pretium, etiamsi pecunia credita, dederint; dummodo aliquem titulum non habeant. Relege quaesit. n. 109. et seqq. in Tract. de Contract.

Sartores, Sutores etc. debent adhibere diligentiam in opere perficiendo, et justam mercedem exigere. Peccant proinde: si decipiant in materiae qualitate; si retineant frustula, seu resegmina notabilia materiae, seu panni etc., si emendo pro aliis materiam confectionis, puta pannos, majus pretium retinuerint; etiamsi praetextu peculiaris amicitiae venditoris erga seipsos minoris emerint. Advertendum est, quod Sartores in vestium confectione muliebrum caute agant tam in accipiendis regulis bene formandi vestes, Italice *nel prendere la misura*, quam in aptandis vestibus foeminis; ob occasionem proximam ex contactu, visu, aliove periculo.

Venditrices, seu quae domini nomine vendunt licitantibus, non possunt sibi retinere superans pretium, sed quod recipiunt, debent domino tradere; etiamsi pretium fuerit determinatum a domino; quia jus tantum habent ad mercedem, prout laborem insumpserint. Excipe tamen, si istae rem sua opera meliorem effecerint, et ideo pluris vendiderint, quam res prius valebat: si dominus convenerit de pretio, ita ut si majus pretium inveniatur, sit ipsius venditricis: si quod superest, sit parvi momenti; quia praesumitur domini consensus: si venditrix emerit sibi eo pretio, quo amplius non fuit inventum, praemissa debita ordinaria diligentia, et postea pluris vendiderit. Idem dicendum, si quis mandatum susceperit emendi ali-

---

(1) Advertendum, quod Gregorius XIII. Const. *Officii nostri* vetuit omnem societatem inter pharmacopolas, et medicos, aut chirurgos.

quid, non potest aliud majus pretium exigere, nisi illud solutum; si vero res fuisset empta nomine proprio, in se assumendo periculum, potest majori pretio vendere ei, qui commisit; dummodo praecesserit moralis diligentia, nec aliquis inventus sit, a quo res minoris emi potuisset.

Curent tandem Confessarii avertere Barbitonsores a componenda coma mulierum: quod quidem non sine magno periculi peccandi exerceri potest. Persuadeant vero mulieres, ut ab aliis foeminis sibi coma componatur, meliori modo, quo potest.





TRACTATUS
DE MONIALIBUS.



§. I.

Q. Quomodo definiatur status Religiosus Monialium?

R. Cum status Religiosus unus idemque sit, tum in viris Religiosis, cum in mulieribus, ideo recte definitur: Status hominum ad perfectionem comparandam perpetuo tendentium per tria vota castitatis, paupertatis, et obedientiae, facta traditione sui religioso Ordini adprobato ab Ecclesia sub regula determinata.

Num sufficiat ad essentiam status religiosi nudum propositum observandi tria consilia Evangelica?

Minime; sed requiritur obligatio personalis per vota Deo edita, nec ad tempus determinatum, sed in perpetuum; secus non adesset immobilitas, quae necessario hoc in statu requiritur.

An Ecclesiae adprobatio sit de essentia ad statum religiosum Monialium?

Maxime, saltem ad statum Religionis perfectum; nam licet Religio consistat in tribus votis; sine tamen Ecclesiae adprobatione non habet tantam stabilitatem, nec est statuus spiritualis supra communem statum Christianorum, in quo modo accipitur; atque ita Ecclesiae adprobatio dici potest aliquo pacto pertinere ad essentiam Religionis, si non ex natura suae institutionis, saltem ex Ecclesiae dispositione.

A quo fieri debeat haec adprobatio?

A Summo Pontifice: uti statuit Innocentius III. in cap. *Ne nimia de Religiosis domibus*: quod renovavit Greg. X. cap. unico *Religionum*; licet ante Innocentium sufficeret tantum Episcoporum adprobatio.

An ad constituendum statum religiosum necessario requirantur vota solemnia, vel sufficiant tantum simplicia?

Omissa contraria sententia, dico sufficere tantum simplicia; modo sint Ecclesiae auctoritate confirmata. Quod videtur aperte colligi ex Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino*: ubi definivit, quod in Societate Jesu evadant veri Religiosi, qui post biennium probationis emittunt vota simplicia.

In quo consistat votorum solemnitas?

Consistit in eo, quod obligatio trium votorum sit conjuncta Religioni adprobatae irrevocabiliter; et ratione conjunctionis cum Religione adprobata vota illa habeant aliquos effectus, quos per se non haberent.

Quinam sint isti effectus?

Sunt, ut votum solemne castitatis reddat inhabilem ad matrimonium, et matrimonium ratum antecedens solvat; ut votum paupertatis privet omni dominio, et reddat voventem illius dominii incapacem; ut singula ex tribus votis induant firmiorem, et minus solubilem obligationem, ita ut talis obligatio non solum ex parte tradentis, sed etiam ex parte acceptantis relaxari non possit auctoritate Praelatorum Religionis: quae omnia vota per se non habent.

Potestne Summus Pontifex in votis solemnibus dispensare?

Omissa contraria sententia, potest, sed stante gravissima causa, et quidem boni communis, non vero alicujus particularis.

Potestne Summus Pontifex dispensare Monialem professam a voto paupertatis, vel castitatis, vel obedientiae, manente Religiosa?

Minime; quia haec vota ad essentiam Religionis spectant, sicut habetur expresse in cap. *Ad monast.*

Num votum solemne magis obliget, quam simplex?

Maxime juxta D. Thomam, sed tantum per accidens ex Ecclesiae institutione; votum enim solemne specie idem est ac votum simplex.

§. II.

De Professione.

Q. *Quid sit professio Religiosa?*

R. Est contractus quidem moralis, quo homo sepsum voluntarie Deo tradit in determinata Religione adprobata, emittendo solemniter tria vota, cum consensu Praelati nomine Dei eadem acceptantis.

Quotuplex sit professio?

Duplex alia expressa, quae communiter, et verbaliter fit in manu Superioris; alia tacita, quae signis, vel actionibus a jure statutis inducitur.

Quodnam signum in jure sit statutum ad inducendam tacitam professionem?

Duplex: primum, si Monialis se ingerat exercitiis professarum per triduum; secundum, si habitum specialissimum professarum per triduum gestet. Quod si illa ambo haec duo conjunxerit, tunc statim ante triduum incurrit professionem tacitam; uti habetur cap. *Vidua de Regularibus.* Quae quidem signa jure antiquo inducebant professionem tacitam, etiam intra annum Novitiatus; jure vero novo Tridentini inducunt, modo Monialis decimum sextum suae aetatis annum expleverit, et integrum annum novitiatus percurrerit.

Quae conditiones requirantur, ut haec signa a jure statuta professionem tacitam inducant?

Plures: 1. ut actus, quo illa inducitur, fiat de consensu Superioris, qui potest Monialem ad professionem admittere; 2. ut actus fiat sponte, non coacte; 3. ut Monialis sciat per tales actus tacitam induci professionem; 4. denique ut exerceat tales actus animo profitendi.

Quaenam requirantur ad validitatem professionis?

Plura: 1. aetas; 2. annus probationis; 3. animus profitendi; 4. ut non fiat metu gravi; 5. ut fiat consensu Praelati Monialium, cujus est ad professionem admittere, et consensu majoris partis Capituli (nisi aliud consuetudo, vel privilegium concedat);

6. ut fiat in Religione adprobata; 7. ut Monialis non habeat aliquod impedimentum, quod habeatur essentiale in ea religione; 8. ut persona non sit alteri obstricta; 9. ut non sit demens, vel impotens morbo, aut senectutis causa ad servanda regulae praecepta; 10. ut tandem tria vota substantialia saltem implicite emittantur.

An professio nulla obliget saltem uti votum simplex?

Dist. vel fuit nulla defectu aetatis, aut anni probationis, et tunc nec etiam uti votum simplex obligat: uti patet ex cit. cap. Trid. sess. 25. quod idem dicendum, si nulla fuerit defectu usus rationis, aut consensus liberi, et spontanei. Vel fuit nulla ex aliis capitibus, et est quaestio: at videtur sententia probabilior, obligare tamquam votum simplex; quia praesumitur profitentem voluisse obligare se quantum potuit, nisi constet de contrario animo.

Quanti temporis spatium concedatur reclamanti de sua invalida professione, ut possit exaudiri?

Quinquennium; uti patet ex Trid. sess. 25. *De Regularibus* cap. 19.

An exploranda sit Monialis voluntas ante professionis emissionem?

Maxime; uti patet ex cit. cap. Trid. quae quidem exploratio debet fieri ab Ordinario, vel ejus Vicario, sicut statuit idem Conc.; quapropter Superiorissa per mensem ante diem professionis sub poena suspensionis ad arbitrium Episcopi tenetur facere ipsum Episcopum certiorem de tempore professionis Novitiae.

An incidant in aliquam poenam, qui cogunt Monialem novitiam injuste ad emittendam professionem?

Maxime incurrunt excommunicationem ipso facto nemini reservatam: ex Trid. sess. 25. *De Regul.* Quod idem dicendum de illis, qui Monialem impediunt, ne professionem emittat.

Num post expletum annum probationis possit professionis tempus protrahi?

Minime, nisi ex justa causa, juxta decr. Trid.

An monasterium, remota omni simoniae labecula, possit aliquid temporale exigere a Moniali professura religionem titulo sustentationis?

Tempore novitiatus licitum est exigere pecuniam pro victu, et vestibus novitiae, uti aperte colligitur ex Trid. sess. 25. Aliis vero temporibus invaluit usus licere monasteriis Monialium accipere dotem a parentibus earumdem. Quod confirmatur ex variis decretis Sacrae Congr. relatis a Bened. XIV. de Synodo Dioecesana.

Quo tempore solvenda sit dos pro Moniali Religionem professura?

In eadem professione, non vero ante; nam hoc implicite prohibetur a Trid. cit. sess.

Quibus bonis solvenda sit dos pro Moniali professura?

Ex declaratione Sacrae Cong. solvenda est in pecunia numerata, non vero bonis stabilibus. At juxta consuetudinem etiam bonis stabilibus fieri potest.

In quos usus Monasterium expendere debeat dotem acceptam pro Novitia admittenda ad professionem?

Impendenda est in emptionem fundorum fructiferorum, ut ex fructibus inde provenientibus Monialis sustentetur sine dispendio monasterii.

An Moniales absque debita solemnitate alienantes dotem incurrant in poenas latas contra alienantes bona Ecclesiastica?

Maxime incurrunt.

An translata Moniali ex uno ad aliud monasterium debeat transferri etiam dos tradita priori monasterio?

Certum est apud omnes, quod si posterius monasterium cogatur admittere dictam Monialem, ei a priori Monasterio solvenda est dos; sin autem sponte, et voluntarie Monialem admittat, litigium inter Theologos: juxta Sanchez, et alios est reddenda.

Ad quem spectet taxare dotem Monialium?

Per se videtur spectare ad Superiorem Monialium ex consensu majoris partis Monialium Monasterii, saltem ad evitandas Monialium querelas. Tamen standum est praxi, et consuetudini locorum.

An Moniales possint, si velint, unanimiter admittere aliquam novitiam ad professionem absque solutione debitae dotis?

Minime, si sermo sit de Monialibus choristis: de conversis vero possunt, ex declaratione S. Cong.

Quaenam sint Monialium obligationes?

Sunt plures: 1. obligatio tendendi ad perfectionem; 2. servandi vota emissa in professione; 3. observandi clausuram; 4. recitandi Divinum Officium.

§. III.

De obligatione tendendi ad perfectionem.

Q. *Quid sit perfectio, ad quam tendere debent Moniales?*

R. Perfectio assequibilis in hac vita juxta D. Thom. est charitas perfecta: perfectio charitatis, ait citatus doctor, et finis status religiosi.

An Moniales teneantur esse perfectae?

Minime, sed tenentur tantummodo semper tendere ad perfectionem: propterea in definitione dicitur status perpetuo perfectionis adquirendae.

An teneantur Moniales sub mortali ad perfectionem tendere?

Maxime; quia est obligatio substantialis, et praecipua sui status, ad quam ex vi professionis Moniales se adstrinxerunt: ita communiter.

In quo talis obligatio consistat?

Consistit in continuo quodam motu erga perfectionem, ita ut nunquam ab hoc motu, et progressu Monialis quiescat, nec dicat satis est, sed semper ad altiora aspiret: ita Salmantic.

Utrum teneantur Religiosae per omnia Evangelica consilia ad perfectionem ire?

Minime, sed per illa tantum, quae sunt secundum regulam, et observantiam Religionis: ita D. Thom. 2. 2. quaest. 186. art. 2.

Quando graviter peccet Monialis contra obligationem tendendi ad perfectionem?

Mortaliter peccat juxta omnes in sequentibus casibus: 1. quando regulas ad culpam venialem tantum, vel ad nullam obligantes ex contemptu transgreditur;

2. quando omittit eas observare tanquam inanes, vanas, et inutiles; 3. quando eo pravo fine regulas non observat, ut impediat suam perfectionem; ultimo, quando ejus pravo exemplo alias induceret ad regulae relaxationem.

An Religiosa, quae intendit tantum servare mandata obligantia sub gravi, alia vero statuit transgredi, vel de iis non curare, graviter, an leviter peccet?

Quaestio inter DD. Alii dicunt peccare graviter; quia istud propositum est virtualis contemptus regularum. Alii negant; quia professa, cum velit tantum servare praecepta sub mortali obligantia, cum ista de se, et respectu aliorum sint mera consilia, jam tendit aliquo modo ad perfectionem.

§. IV.

De voto Paupertatis.

Q. *Ad quid teneatur Monialis voto paupertatis?*

R. Obligatur hoc voto, ut nihil habeat proprium: ita ex cap. *Non dicatis.*

Nomine proprii, seu proprietatis quid intelligatur?

Hoc vocabulo intelliguntur tantummodo bona temporalia pretio aestimabilia, tam mobilia, quam immobilia, quorum dominium, vel usum, vel possessionem Monialis in perpetuum abdicavit.

An paupertas Religiosa privet etiam usu meri facti?

Ante responsionem praemittendum, hunc usum consistere in actione, qua homo percipit utilitatem ex re aliqua, quamquam nullum jus in ipsa habeat. Hoc posito dico, non privare hoc votum usu meri facti; quia hic usus non exercetur a Moniali nomine proprio, sed nomine Superioris.

Utrum licitum sit Moniali habere peculium, livellum, aut vitalitium?

Distinguo: vel in Monasterio non observatur vita communis ob nimiam paupertatem, vel ob incuriam Abbatissae, et juxta omnes potest illud habere ad nutum Abbatissae, vel Praelati: vel observatur vita

communis, et dico etiam licere saltem ex consuetudine juxta communiorem sententiam. Dixi saltem ex consuetudine, quia peculium fuit interdictum a Conc. Trid. uti probabilius colligitur ex cap. *Nemini*. Sed consuetudo hunc rigorem Concilii temperavit.

Quaenam conditiones requirantur, ut Monialis possit licite uti peculio sibi concesso?

Plures: 1. ut habeat illud dependenter a voluntate Superioris; 2. ut sit parata illud consignare ad nutum ejusdem Superioris; 3. ut eo non utatur, nisi ad res licitas, et necessarias; 4. ut sit moderatum, et non superfluum; 5. denique ut sit penes aerarium commune.

An possint Moniales cum licentia Superioris consanguineis cedere fructus sui livelli?

Minime; sed requiritur licentia S. Congregationis: uti constat ex pluribus Rotae decisionibus. Vide Lucium Ferr.

Num possit Monialis pecuniam sui livelli tradere monasterio cum pacto, ut monasterium certos redditus, sua vita durante, sibi solvat?

Minime; sic enim expresse decrevit S. Congregatio sub die 26. Januarii 1739.

Quibus modis possit Religiosa contra paupertatis votum peccare?

Triplici modo; 1. vel male acquirendo; 2. vel male possidendo; 3. vel male utendo.

Quando male acquirendo?

Quando accipit rem etiam de iis, quae ad victum, et vestitum pertinent, sine licentia Superioris: uti constat ex cap. *Cum ad Monast.*

Quid si aliquid ex bonis ipsius Monasterii accipiat sine licentia?

Etiam peccat contra votum, et violat Religionem simul, et justitiam; quia accipit alienum.

Potestne Monialis pecuniam in mutuum sine consensu Superioris accipere?

Minime; quia sibi usurpat dominium rei mutuo acceptae. Excipitur tamen casus necessitatis; quia tunc praesumitur consensus Praelati.

An sit contra votum paupertatis accipere pecuniam, vel aliam rem ad custodiam dumtaxat?

Minime; quia nihil Religiosa sibi applicat. Potest tamen peccare aliquando contra obedientiam tantum.

Quando male possidendo?

Quando Monialis detinet rem aliquam pretio aestimabilem nomine proprio: scilicet sine Superioris licentia, vel si obtenta licentia, ita occulte ab ipsa detineatur, ut a Superiore inveniri nequeat et auferri: uti si illam sub clavi particulari teneat clausam.

Quando denique Monialis paupertatis votum violat male utendo?

Quando aliquid ex rebus ad suum usum concessis in alium usum expendit, aut culpabiliter amittit, vel destruit; quia est actus dominii rem aliquam arbitratu suo disponere.

An possit Monialis ex rebus sibi ad usum concessis aliquid detrahere parcius vivendo, et alicui donare, sine Superioris licentia?

Distinguo: vel moniali certa quantitas est assignata, ut nec monasterium teneatur aliud ei praestare, nec ipsa rationem reddere, et tunc potest; quia praesumitur consensus: aliter non potest: ita D. Ligorius cum aliis.

An Monialis possit retinere superflua?

Neg. Nam Monialis non potest retinere superflua personae, vel statui religioso, quamvis licentiam obtinuerit: cum sit irrationabiliter concessa, uti constat tum ex Concilio Trid. sess. 25. cap. 2. *De Regul.*, tum ex declaratione Sacrae Congr. relata a Fagnano in cap. *Monachi*: *Regulares praeter suppellectilem, quae statui paupertatis regularis convenit, non posse de licentia suorum Superiorum Regularium alia bona mobilia superflua, et dependenter a voluntate eorumdem Superiorum, et ad solum usum proprium possidere, seu retinere; et possidentes, vel tenentes mobilia superflua non excusari propter licentiam Superiorum a culpa et poena.*

Teneturne Monialis res sibi concessas diligenter conservare, ne peccet contra paupertatis votum?

Affir. et peccat graviter vel leviter juxta proportionem defectus diligentiae debitae: nam, si magna sit negligentia, peccat graviter (intellige) si, quod disperditur, sit notabile; leviter vero, si sit parvum.

Quaenam diligentia a Moniali sit adhibenda in conservandis rebus sibi in usum concessis?

Illa, quae a diligentioribus solet impendi.

Monialis quomodo peccet violando paupertatis votum?

Peccat graviter, vel leviter prout est materia.

Quaenam quantitas materiae requiratur, ut graviter peccet?

Variant Doctores: sed cum Laymann, et aliis putarem, summam gravem esse illam, quae pro furto absolute statuitur; non vero illam, uti autumant alii, quae statuitur pro furto filiorum-familias.

An eadem quantitas ad constituendam materiam gravem requiratur, tam si alienatio sine debita licentia fiat extraneis, quam Moniali ejusdem Monasterii?

Minime, sed major quantitas; quia Superior non est tam invitus de alienatione facta alii Moniali, quam est invitus, si res extraneo donetur.

Quomodo sit mensuranda gravitas culpae in violatione voti paupertatis quoad usum?

Est mensuranda non ex pretio rei concessae ad usum, sed ex ipso usu; videlicet quanti aestimari possit talis usus.

An paucula furtula commissa a Moniali per continuationem fiant gravia?

Maxime, omissa contraria sententia, quia furtula moraliter inter se coalescunt; modo inter unum, et aliud furtulum non intercedat tempus notabile; et modo etiam non sit de exculentis, et poculentis sublatis ex bonis monasterii ad suos usus; quia in hisce casibus Monialis peccat leviter, etiamsi perveniat ad magnam quantitatem.

An Monialis teneatur ad restitutionem, quando sine debita licentia aliquid accipit, vel donat?

Maxime, quia violavit justitiam.

Ex quo facienda sit a Moniali haec restitutio?

Ex peculio, vel annuis redditibus: et si pecu-

lium non habet, juxta multos tenetur sibi subtrahere aliquid ex rebus ad usum ei concessis.

Quaenam licentia requiratur, ut possit Monialis absque peccato aliquid accipere, vel alienare?

Ante responsionem praemittere oportet, triplicem considerari posse licentiam, nimirum expressam, tacitam, et praesumptam: expressa est illa, quae verbo, vel scripto datur: tacita est, quando Superior videt, et non contradicit, cum possit: praesumpta habetur, quando Monialis, inconsulto Superiore, aliquid accipit, credens prudenter fore, ut Superior licentiam daret, si peteretur. His praemissis.

Sufficit etiam licentia tacita, modo taciturnitas sit vera Superioris adprobatio, et non sit sola permissio: praesumpta vero non sufficit, nisi in casu necessitatis: uti probabilius videtur, cum Salm. et aliis.

Num moniales votum paupertatis violando in poenas aliquas incidant?

Incurrunt in privationem vocis activae, et passivae per biennium juxta Trident.: quae est latae sententiae, uti declaravit Clemens VIII. in Bulla *Nulla omnino*. Insuper incurrunt in privationem Ecclesiasticae sepulturae, uti ex cap. *Cum ad Monasterium*. In allatas poenas incidit Monialis, quando violat votum habendo, vel retinendo aliquid nomine proprio, non vero quando alienat.

Moniales largientes munera num incidant in aliquas poenas?

Ex Constitutione Clementis VIII, quae incipit *Religiosae*, incidunt in privationem dignitatum, et officiorum, in inhabilitatem ad illa, et alia in futurum obtinenda, in infamiam, et in privationem vocis activae, et passivae: quae quidem Constitutio non fuit quoad praedictas poenas ab Urbano VIII. moderata in sua Constitutione, quae incipit *Nuper*.

Quid requiratur, ut Moniales munera largientes incidant in praedictas poenas?

1. Ut quantitas sit sufficiens ad contrahendas has poenas; 2. ut donatio, vel largitio fiat absque Superiorum licentia; 3. ut sit omnino liberalis, et gra-

tuita: uti declaravit Urb. VIII. Constitutionem Clementis VIII. moderando.

Quibus poenis afficiantur, qui largitionem munerum a Monialibus recipiunt?

Incidunt in casum reservatum Pontifici, si donatio summam decem scutorum excedat; infra vero praedictam summam in casum Cardinali Poenitentiario reservatum: prout patet ex novissima Constitutione Innocentii XII. declaratoria facultatum Cardinalis Poenitentiarii emanata tertio nonas Septem. 1692. Incip. *Romanus Pontifex*: in qua p. 17. sic expresse habetur: *Munera a Regularibus contra recolentem Clementis Papae VIII. pariter praedecessoris nostri anno Incarnationis praefatae* 1594 *tertio decimo Kalendas Julii editam Constit. ultra valorem decem scutorum monetae recipientes, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ante factam restitutionem non absolvat, nec mandet absolvi. Infra vero praedictum valorem, nonnisi facta arbitrio ipsius Majoris Poenitentiarii, seu per eum eligendi Confessarii, eleemosyna, quae in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri potest, erogetur, absolvat, seu mandet absolvi.*

Nota. Episcopus, vel quilibet Superior Ordinarius non potest recipere munera occasione receptionis habitus, seu emissionis Professionis Monialium, seu ingressus Abbatissae in Officium Abbatissatus: Clemens VIII. in cit. Const. *Religiosae Congregationes* et expresse *Sacr. Congr. Episcop. et Regular. in Aversana* 22. *Januarii* 1591 his verbis: *Non liceat Episcopis, cum Novitiae vestiuntur, vel professionem emittunt, a propinquis, vel ab alio quocumque dona, tam comestibilia, quam linea, etiam parvi valoris, accipere, neque ab Abbatissis in ingressu Officii, sed ab eisdem comestibilia tantum in aliquibus solemnitatibus, nomine totius Monasterii, etiamsi antiquissima inoleverit consuetudo.* Episcopus, et quilibet Ordinarius in his transgressor juxta tenorem dictae Constit. Clem. VIII. tenetur ad restitutionem, qualenus munera non comestibilia, et praeter formam alterius cit.

Bullae Urbani VIII. *Nuper a Congregatione*, moderatoriae, et declaratoriae; et confirmatoriae illius Clem. VIII. recipiat.

Quam quantitatem expendendi possit Abbatissa concedere Moniali?

Si in Constitutionibus taxata est quantitas, et tunc juxta omnes haec taxa est servanda: si vero non est taxata, et litigium inter Theologos: nonnulli dicunt posse Abbatissam concedere facultatem expendendi decem, vel quindecim aureos singulis annis, alii duos, vel tres aureos singulis mensibus: sed probabilius, et melius dicendum, arbitrio viri prudentis esse definiendam hanc quantitatem, spectatis circumstantiis, scilicet causa largiendi, quantitate reddituum Monasterii, necessitate piae causae, in cujus commodum largitio facienda est.

Abbatissae possuntne facere de bonis Monasteriis eleemosynas, aut donationes?

Maxime; Abbatissa enim cum sit administratrix bonorum Monasterii, licite potest bona Monasterii expendere, et insumere, prout recta ratio dictabit; modo haec facultas restricta, et limitata non fuerit a Constitutionibus, vel praecepto Praelati.

Quam maxime optatam declarationem Congregationis quatuor Cardinalium jussu Summi Pontificis coadunatae, ac inde ejusdem Summi Pontificis auctoritate firmatam de quibusdam ad successionem haereditati Regularium extra Claustra decedentium spectantibus dubiis nuperrime compertus sum opera, ac studio viri mihi amicissimi: cujus sane probo consilio admonitus, in commune commodum publici juris facere sum opinatus. Quod, ut protinus efficerem, monito tam salutari acquiescens strenuam operam navavi, ut ea, qua par erat, solertia exemplar laudatae declarationis ocius adipiscerer, atque Bullam *Officii nostri* Gregorii XIII. in illa relatam ad manus habere sategi. Quamobrem data mihi opportunitate huic Epitomi Tractatum de Monialibus adtexendi, prout libenti animo, atque gratiosa permissione Clariss. illius Auctor mihi concessit, non abs re esse putavi heic potissime Confessariorum oculis memoratam declarationem subjicere, una cum Bullae Gregorii verbis illuc spectantibus. Siquidem in hoc para-

§. V.

De voto Obedientiae.

Q. *Quid sit votum obedientiae emissum a Monialibus?*

R. Est promissio facta Deo, qua Monialis propriam subjicens voluntatem Superioribus, se obligat ad parendum eis in omnibus, quae juxta propriam regulam juste jubebunt.

---

grapho de voto paupertatis agitur, cui haec declaratio apprime quadrat.

In antecessum scito: Pontificem Leonem XII., ne jurgia, ac querelae longius invalerent Superiores Regularium inter, et istorum haeredes, selegisse quatuor Cardinales, qui juxta Canonum sanctiones hac de re in scriptis suam edicerent sententiam. Morte praevento Leone, dum res examini adhuc sisteret, Pius VIII., ejus successor die 26 Junii anno 1829 horum quatuor Cardinalium vota jam prolata sua auctoritate approbavit; atque confirmavit. Quae declaratio hisce in terminis se praefert secundum quaesita, et responsiones mox scribendas.

Quaesitum I. » Cui competat jus succedendi haereditati » Regularis professi decedentis extra Claustra, qui Apostoli» cum indultum obtinuit manendi extra Claustra ad tempus » retento habitu, vel veste sui Ordinis dimissa?

Respondetur: » De hujusmodi haereditate judicandum es» se juxta dispositionem juris Ecclesiastici communis, scilicet » eam spectare ad propriam defuncti Religionem.

Quaes. II. » Cui competat jus succedendi haereditati Re» gularis Professi, qui infausto anteacto tempore ejectus pu» blica vi a coenobio, et veste sui Ordinis expoliatus, ratio» nabiles causae ei obstiterunt, ne successivo tranquillitatis » tempore ad suum rediret coenobium, suique Ordinis vestem » reassumeret?

Resp. » Si Religiosus, de quo est sermo, perpetuae se„ cularizationis absoluto non fruebatur indulto; ut in praece„ denti. Si vero fruebatur, distinguendum esse inter bona ab „ eo relicta, scilicet bona, quae Religionis erant, secumque „ a Claustro egrediens ipse attulerat, vel ei utcumque obve„ nerunt; quemadmodum et bona si quae habebat ex illis » provenientia, eidem Religioni manere. Quod autem caetera » bona a tali Religioso extra Claustra aliterquam ex bonis ad

Ad quid persona religiosa teneatur ex vi voti obedientiae?

Tenetur primo ad praecepta Regulae, quam observare promisit. Secundo tenetur ad omnia, quae Superiores praecipiunt secundum regulam sive directe, et expresse, sive indirecte, et implicite.

» Religionem pertinentibus acquisita, judicandum de iis esse » juxta Constitutionem Gregorii XIII. *Officii nostri.*

Quaes. III. » Cui competat jus succedendi haereditati Re» gularis Professi, qui Apostolicum indultum obtinuit acqui» rendi haereditates, et legata, et de iisdem acquisitis di» sponendi, et signanter si dispositio fuerit ad causas pias, » et in favorem Religionis?

Resp. » Si dictus Religiosus Apostolico indulto disponen» di de bonis, ut in casu, legitime usus est, facta nimirum » dispositione, undique legitime eorumdem bonorum jus, de » quo agitur, illi competere, cujus favore facta est dispositio.

Quaes. IV. » An sit supplicandum SS., ut privativam » jurisdictionem cognoscendi, et definiendi quaestionem super » praemissis ortas, et quam contigerit inter Superiores Regu» larium Ordinum, et R. Camerae spoliorum administrato» res circa interpetrationem, et explicationem Constitutionis » Gregorii XIII. *Officii nostri* alicui ex sacris Congregatio» nibus tribuere dignetur?

Resp. » Affirmative: Mandans, ut quaestiones prout in » quarto dubio, cognoscantur, et definiantur a sacra Con» gregatione Episcoporum et Regularium, non obstantibus » Constitutionibus Apostolicis de spoliis, et signanter Grego» rii XIII. diei 21 Januarii 1577 quae incipit *Officii nostri;* » inveterata consuetudine, ordinationibus, aliisque in con» trarium quibuscumque ».

Verba Constitutionis Gregorii XIII. *Officii nostri*, in quaesitis, et responsionibus memoratae, respiciunt sanctiones de aliquibus dubiis circa bona acquisita a Regularibus extra claustra. Primum mentionem faciunt de Bullis Pii IV. et Pauli III. contra Apostatas. Hinc videntur bona ab istis acquisita applicanda esse Religioni, aut Monasteriis, in qua, seu quibus professi sunt istiusmodi Religiosi Apostatae: idem de Regularibus extra claustra Superiorum permissu degentibus observandum dicitur. Inde declaratur Pontificia sanctio, ut sequitur: » Nos omnem circa praedicta dubitandi occasionem » dimovere; simulque aequitate, et justitia suadentibus ejus» dem Camerae indemnitati, ne in dies molestiis et incom-

Quibus Superioribus teneantur Moniales parere ex vi voti obedientiae?

Tenentur parere Papae, Ordinario, vel Praelato Regulari, si ei immediate subjiciantur, et propriae Abbatissae; quia per votum istis se subjiciunt.

Quid si Moniales emiserint professionem, quando regula erat jam deformata, et longaeva consuetudine jam relaxata, num teneantur Praelatis obedire, si ab eis obligentur ad observantiam regulae juxta pristinum institutum?

» modis afficiatur, consulere volentes, praesentium auctoritate » declaramus, res, et bona quaecumque per dictos Regulares » extra claustra, Ecclesiam, Monasterium, domicilium do- » morum, et quorumcumque Regularium locorum degentes, » quocumque jure, et actione, sive ex causa testati, sive » intestati acquisita, et in posterum acquirenda, vel ad » eos delata, in quibusvis provinciis, dominiis, regnis, et » locis consistant, nisi iidem, ad quos illa spectaverint; suf- » ficienti fuerint testandi, aut de illis disponendi facultate » suffulti, eaque legitime usi fuerint, ad eamdem Cameram pleno » jure pertinuisse, et spectare, ac bona quaecumque eorumdem » sub spoliorum nomine comprehensa per ipsam Cameram, » ejusque nomine a quibuscumque illa quandoque occupanti- » bus, et detinentibus, recuperari, ac vindicari potuisse, et » posse, ac juxta Pauli III., et aliorum Praedecessorum no- » strorum literas eadem Camera Apostolica in hujusmodi bo- » nis *spolia* nuncupatis vere universaliter succedere, quod ipsa » Camera prae caeteris haeredibus, et successoribus ampliori » est privilegio munita; cuique merito magis favendum est, » dum in eam rerum, et bonorum dominium, ac possessio » nulla traditione praecedenti transeat, in quacumque bono- » rum, et spoliorum, sive ad saeculares, sive ad Regulares, » dum viverent, spectantium successione, quibuscumque in » rebus, sive pecuniis illa consistat, etiamsi nominatim, aut » alia speciali nota illa designanda esset, quae ad eamdem » Cameram jure spoliorum pertinuerunt, et pertinebunt in po- » sterum, omni prorsus fictione penitus cessante, jus, et no- » men veri haeredis in eisdem spoliis, habere, illiusque na- » turam sortiri, ac veri haeredis privilegiis, et juribus, in » quibuscumque bonis, pecuniis, juribus, ac actionibus, uti » ante hac potuisse, et nunc posse, idque eorumdem Prae- » decessorum ac nostrae etiam intentionis semper fuisse, et » esse auctoritate praesentium declaramus ». *In Bullario tom. 4. pars tertia p.* 330.

Juxta multos tenentur; quia quamvis consuetudo vim habeat relaxandi regulam, non tollit tamen Praelatis facultatem hujusmodi relaxationem amovendi, nec a subditis obligationem, ut ad regulam reformatam teneantur: quae quidem sententia videtur probabilior, praesertim quando reformatio apparet medium necessarium ad Ordinis conservationem, et ad vota essentialia conservanda.

Num teneatur Monialis obedire Abbatissae in his, quae sunt contra regulam?

Minime; modo Abbatissae non fuerit a Praelato commissa facultas dispensandi, et legitima causa dispensandi subsit.

Quid si Superior aliquid praecipiat vel supra, vel infra, vel praeter regulam, teneturne Monialis illud exequi?

Ne quidem; quia ipsa non promisit obedientiam, nisi secundum regulam: nec refert, quod regulae aliquando jubeant in omnibus obedire; id enim non de obligatione voti, sed de obedientiae perfectione intelligitur: ita communiter.

Quando Monialis contra obedientiae votum peccet?

1. Quando non observat regulam sub peccato praecipientem; quia talis regula non est minus praeceptiva, quam vox Superioris; 2. quando transgreditur praeceptum Superioris juxta regulam impositum: et graviter, vel leviter in hisce casibus, prout est praeceptum.

Quid si regula sub peccato non obliget, num Monialis illam transgrediens peccet?

Si transgressio fiat ob justam causam, et bonum finem, nullum peccatum committit; parata tamen debet esse violatrix ad subeundam poenam: si vero sine justa caussa, sed ex negligentia, et torpore, est veniale peccatum.

Quot peccata Monialis committat contra praeceptum Superioris operando?

Duo peccata: unum contra Religionem ratione voti; alterum contra obedientiae virtutem ratione traditionis de seipsa factae in professione, ob quam etiam

sine voto tenetur legitimo Superiori obedire: ita Salmant. et alii.

Teneturne Monialis obedire Abbatissae, quando in virtute obedientiae aliquid juxta regulam illi praecipit?

Maxime, quidquid alii in contrarium sentiant; quia est vere Superior: et licet non possit jurisdictionem exercere; potest tamen tanquam Ministra exigere obedientiam per votum promissam circa res, quae sunt a regula praeceptae.

Potestne Abbatissa dispensare cum suis Monialibus in regulis, aut in votis?

Non potest, nisi ex commissione Praelati, regulas dispensare; bene tamen potest de se declarare, aliquando regulam non obligare. Vota vero particularia emissa a Monialibus Abbatissa non potest neque dispensare, neque commutare; sed tantum irritare: ita communiter.

§. VI.

De voto Castitatis.

Q. *Quid sit castitas Religiosa?*

R. Est virtus, qua Monialis per votum promisit Deo sese cohibituram ab omni delectatione venerea, tam licita, quam illicita: quae quidem virtus si integritati, et puritati carnis est conjuncta, dicitur castitas virginalis; sin autem, simpliciter castitas.

Ad quid igitur obligentur Moniales castitatis voto?

Obligantur ad perpetuo abstinendum non solum ab omni actu venereo sive interno, sive externo, contrario castitati, a quo quilibet Christianus ex vi juris naturalis et divini extra conjugium se debet abstinere; sed etiam ab iis actibus, qui sunt conjugatis permissi.

In quibus casibus Moniales violent votum castitatis?

Violant in sequentibus casibus: et quidem si deliberate capiant delectationem morosam de rebus venereis: si propriam pollutionem procurent, aut de ea aliunde secuta turpiter delectentur: si turpes foveant amicitias: si obscoenos habeant sermones; vel lasciva canant; librosve turpes, et amatorios legant; si

osculis, amplexibus, vel tactibus obscoenis carnaliter delectentur: si retineant impudicas imagines, vel aspiciant objecta inhonesta et valde ad libidinem provocantia: in his, vel aliis similibus casibus Moniales violant votum castitatis; ideoque duo peccata committunt, unum contra castitatem, alterum contra Religionem ob violationem voti.

Monialis, quae habet tractatus impudicos cum alia Moniali, unicum, an duplex peccatum contra Religionem committat?

Duplex, quia violat votum propriae castitatis, et cooperatur violationi voti alterius.

Monialis, quae in delectatione venerea secludit votum castitatis, et de ea delectatur tantum uti persona humana, et non uti Deo per votum sacrata, num etiam in hoc casu peccet contra Religionem?

Maxime juxta omnes: circumstantia enim voti est inseparabilis a persona, quae de re venerea delectatur.

Num mortaliter peccet Monialis, quae matrimonium optaret sub conditione, si a professione esset libera?

Minime; illa enim conditio aufert malitiam operis. Attamen, inquit Cajetanus, haec esset fatua, et diabolica tentatio, quae ad peccatum ducere solet.

§. VII.

De Clausura.

Q. *Quid sit clausura Monialium?*

R. Clausura est spatium illud, quod intra januam monasterii semper clausam continetur, intra quod spatium Moniales sistere se debent.

Monialis, quae ascendit super tegulas tecti ipsius monasterii, num clausuram violet?

Maxime, modo conscendat tectum superpositum parietibus Monasterium integrum circumsepientibus; quia censetur esse extra clausurae ambitum; ita Bonacina. Si vero conscendat tectum, quod Monasterii

interiorem ambitum respicit, et tunc probabilius videtur non violare clausuram.

Num Monialis sit rea violatae clausurae, si per duos pedes toto corpore egrediatur e monasterii janua?

Affir., etiamsi ad unum tantum pedem processerit; clausura enim habet sua confinia, et natura confinii est indivisibilis, cum inter intra, et extra non detur locus medius: ita D. Ligorius.

Quid vero dicendum de illa, quae sub ostio clausurae subsistens unum tantum pedem efferat extra clausurae terminos, altero intra retento?

Cum eodem D. Ligorio dicendum, non incidisse in crimen violatae clausurae; quia perfecte non egreditur extra clausurae confinia.

Ex quo jure Moniales servare teneantur clausuram?

Ex jure Ecclesiastico, et etiam ex naturali, si Moniales ad clausuram voto se obstrinxerit.

Quot igitur peccata committat Monialis, quae clausuram violat?

Peccat contra praeceptum Ecclesiae; et contra Religionem etiam, si clausuram voverit.

Quaenam Moniales obligentur ad servandam clausuram?

Omnes, et singulae Moniales professae, cujuscumque Ordinis illae sint, modo in congregatione vivant, ad servandam clausuram tenentur ita ex cap. *Periculoso* un. de statu Reg. in 6. et confirmatur a Conc. Trid. cap. 5. sess. 25.

Quot modis violetur clausura?

Duobus: per egressum Monialis extra septa, et per ingressum extraneorum intra septa monasterii, sine debita causa, et sine debita licentia.

In quam poenam incidant Moniales per egressum sine licentia?

Incidunt ipso facto in poenam excommunicationis Pontifici reservatam, quae extenditur etiam ad concedentes licentiam egrediendi sine debita causa; ad comitantes, et receptantes, cujuscumque conditionis illi sint, etiamsi fuerint consanguinei. Immo praedictae Moniales egredientes, et Superiores egrediendi

facultatem concedentes incurrunt etiam privationem dignitatum, administrationum, et officiorum, et inhabiles ad illa, et ad alia in futurum obtinenda efficiuntur. Ita decernit Pius V. in Const. *Decori, et honestati.*

Quinam possit ab hac excommunicatione, et praefatis poenis absolvere, et dispensare?

Quoad excommunicationem Episcopus; modo delictum sit occultum, ex cap. *Liceat.* Trid. Pontifex vero, quando delictum est publicum, vel deductum ad forum contentiosum. Excipitur Monialis, quam Episcopus potest absolvere ab excommunicatione, licet delictum sit publicum, ob impedimentum perpetuum: ut ex cap. *De Moniali* 33. de senten. excom. Quoad alias poenas potest Episcopus, quia non sunt reservatae; uti apparet ex cit. Bull.

Ad quem pertineat Monialibus concedere facultatem exeundi?

Pertinet ad Episcopum auctoritate propria in monasteriis sibi subjectis; delegata vero in monasteriis sedi Apostolicae immediate subjectis: ita decernitur a Trid. sess. 25. cap. 5.

Quid dicendum de Monasteriis, quae Regularibus sunt subjecta?

Licentia egrediendi concedenda est tam a Praelato Ordinis, quam ab Episcopo, vel ejus Vicario: uti decrevit Pius V. in cit. Bull. *Decori, et honestati*; modo non adsit in aliquibus locis consuetudo contraria.

Utrum haec licentia in scriptis concedi debeat?

Affir., quia sic praescribitur ab eodem Pontifice in praedicta Bulla, ubi habetur *ex causa cognita, et expresse in scriptis approbata.*

Quaenam debeat esse causa, ob quam concedi possit facultas exeundi?

Justa, et gravis: sic colligitur ex Trid, sess. 25. cap. 5. et ex Bul. Pii V. pluries citata.

Quaenam censeatur justa, et gravis causa?

Jure antiquo in cap. *Periculoso* Bonifacii VIII. justa causa censetur infirmitas, ob quam Monialis nequeat cum aliis, absque gravi periculo, vel scanda-

lo commorari. Ex Trid. causa relinquitur judicio Episcopi definienda: ex Bullâ Pii V. tres causae tantummodo exprimuntur, nempe incendii, epidemiae, et leprae.

Utrum Episcopus possit concedere facultatem egrediendi non solum ob tres allatas causas, sed etiam ob consimiles?

Litigium inter DD.: tamen videtur verosimilius, quod possit; quia licet in laudata Bulla Pii V. habeatur dictio taxativa *nisi*, tamen usu receptum est ob alias consimiles causas concedi posse exeundi facultatem.

Monialis, quae ob justam causam obtinuit licentiam egrediendi, cessante causa num teneatur reingredi?

Maxime; immo statim ad hoc tenetur, uti decernitur a Pio V.

§. VIII.

De poenis contra violantes Clausuram per ingressum.

Q. *Quibus personis Ecclesiastica lege sit interdictus ingressus in Monasterium Monialium?*

R. Omnibus cujuscumque generis, aetatis, conditionis, et status, uti patet ex cap. *Periculoso*, et ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 5.

Num introducentes pueros, et puellas ante usum rationis in monasterium Monialium incidant in censuram?

Quamvis ex communi Theologorum suffragio in Tridentina Synodo non comprehenduntur pueri ante usum rationis, tamen ex decretis Sacrae Congreg. incurrunt introducentes: imo Abbatissa, quae hoc permittit, privatur officio, et voce passiva: et tanto magis hoc dicendum de amentibus. Vide Luc. Ferr.

In quam poenam incidant violantes clausuram Monialium per ingressum?

In excommunicationem nemini reservatam: uti patet ex Trid. cit. sess. Si vero violetur clausura ob malum finem, in excommunicationem Papae reservatam, quae est specialis mentionis: uti ex decr. Cle-

mentis VIII. Si denique non ob malum finem, sed ex praetextu facultatum jam revocatarum, incurritur in excommunicationem Pontifici reservatam, uti constat ex Bul. Greg. XIII. *Ubi gratia.* Quae quidem excommunicatio contrahitur etiam a Superioribus Monasterii, si ingredi faciant, vel permittant aliquem praetextu facultatum; et praeter excommunicationem incidunt etiam in privationem officiorum, et inhabilitatem ad ea.

Num Praelati Saeculares, vel Regulares in monasteriis sibi subjectis possint ingredi clausuram?

Maxime: sed in casibus tantummodo necessariis.

Num incidant in aliquam poenam in casibus non necessariis?

Maxime; pro prima vice in interdictum ab ingressu Ecclesiae: pro secunda in suspensionem a munere pontificali, et a divinis; pro tertia denique in excomm. nemini reservatam, si sint Praelati Saeculares: si vero sint Regulares in eamdem excomm., et privationem incurrunt ab omnibus officiis, et dignitatibus etiam pro prima vice.

Confessarii Monialium quando, et quomodo possint ingredi clausuram?

Ex Const. Alex. VII., quae incipit *Felici* possunt cum licentia ingredi clausuram tantum ad ministranda Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis Sacramenta tam Monialibus, quam aliis personis infirmis ibi degentibus; necnon ad commendandam animam agonizantium, et juxta declarationem Sacrae Congr. debent ingredi induti superpelliceo, et stola, atque sic ibi morari: sed circa hoc standum est consuetudini.

Num qui cum licentia in monasterium ingreditur, graviter peccet, et excommunicationem incurrat, si finito negotio statim non egrediatur?

Non excusatur a gravi culpa, si mora sit longa: si mora vero sit brevis per quadrantem scilicet, non peccat, ne quidem venialiter; quia sic usus receptus est etiam apud viros timoratae conscientiae. In excomm. tamen non incurrit juxta probabiliorem sen-

tentiam; quia non dicitur clausurae violator, qui cum licentia ingreditur.

Medici quando, et quomodo possint clausuram ingredi?

Ordinarius potest ingredi etiam de nocte in casibus urgentis necessitatis ex licentia renovata in singulis trimestribus: debet tamen associari a duabus Monialibus senioribus: ita ex decr. S. Congr. Extraordinarius vero non potest ingredi ad libitum Monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habendum est collegium.

Quinam possint facultatem ingrediendi Monialium monasteria concedere?

Omnes illi, qui concedere possunt facultatem egrediendi e clausura, jus etiam habent concedendi facultatem ingrediendi.

Quot conditiones requirantur ad licentiam ingrediendi claustra Monialium?

Duae conditiones requiruntur. Prima est, ut licentia sit specialis, idest ut in specie contineat facultatem ingrediendi: sic praescribitur in cap. *Periculosum: nisi specialis licentia*; altera, ut scriptis detur; nisi periculum sit in mora: ita statutum est a Trid. sess. 25. cap. 5.

Estne valida licentia ad ingrediendum obtenta, quando est generalis quoad personas, licet sit specialis quoad causam ingressus?

Litigium inter DD. Sunt qui dicunt valere, quia revera est specialis: sunt qui negant (quorum sententiae ego adhaereo cum D. Ligorio) quia jus exquirit licentiam specialem, non tantum ut sciatur ministerium ingredientium, sed etiam qualitates personarum, si sint viri probi, maturae aetatis, et similia.

Quaenam causa requiratur ad hanc licentiam concedendam?

Requiritur necessitas, ut praescribit Trid. in citato cap. 5. sess. 25.: quae quidem necessitas debet esse ex parte ipsius Monasterii, non vero ex parte extraneorum; nisi jus divinum, aut naturale aliud suadeat.

Haec necessitas stricte, an late sumenda sit?
Late; intelligitur enim necessitas moralis, nempe quaecumque causa rationabilis, sive probabiliter justa; ita communiter.

§. IX.

De aliis Monialium praecipuis obligationibus.

Q. *An, et quo jure teneantur Moniales recitare horas canonicas?*

R. Tenentur, si sint ex deputatis ad chorum; et tenentur sub gravi publice in choro officium divinum persolvere; non ex aliquo praecepto, sed ex antiqua Ecclesiae consuetudine ubique recepta, et ex statutis fere omnium Religionum: ut colligitur ex Clem. *De celebr. Miss.* cap. *Dolentes.*

An, si Monialis, utpote legitime impedita choro non intersit, teneatur etiam privatim horas canonicas persolvere?

Maxime, et etiam sub mortali: ita ex ipsa consuetudine.

An Moniales choristae teneantur recitare extra chorum officia, quae pro benefactoribus solent certis diebus recitari in choro, si a choro absint?

Minime, et quidem etiam si dicta officia recitari debeant ex obligatione justitiae; hoc enim est onus afficiens communitatem, non vero singulas; et a Gavanto affertur etiam decretum S. Congreg. Rituum, ubi sic fuit decisum.

Monialis ad chorum non deputata ad quid teneatur?

Tenetur ad preces sibi loco officii impositas, sed non sub gravi; quia haec obligatio non oritur ex consuetudine, sed a regula, quae communiter, quoad hoc, non obligat ad culpam gravem.

Moniales tenenturne deferre habitum, et tonsuram?

Tenentur deferre habitum, et tonsuram: habitum quidem portare tenentur in omni occasione, itaut facientes oppositum peccent: ita ex cap. 2. *Ne Clerici, vel Monachi*; immo Monialis dimmittens temere

habitum suae professionis excomm. incurrit ipso facto; ad quam incurrendam requiritur, 1. ut dimissio habitus sit facta animo occultandi statum; 2. scientia; aliter ignorantia etiam crassa ab ea incurrenda excusaret: quoad tonsuram patet ex Clem. *Attendentes* De statu Monachorum.

An Moniales teneantur ad Sacramentorum frequentiam?

Ex dispositione Conc. Trid. sess. 25. *De Regul. et Monialib.* cap. 10. Moniales debent saltem semel singulis mensibus confiteri, et sacram Eucharistiam sumere: ad hoc tamen, ut communius docent DD. tenentur ex consilio, non vero ex praecepto; quia Concilium in cit. cap. utitur verbo *admoneantur*.

Ad quid teneatur Abbatissa speciatim?

Tenetur sub lethali abusus, et relaxationem regulae impedire, et si possit introductos extirpare.

§. X.

De velo consecrationis Monialium.

Q. *Quotuplex sit velum Monialium?*

R. Multiplex: velum probationis, quod datur a principio novitiae, et solet esse album: velum professionis, quod datur in actu professionis foeminae, sive sit virgo, sive sit vidua, Religionem profitentis: velum ordinationis, quo decoratur Monialis ordinanda in Diaconissam: velum praelationis, quod dabatur Abbatissis: velum continentiae, quod viduis professis tantum imponitur: velum consecrationis, quod datur virgini professae.

An omnes hae veli species sint hodie in usu penes Ecclesiam?

Minime; sed tantum velum probationis, professionis, et consecrationis: de quo hic aliqua sunt dicenda.

Quaenam praerequiratur in Moniali, ut possit licite velum consecrationis recipere?

Plura: 1. ut sit virgo, uti habetur in cap. *De-*

votis; 2. ut expleverit XXV. annum, siculi in cap. *Placuit* statuit Concilium Carthaginense; 3. ut sit professa in Ordine approbato; 4. ut non sit ex Ordine Mendicantium: uti declaravit Sacra Ep. Congr.

Quare Monialis debeat esse virgo, ut consecrationis velum accipiat?

Quia hoc velum repraesentat conjugium spirituale Christi, et Ecclesiae quoad integritatem: quae quidem integritatis significatio plene potest esse tantum in continentia virginali.

A quo sint Moniales velandae?

Ab Episcopo: solus enim Episcopus, cui committitur cura Ecclesiae, virgines desponsat, non sibi, sed Christo, quasi sponsi paranymphus, et amicus: ita D. Thom. 4. dist. 4.

Virgo per vim oppressa debetne se abstinere a velo consecrationis, sive res sit occulta, sive sit notoria?

Si virgo est certa, se nullo modo delectationi isti consensisse, et res est omnino occulta, videtur posse consecrari: uti putat Lessius. Nec obstat decretum Leonis Papae, quo hortantur hujusmodi virgines contaminatae ad non se virginibus copulandas; nam Pontifex loquitur, quando res est notoria: tunc enim ob suspicionem consensus, et indecentiam non sunt velandae.

An idem dicendum, si virgo in sui deflorationem consenserit, et ejus corruptio sit etiam occulta, ita ut integra adhuc apud omnes aestimetur?

Minime; sed debet se a velo abstinere; aliter peccat, si petat, et accipiat consecrationem, corruptionem suam dissimulans: ita comm.

Quid si absque scandalo, vel sui infamatione non possit haec corrupta a consecratione se abstinere?

Juxta multos potest haec Sanctimonialis professa consecrationis velum non quidem petere, sed oblatum acceptare; nec mendacium ista profert, dum interrogata ab Episcopo de carnis integritate respondet se esse virginem, intelligendo se talem esse juxta communem hominum aestimationem.

An Monialis, quae per voluntariam seminis effusio-

nem polluta est, integro tamen remanente claustro, possit velum consecrationis accipere?

Ista, licet coram Deo virgo incorrupta non sit, neque virginitatis laureolam in coelo habitura; quia tamen claustrum virginitatis illaesum adhuc servat, videtur posse licite velum consecrationis accipere: tum quia Ecclesia requirit solam carnis integritatem, ut habetur in Pontificali Romano, tum quia apud homines virgo censetur.

An Episcopus, cui soli lapsus Monialis corruptae est notus, possit, et debeat eam repellere, si ad eam consecrandam vocetur?

Distinguitur: vel Episcopus illam notitiam ex confessione habet, et non potest, neque tenetur: cum id fieri non possit absque fractione sigilli Sacramentalis: vel id scit extra Sacramentum, per secretam scilicet revelationem ipsius Monialis; tunc, si aliquo colore se excusando nullum subsit periculum scandali, nullamque afferat Moniali infamiam, potest se subtrahere ab illo munere; sin aliter non potest, nec tenetur eam repellere, quia ex justitia tenetur servare secretum. Hinc potest illam consecrare, mutato tamen inter consecrandum nomine virginitatis in nomen castitatis, vel continentiae, ita D. Thom. in 4. dist.

Quid si adstantes per hanc vocis mutationem intelligant, Monialem consecrandam non esse virginem, quomodo in casu se gerere debeat Episcopus?

Juxta Navarrum potest pronunciare verba consecrationis, quae virginitatem sonant, accipiendo illa intra mentem tanquam significantia castitatem; vel juxta alios intelligendo illam esse virginem juxta communem hominum aestimationem.

§. XI.

De canonica electione Abbatissae.

Q. *Ad quem spectet electio Abbatissae?*

R. De jure communi spectat ad Monasterium, cui ea praefici debet: uti colligitur ex cap. *Indemnitatibus* de electione in 6. et ex Concil. Trid. sess. 25. *De Regul.* cap. 6. et 7. Dixi de jure communi, quia hac in re servari debent singulorum Ordinum, seu Monasteriorum Constitutiones.

Quid requiratur in Moniali ad hoc, ut eligi possit in Abbatissam, vel Priorissam?

Requiritur, ut Monialis eligenda sit professa, ut non sit minor 40 annis, et ut 8 annis post professionem laudabiliter vixerit in Monasterio: sic decidit Conc. Trid. sess. 25. *De Regul.* cap. 7.

Quid faciendum, si desit in Monasterio, quae talem aetatem habeat?

Ex eodem Concilio habetur, quod possit eligi Monialis habens triginta annos, et quinque professionis; vel alia ex alieno monasterio ejusdem Ordinis, et etiam alieni Ordinis; sed hoc nonnisi cum assensu Sacr. Congreg.

Quaenam Moniales non possint eligi in Abbatissas?

Illegitimae, infames, corruptae, et viduae; nisi corruptio fuerit occulta, ex decl. Sacr. Congr. item neque caecae, neque surdae, et mutae: vide D. Ligorium.

An electio Abbatissae fieri debeat per vota secreta?

Maxime; ita ex decret. Conc. Trid. in cit. sess. 25. *De Regul.* cap. 6. Notandum, quod si qua Monialis est in lecto infirma, ejus votum etiam est recipiendum, vel scriptum sigillo munitum, vel per duas Moniales a Praesidente electionis deputatas: uti decrevit Sacr. Congr.: sicut notat Nat. de Alex.

Quae requirantur in Monialibus, ut possint concurrere ad electionem Abbatissae activam?

Requiritur, ut sint professae, et choristae; conversae enim non admittuntur ad electionem Abbatissae.

Quinam debeant praesidere electioni Abbatissae?

In Monasteriis non exemptis, vel sedi Apostolicae submissis praesidet Episcopus, vel per se vel per suum Vicarium: in exemptis vero Praelatus Regularis una cum Episcopo; ex Const. Greg. XV. *Inscrutabili*.

An, et a quo debeat confirmari Abbatissa electa?

Si Monasterium sit immediate subjectum sedi Apost., Abbatissa recens electa confirmanda est a Pontifice (idque per procuratorem). Si autem Ordinario, ab Ordinario: si vero Praelato Regulari, ad ipsum Praelatum spectat confirmatio.

Ad quantum tempus fieri debeat electio Abbatissae?

Debet fieri solum ad triennium, ex decr. Greg. XIII. *Exposcit*: alias electio est nulla. Neque in Vicariam eligi potest, si forte nova Abbatissa deficiat; quia praecipit Pontifex, ut Abbatissa anterior per triennium omni prorsus careat auctoritate.

§. XII.

De Educatione.

Q. *An puellae recipi possint in monasteria Monialium educationis gratia?*

R. Maxime; uti patet ex pluribus decretis Sacr. Congr. Episcop. et Reg. et signanter in *Hieracensi* 31. Augusti 1575.

An omnia Monasteria possint puellas ad educationem recipere?

Minime, sed ea tantum, in quibus adest consuetudo. Monasterium enim, in quo vel non viget consuetudo, vel expresse est ei prohibitum, non potest ad educationem puellas admittere: ead. S. Cong. et signanter in *Parmen*. 31. Octob. 1613.

Quaenam conditiones requirantur, ut puellae educandae in Monasterio recipiantur?

Plures: 1. ut puellae in Monasterio habitent in loco separato, tam a dormitorio Monialium et Novitiarum, quam a loco, in quo ipsae Moniales vacare solent operibus manualibus: dicta S. Cong. in *No-*

varien. 1. Junii 1595; 2. ut quaelibet suum lectum separatum habeat: ead. S. Cong. in *Camerin.* 16. Martii 1593; 3. ut non recipiantur, nisi de expressa licentia Sac. Congregationis: ead. Sac. Cong. in *Hieracensi* 31. Aug. 1575. et hoc sub poena violatae clausurae; 4. ut adsit consensus Superioris, et Monialium per secreta suffragia: dicta S. Cong. in *Derton.* 27. Maii 1607; 5. ut quaelibet recipiatur sola, sine ancilla: ead. S. Cong. *Neapolitana* 12. Martii 1619: 6. ut puellae utantur vestitu, qui virginali modestiae, et pudicitiae convenit: ead. S. Congr. in *Hierac.* 31. Aug. 1575; 7. ut puella educanda septimum expleverit annum, nec sit major viginti quinque annis: ead. S. Congreg. in dicta *Dertonensi* 27. Maji 1607; 8. ut pro dictis puellis alimenta solvantur quolibet semestri in pecunia anticipata: in dicta *Dertonensi*.

An licentia pro admissione puellae educandae in Monasterio intelligatur concessa Moniali particulari?

Minime; licentia enim recipiendi in educationem conceditur solum Monasterio in communi, non vero Monialibus particularibus: ita decrevit ead. S. Cong. in *Placentina* 28. Febr. 1514.

Post obtentam licentiam requiriturne consensus Episcopi, ut puella educanda in Monasterio recipiatur?

Vel Monasterium est Ordinario subjectum, et ejus consensus requiritur: vel est Regularibus subjectum, et non requiritur, quando S. Congregatio licentia executionem Ordinario non commiserit: ita ead. S. Cong. in *Cremon. Terrae Soncini* 1. Septemb. 1690.

An prohibitum sit in idem Monasterium recipere plures sorores, quam duas?

Minime: sic decrevit ead. S. Congreg. in *Iserniensi* 11. Januarii 1622.: prohibitio enim est non de educandis, sed tantum de admittendis ad professionem.

Puellae educationis gratia in Monasterium introductae utrum teneantur ad clausuram instar Monialium?

Maxime, ita ut egredi e monasterio absque licentia non sit eis permissum: ita communiter.

Puella a Monasterio egressa absque Superioris licentia num incurrat excomm. violatae clausurae?

Minime: licet alii in contrarium sentiant; jura enim indicentia clausuram sub excomm. loquuntur de solis Monialibus tacite, aut expresse professis.

Puella educanda si nubere velit, num possit ad crates Monasterii sponsalia inire?

Minime: et Abbatissa, quae sponsalium instrumentum cum educanda fieri permittit ad crates, deponitur ab officio, voceque activa, et passiva privatur: dicta Cong. in *Placentina* 13. Januar. 1635. Ordinarius autem habita notitia, quod educanda contraxerit sponsalia, debet eam a clausura dimittere, ita decrevit ead. Cong. in *Assisien.* 20. Septemb. 1599.

Danturne alii casus, in quibus educanda sit dimittenda?

Maxime: et 1. dimittendae sunt puellae, si sine facultate speciali receptae sint ante septimum annum completum, vel si compleverint annum XXV.: uti pluries decrevit S. Cong. et signanter in *Campanien.* 11. Decemb. 1648.; 2. si alimenta non solvant: ead. Cong. 11. Dec. 1648; 3. si detegantur energumenae: dicta Cong. in *Ferrariens.* 12. Jan. 1612; 4. Si gravidae detegantur et multo magis, si pariant: ead. S. Cong. in *Mediolan.* 10. Febr. 1651.

Cogentes puellam ad ingressum Monasterii causa educationis num peccent?

Vel puella est impubes, et potest licite cogi ab omnibus, qui habent in eam potestatem dominativam. Si vero est pubes, et cogentes peccant, etiamsi sint parentes; quia non potest puella cogi ad tam arctam, et rigidam custodiam, nisi ob aliquam circumstantiam talis ingressus censeatur moraliter necessarius ad custodiam puellae.

Dato, quod peccent cogentes puellas puberes ad ingressum Monasterii, num incidant in excomm. a Trid. latam contra cogentes ad Monasterium?

Litigium est inter DD. Sed videtur probabilior sententia affirmativa; nam per illum ingressum datur

occasio, ut postea puella Monasterium ingressa suscipiat habitum involuntarie.

Quid si aliqua educanda in monasterio aegrotet cum periculo vitae, an possit testari, si velit?

Maxime; et Ordinarius concedere debet licentiam Notario, et testibus ingrediendi clausuram: sic declaravit S. Cong. Cardinalium 1595.

Ubi erit sepelienda, si decedat?

Quamvis de hac re in diversas abierint Theologi sententias, tamen novissime fuit quaestio resoluta a S. Congreg. Concil. in *Feretrana* 11. Apr. 1742. quae definivit, educandas decedentes in Monasterio, non sibi electa sepultura, sepeliendas esse in Parochia, sub qua situm est Monasterium, si non habeant sepulchrum majorum: sed si elegerint sepulturam in monasterio, posse ibi sepeliri.

Quid si aliqua ex educandis velit postea ad habitum Religionis transire, num possit ad illud admitti sine alio requisito?

Minime; sed requiritur consensus denuo Superioris, et Monialium per secreta suffragia: uti pluries ead. S. Cong. decrevit, et signanter in *Placentina* 6. Febr. 1615. Insuper requiritur, ut Episcopus, vel ejus Deputatus exploret, an coacta, vel seducta sit, an sciat quid agat, juxta Trid. sess. 25. *De Regul. et Monial.* cap. 17. et hoc est servandum etiam in Monasteriis Regularibus subjectis: uti saepius declaravit S. Cong. Concil. et signanter die 13. Novembr. 1627.

An mulieres nuptae, viduae, vel famulae possint in Monasteria Monialium recipi?

Mulieres nuptae, et viduae, quae volunt permanere in habitu laicali, nequeunt, nec etiam de licentia Ordinarii in Monasteria introduci. Famulae vero, seu ancillae possunt de sola licentia Ordinarii; sed tantum in casu necessitatis, et in obsequium ipsius Monasterii, non vero pro servitio alicujus Monialis particularis: ex pluribus decretis S. Cong. Episc. et Reg. et signanter in *Neapolitana* 12. Aug. 1585.

Utrum educandae possint licite ad crates Monasterii musicam, seu cantum figuratum addiscere?

Minime: uti ead. S. Congreg. decrevit. Immo in nostra Dioecesi adest poena excomm. ferendae sententiae non solum contra educandas, sed etiam contra permittentes facultatem hunc cantum in Monasteriis degentes edocendi: ex nostra Sin. *De Sanctimon.* part. 4. n. 5.

§. XIII.

Quoad ea, quae respiciunt Confessariorum approbationem pro Monialibus.

Q. *An Confessarius generaliter approbatus in dioecesi possit valide audire confessiones Monialium sine alia approbatione?*

R. Minime; sed requiritur specialis approbatio ab Ordinario loci, sive Monasteria subjecta sint sibi, sive Regularibus: ita satututum est a Clem. X. in Const. *Superna*, et a Greg. XV. in Const. incipiente *Inscrutabili.*

An ipsi Praelati Regulares, Generales, vel Provinciales indigeant approbatione Episcopi pro excipiendis confessionibus Monialium, quae sub gubernatione eorum existunt?

Minime; nam sunt veri Parochi earum Monialium; ideoque habent circa eas jurisdictionem ordinariam. Sic videtur definitum, contra alios contrarium sentientes, a Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis officii.*

Num Confessarii ab Episcopo approbati ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii censeantur approbati pro Monialibus alterius Monasterii?

Minime: uti patet ex cit. Const. *Superna* Clem. X.; nec semel approbati, censentur semper approbati. Excipitur tamen tempus Jubilaei, in quo possunt Moniales Confessarium eligere ad audiendas earum confessiones, etiam semel approbatum ab Ordinario pro Monialibus, nisi constet eumdem Confessarium fuisse postea ob demerita ab eodem Ordinario positive reprobatum: uti colligitur clare ex decr. Sacrae Poenitentiariae.

Confessarii extraordinarii approbati pro una spe-

ciali Moniali possuntne excipere confessiones plurium Monialium, saltem ejusdem Monasterii?

Minime: uti patet ex ead. cit. Bul. *Superna*; nam toties debent ab Episcopo approbari, quoties casus deputationis contigerit.

Quot Confessarii deputandi sint ad excipiendas Monialium confessiones in singulis Monasteriis?

Duo deputandi sunt: quorum unus, qui dicitur ordinarius, excipere debet confessiones totius communitatis; alter deputandus est ab Episcopo, vel ab aliis Monasteriorum Praelatis, duobus, vel tribus vicibus in singulos annos, qui omnium confessiones audiant; et hic dicitur extraordinarius: ita ex decr. Trid. sess. 25. cap. 10. Et quamvis Concilium in citat. decr. loquatur de solis Monialibus claustralibus, Clemens XI. hortatur Antistites, ut hanc disciplinae formam observent etiam cum aliis Monialibus, qui clausurae legibus minime adstrictae sunt.

An Moniales omnes ex decr. Trid. teneantur Confessario extraordinario confiteri?

Minime: nam idem Concilium declarat, Confessarium extraordinarium excipere debere confessiones earum, quae eidem confiteri velint. Ab omnibus tamen, tam scilicet a Priorissa, caeterisque Professis, et Novitiis, quam a saecularibus in eodem Monasterio degentibus requirit, ut singulae extraordinario Confessario se sistant, sive ad confessionem, si placuerint, sive ad salutaria monita, etiam extra confessionem accipienda.

An Episcopi, aliique Rectores Religiosarum possint concedere Confessarium extraordinarium pro Moniali particulari?

Possunt ex aliqua speciali ratione: uti nonnulla decreta S. Congr. id confirmant, et approbant: immo etiam singulis Monialibus, ut enixe hortatur, et monet Bened. XIV. in cit. Constit. *Pastoralis*, ut Praelati Monialium non adeo difficile praebeant Confessarium extraordinarium peculiaribus Monialibus illum petentibus; quia haec indulgentia potest ad illarum conscientiae quietem multum conferre.

Quanto tempore Confessarii Monialium durare possint in quolibet Monasterio in excipiendis confessionibus?

Confessarius ordinarius durare potest solum triennio, quo elapso non potest amplius audire confessiones in eodem Monasterio absque licentia S. Congreg.; aliter declaratur suspensus ab audiendis confessionibus. Extraordinarius vero pro communitate potest deputari a Superioribus quolibet anni tempore.

Quot dotes habere debeat Confessarius Monialium, ut rite fungi possit munere suo?

Tres praecipue in eo requiruntur dotes: scilicet singularis prudentia, maxima pietas, et peculiaris scientia.

Quare singularis prudentia exigatur in Confessario Monialium?

Quia illa solum, quam ordinarie Confessarius adhibet in excipiendis aliorum Confessionibus, non sufficit; sed maxima ipsi prudentia, et circumspectio necessaria erit, tum in interrogationibus faciendis, ne malum, quod ignorant Moniales, ex iis addiscant, tum in applicandis remediis, ne propter illa, quae sunt occulta, fiant manifesta, tum in modo se gerendi, ut vitet suspicionem nimiae familiaritatis, aut acceptionis personarum, tum denique in conservanda pace, et charitate inter ipsas Moniales.

Quaenam maxima in eo pietas requiratur?

Cum ad ipsum pertineat, ut Moniales ad perfectionem, ad quam vi suae professionis obligantur, continue tendant, debet ideo tam sibi bonus esse, praeditusque Christianis virtutibus, et in oratione exercitatus, ut sic Moniales in viam perfectionis dirigere facile possit.

Quaenam peculiaris scientia ipsi sit necessaria?

Praeter ea, quae scire debet quilibet Confessarius, tenetur insuper scire praesertim qualiter Moniales instruendae sint in via spirituali, et ad quid obligent singula Religionis vota.

§. XIV.

De Novitiatu.

Q. *Quare fuerit institutus Novitiatus?*

R. Fuit institutus, ut Religio probet mores Novitiae, et Novitia austeritatem Religionis, ut expresse habetur cap. *Apostolicam*, De Regularibus, et cap. *Is*. Qui Monasterium.

A quo die incipere debeat annus Novitiatus?

Annus probationis sive in masculis, sive in feminis incipit solum a die susceptionis habitus, sive ab eo, quo in habitu Religiosarum Novitiae incipiunt sequi communem aliarum Religiosarum vitam. Sic expresse statuit Concil. Trid. cap. 15. sess. 25. *De Regularibus.*

Pro admittenda puella ad annum probationis quaenam aetas requiratur?

Quamvis in jure nulla reperiatur statuta praecisa aetas; tamen si puella velit esse formaliter Novitia ante 15 annum expletum requiritur licentia Sacrae Congregationis: uti in una *Perusien*. 5. *Novem*. 1602. Hinc sequitur quod admittenda sit post annum 15. completum.

Num peccent, qui vi, fraude, et metu compellunt puellam ad inchoandum Novitiatum?

Affir., et quidem mortaliter peccant juxta omnes, et incurrunt etiam in excommunicationem ex Trid. sess. 25. cap. 18. *De Regul.* Novitiatus enim debet sponte, et libere suscipi.

Nota. Novitiatus a puella per vim, vel fraudem susceptus non irritatur a jure, uti est irritus, si simoniace, aut immatura aetate susceptus fuisset. Hinc si puella, quae incepit Novitiatum per vim, per fraudem, in fine autem anni omnino sponte profiteatur, vere perficit Novitiatum praemittendum.

Receptio puellae in Novitiatu ad quem pertineat?

Jure communi pertinet ad Praelatum, et Monasterium simul; ita ut nec Praelatus sine Monasterio, nec Monasterium sine Praelato possit ad Religionem

aliquem recipere, ut habetur expresse in cap. *Novit.* 4. *De his, quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli.* Tamen regulariter est attendendum ad Constitutiones, consuetudines, et privilegia cujuscumque Religionis: prout aperte habetur in cap. fin. *De Regul. in* 6.

Quid si Novitia in aliquam Religionem recipiatur a non habente auctoritatem secundum suas peculiares leges seu Constitutiones, valida an nulla habenda sit talis receptio?

Receptio in tali casu est nulla, et Novitia potest a legitimis Superioribus spoliari, et a Religione dimitti: ut colligitur ex cit. §. *De his, quae fiunt.*

Novitiae tenenturne ad statuta, et praecepta Regulae?

Ex debito justitiae non tenentur, quia nondum sunt proprie Religiosae: ut dicitur expresse in cap. *Religioso* 21. De senten. excomm. *in* 6. Nam obligatio observandi Regulam ex debito justitiae nascitur ex voto, et professione. Tenetur tamen ex quadam decentia: tum quia earum probatio id exigit, tum quia dignum est, ut quae similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam: ut expresse dicitur in cap. *Recolentes* 3. vers. *Si enim* De statu Monachor.

An Novitiae gaudeant privilegiis Religionis?

Affir. juxta communiorem sententiam; eo quod in favorabilibus reputentur ut Religiosi. Immo Salmanticenses id extendunt etiam ad proxime vestiendas, quae jam sunt in Monasterio, et ad vestitionem se disponunt per spiritualia exercitia: nam ex L. penult. D. *De multis testam.* in favorabilibus *proxime accingendus, habetur pro accincto.*

Hinc gaudent etiam privilegio Fori, et Canonis cap. *Religioso* 20. §. *Quamvis de senten. excom. in* 6. Indulgentiis, quibus gaudent Professi etc.

Num annus probationis debeat esse integer, et continuus?

Affir. integer debet esse a puncto ad punctum; ita ut professio facta nondum completo anno, etiam per modicum tempus, esset nulla: debet esse conti-

nuus; ita ut Novitia, si animo deserendi Religionem e monasterio exeat, etiam per duas solas horas, teneatur renovare annum probationis: uti ex Decr. Sacr. Cong.

Quid si Novitia exeat e monasterio infirmitatis causa?

In hoc casu annus probationis etiam interrumpitur; et tenetur iterum incipere annum: ut colligitur ex variis Sacr. Congr. decretis.

An Novitiae in articulo mortis existentes, etiam anno Novitiatus non completo, si sint in aetate legitima, possint professionem emittere?

Affir. Sic expresse concessit S. Pius V. Novitiis Monialium S. P. Dominici, Const. incip. *Summi Sacerdotis cura*: qua concessione gaudent per communicationem etiam Novitiae aliarum Religionum. Si tamen convaluerint, debent suo Novitiatu completo iterum profiteri. Sic censuit *Sac. Cong. Concil. in una Ordinis S. P. Francisci Min. de Obser.* die 20. Martii 1649.

An Moniales, quae per denegationem suffragii absque legitima causa concurrunt ad expulsionem Novitiae e Monasterio, peccent?

Affir., et quidem graviter; ob gravem injuriam, quam faciunt tum Religioni eam privando idonea Religiosa, tum Novitiae, quae peracto probationis anno, et habilis reperta jus habet ad Religionem. Siculi etiam peccant graviter Moniales admittentes per sua favorabilia suffragia ad Religionem Novitiam certo cognitam inhabilem, quia deplorabile praejudicium per talem admissionem inferunt Religioni.

Per quanti temporis spatium possint Ordinarii, vel Praelati Monialium prorogare professionem post annum probationis ex rationabili causa?

Concilium Trid. sess. 25. cap. 16. *De Regul.* praecipit, ut Novitii, et Novitiae habiles repertae, finito anno Novitiatus ad professionem admittantur, vel e Monasterio ejiciantur. Hinc stante justa causa possunt Ordinarii, vel Praelati usque ad sex menses prorogare professionem, quibus elapsis si professio ultra est protrahenda, requiritur dispensatio Pontificis: uti decretum fuit a S. Cong.

§. XV.

De aliquibus Casibus in nostra Dioecesi Reservatis relate ad Moniales.

Q. *Moniales, quae occasione officiorum faciunt de proprio expensas vel ante, vel post suscepta officia, num incidant in aliquam poenam?*

R. Maxime: incidunt in excommunicationem Ordinario nostro reservatam: in quam incidunt etiam Moniales in Conservatoriis, et in Oblatarum domibus degentibus: uti colligitur ex nostra Synodo pag. 193. n. 25.

Utrum Monialibus interdictum sit personas quascumque utriusque sexus in Ecclesias suas invitare, praetextu alicujus festivitatis, et functionis?

Maxime: et contra facientes incurrunt etiam excommunicationem Ordinario nostro reservatam: quae excomm. contrahitur etiam a qualibet persona, sive laicus sit, sive Ecclesiasticus, cujus opera invitationes fiunt: ita statutum est in nostra Synodo pag. 125. n. 4.

Advertendum, quod isti casus, invitationes scilicet, et expensae non continentur in generali concessione absolvendi a casibus ab Ordinario reservatis; sed indigent speciali concessione: uti patet ex decl. ejusdem Synodi pag. 73. n. 38.

Num loquentes sine licentia nostri Ordinarii, vel ejus Vicarii cum aliqua in Monasteriis degente peccent, et incidant in aliquam poenam?

Maxime, et quidem graviter peccant; et incidunt in excomm. Ordinario nostro reservatam; sive locutio sit de indifferentibus, sive de obscoenis: uti patet ex Casu quinto in nostra tabella.

Num adsit aliquod discrimen inter ambas hasce locutiones, quae in hoc nostro Synodali statuto prohibentur?

Maxime. Nam a locutione de indifferentibus eximuntur consanguinei in primo; et secundo gradu: uti constat ex verbis Casus; eximuntur mulieres; et

qui loquuntur cum Monialibus ad breve tempus; secus dicendum de alloquentibus cum Monialibus de obscoenis. 2. Locutio de indifferenti re comprehendit loquentes tantum cum commorantibus in Monasteriis; et de obscoenis etiam in Conservatoriis, et Collegiis. Prima agit de loquentibus; secunda de agentibus etiam coram eisdem. Prima respicit tantum praesentes; secunda etiam agentes per litteras, et internuncios; et non solum comprehendit mittentes, sed easdem deferentes, licet in eodem Monasterio commorantes; modo litterae pervenerint, ad quam missae sunt. Denique excommunicatio per locutionem de re indifferenti cum Moniali non est specialiter nostro Ordinario reservata; at illa, in quam incidunt loquentes de obscoenis, est specialiter Ordinario reservata: uti constat ex decl. 1. ejusdem Synodi.

Num Regulares, et Peregrini ad hujus statuti sanctionem, ac poenam teneantur?

Maxime, quia in hoc statuto Ordinarius se gerit uti Sedis Apostolicae Delegatus; ideoque ad istud servandum omnes tenentur.

An Regulares possint saltem alloqui Moniales sibi conjunctas sine Ordinarii licentia?

Minime: ita ex Decreto Sacrae Congregationis. Immo Episcopus non potest concedere licentiam Regulari nisi pro locutione cum moniali consanguinea in primo, vel secundo tantum gradu; et quater dumtaxat in anno pro die, et hora certa, et extra Adventum, et Quadragesimam, Feriam Sextam, Sabbatum, Vigilias, et dies festos. Quae licentia subscribi debet etiam a Superiore Regulari pro Monialibus sub Regularium gubernio existentibus, item registrari, et Confessario consignari, qui assistit cum auscultatricibus. Ita expresse *Sac. Cong. Episc. jussu Urbani VIII.* 12. *Kalen. Decembr.* 1623.: in Decreto reformativo alterius Decreti Sixti V. editi Nonis Maii, 1590, ubi prohibebatur Regularibus Moniales alloqui sine expressa licentia ejusdem Sacrae Congreg.

An Episcopus, vel alius Superior Ordinarius concedere valeat Regularibus quibuscumque, etiam non

conjunctis in primo, et secundo gradu, licentiam alloquendi Moniales?

Licet sint, qui affirmativae sententiae adhaerent, hoc praesertim ducti motivo, quod Sacr. Cong. Concilii interpres anno 1669, et an. 1672. statuit Regulares, qui Moniales alloquuntur sine licentia Ordinarii peccare mortaliter, et puniendos esse ab eodem Ordinario; tamen probabilius cum aliis est dicendum, Episcopos, et locorum Ordinarios non posse absolute, et indiscriminatim licentiam Regularibus dare, cum in decreto Sacr. Cong. jussu Urbani VIII. vulgato expresse edicatur: Episcopos tantum pro conjunctis in primo, et secundo gradu licentiam posse concedere Regularibus cum clausulis supra notatis; quod Decretum non fuit moderatum a posterioribus Decretis, uti adversarii autumant; nam in primo dumtaxat statuitur, quod Regulares absque legitima facultate alloquentes cum Monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus possint ab Ordinario coerceri, non quomodocumque, sed tanquam a Sedis Apostolicae Delegato; in secundo autem, quod Regulares sine licentia Ordinarii colloquentes cum Monialibus peccent mortaliter: quod intelligendum est de Regularibus, qui absque licentia Episcopi Moniales alloquuntur etiam in primo, vel secundo gradu sibi conjunctas, pro quibus datur Episcopis facultas concedendi licentiam.

Ceterum ubi legitima invecta est consuetudo, quod Episcopi absolute, et indiscriminatim Regularibus impertiantur facultatem, tunc dicendum, hanc sufficere; quia lex positiva humana, etiam canonica potest a contraria consuetudine abrogari.

An Regulares missi ad crates Monialium pro munere praedicationis obeundo, peccent graviter, et incurrant censuras, et poenas, si sine expressa licentia ad colloquendum immediate post concionem cum aliquibus, seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus, immisceant sermones cum quaestionibus, et dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis?

Affir. uti patet ex decreto Sac. Cong. S. R. E.

Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, die 21. Maji 1678.

An Regulares etiam excusentur a peccato mortali, si ad breve tempus absque licentia cum Monialibus alloquantur, propter materiae parvitatem?

Non obstante declaratione Sac. Cong. sub die 11 Maii 1669 adprobata a Clem. IX. die 7 Junii ejusdem anni, in qua expresse dicitur, Regulares peccare mortaliter, colloquendo etiam *per quodcumque modicum temporis spatium cum Monialibus*, mea tamen sententia est, dari etiam pro Regularibus parvitatem materiae. Haec declaratio ita non est intelligenda, (ut mihi videtur), ut hac in re dari non possit parvitas materiae, quae etiam in pluribus praeceptis legis divinae datur, sed per eam Sac. Cong. intellexit rejicere, ac reprobare opinionem illorum, qui asserebant non esse interdictum Regularibus loqui cum Monialibus usque ad quadrantem horae cum dimidio. Quocirca reus minime foret peccati mortalis Regularis, qui unum, vel alterum verbum cum Moniali, vel alia intra Clausuram degente proferret.

Quanti temporis spatium parvitatem materiae constituat, ut alloquens cum Moniali eximatur a poena?

Variant Theologi. Quidam extendunt hoc tempus usque ad horae quadrantem. Aliis vero haec sententia non arridet, sed docent hanc materiae parvitatem constituere paucula verba; immo ab omni peccato foret immunis, si quis unum, vel alterum verbum cum Moniali, vel alia intra clausuram degente proferret, aut urbanitatis gratia, aut ob aliud rationabile motivum.

Quid dicendum de illo, qui, impetrata licentia alloquendi cum una, cum aliis loquitur?

Iste, si data opera, et ex professo cum aliis loquitur, peccat. Nam hoc expresse a nostro Synodali statuto est interdictum; secus vero, si id fiat per accidens, atque urbanitatis causa paucula verba non excedentia levioris materiae quantitatem cum alia intermisceat.

Quid sibi velit illud data opera, et ex professo *cum aliis colloqui?*

Ille dicitur data opera, et ex professo cum aliis alloqui, qui vel idcirco facultatem exquirit, ut cum aliis postea possit colloqui, vel ex proposito voluntatis in id incumbit, scilicet ad colloquendum cum aliis, aut demum totum temporis spatium insumit in loquendo cum aliis.

An conjuncti in secundo, et tertio consanguinitatis gradu excusentur etiam ab observantia hujusce statuti?

Sunt, qui affirmant, quia lex ista, permittens consanguineis in primo, vel secundo gradu consanguinitatis collocutionem cum Monialibus, late est interpretanda, juxta regulam juris in 6. *Odia restringi, favores convenit ampliari*; idcirco extendenda est etiam ad conjunctos in secundo, et tertio gradu. At alii rectius negant. Qui enim in secundo, et tertio gradu sunt conjuncti, revera non possunt dici conjuncti in secundo; cum hic gradus dicatur secundus respectu ad stipitem, relate vero ad colloquentes, reipsa est tertius: juxta regulam ex cap. fin. *De consangu. et affin.*

An colloquens cum Moniali per fenestram suae domus aedibus Monasterii forte adjunctam, immunis sit a poena excommunicationis?

Rejecta contraria sententia, uti improbabili, dico incurrere poenam excommunicationis. Nam Casus noster non prohibet sub censura collocutionem cum adjecta clausula *accessus* ad aedes monasterii, sed simpliciter inurit censura locutionem, quae principaliter, et per se primo prohibetur; accessus vero per accidens: finis enim hujusmodi accessus est collocutio, qua reddita impossibili, non est, qui desiderat ad Moniales accedere.

Nec etiam loquentes per signa, aut nutus, ut quidam autumarunt, effugient reservatae excommunicationis poenam. Etenim nutus et signa sunt locutiones quaedam factis peractae, et sufficienter significantes. Similiter qui loquitur cum Moniali nihil respondente ex altera parte; neque enim colloquentibus tantum excommunicationis poena intenditur, sed etiam simpliciter loquentibus: non autem incurreret, si loquen-

tem Monialem audiret, et ipse taceret: ut docet Graffius tom. 1. de excom. n. 30.

Nec demum a poena inflicta evadent liberi, qui cum Moniali loquuntur per interpretem praesentem: nam qui per interpretem loquitur, revera per seipsum loquitur.

Licentiam concedere pro alloquentibus Monialibus, et aliis personis intra clausuram degentibus ad quem spectet?

Tam pro Monasteriis Episcopo subjectis, vel Sedi Apostolicae, quam pro Monasteriis exemptis, et Regularibus subjectis licentia a nemine potest dari sine adprobatione Episcopi: ut constat ex variis Decretis Sac. Cong. Episc. et Regul. relatis a Monacell. part. I. tit. XI. formul. 19. num. 7. et 8.

Finis tertiae Partis.

INDEX

HUJUS TERTIÆ PARTIS.

IN HAC TERTIA PARTE

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 10. n. 20.	obstrigantur	obstringantur
p. 36. *nota* 2.	vera	vero
p. 41. n. 70.	trahit	tradit
p. 72. n. 1.	conoeditur	conceditur
p. 85. n. 6. p. ant.	pracedente	praecedente
p. 86. *idem*	excluduutur	excluduntur
p. 87. n. 8. p. ant.	easu	casu
p. 92. *not.*	arbitrior	arbitror
p. 109. *not.* 2.	istahaec	isthaec
p. 149. *not.* 2.	peecaret	peccaret
p. 169. *not.* 2.	vaeantis	vacantis
p. 170. n. 8.	sustentatione	sustentationis
p. 192. n. 20.	faciendo	facienda
p. 195. n. 29.	horolorgiarii	horologiarii
p. 253. n. 17.	injnncta	injuncta
p. 268. n. 6.	garzoue	garzone
p. 174. *not.* 1.	coneedere	concedere
p. 294. *not.* 1.	indioia	indicia

